






2
6
280









DISSERTATIO De AUTORITA-TE ECCLESIAE

Sive

Explicatio verborum B. Augustini contra Ep. Fundamenti

Evangelio non crederem, nisi me autoritas Ecclesiæ moveret.

Autore

JOH. GEORGIO DORSCHEO, SS. TH. DOCTORE ET PROFESSORE Ordinario in Acad. Argent.



ARGENTORATI

Excudebat JOSIAS STÆDELIUS ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

Anno M DC LIII.



VIRO

AMPLISSIMO ET EXPERIENTISSIMO.

DN. JOHANNI KÜFFERO, Doctori MEDICO ET PHILOSOPHO excellentissimo,

Plurimorum Principum, Comitum, Baronum, Dynastarum Archiatro felicissimo.

DN. FAUTORI MEO HONORANDO

cum voto

Sempiternæ in DNO JESU beatitudinis

HOC

MERITIS DEBITUM

P. P.

J. G. D. D.



DISSERTATIO

De sententia Augustini, Evangelio non crederem, nisi me commoveret autoritas Ecclesiæ.

PEssimus hæreticus *Manes Persa* edidit Epistolam quandam adversus Catholicos, quam vocat, FUNDAMENTI. in principio hujus Epistolæ, se Apostolum JesuChristi dementissimè inscripsit. Contra hanc *Augustinus* validissimus Manichæorum hostis nervosissimè scripsit. Primum negat, se credere Apostolum fuisse Manichæum. Hic necesse erat hærere hæreticum, qui promittebat fundamentum veritatis, & tamen cogebat credere, quod nesciebatur. Nam de Apostolatu Manichæi nihil certe explorati habebatur, ut qui nolebat sine ratione credere Manichæum esse Apostolum, huic ille nequaquam Apostolus videri poterat. *Forte*, inquit *Augustinus*, *Evangelium lecturus es, in eoq; nomen Manichæi inventurus.* Ex hâc hypothesi deinceps *Augustinus* contra Manichæos disputat. Esto. sit nomen Manichæi in Evangelio. Ego igitur credam Apostolum fuisse Manichæum? Certè hoc erat necessarium, ut Manichæum esse Apostolum homo Catholicus crederet, si hoc in Evangelio extaret. Sed Manichæis tamen hoc nondum sufficere poterat. Si enim inveniretur aliquis, qui se Evangelio credere negaret, quid tum faceret Manichæus, qui fidei rationem proponit? subjungit igitur Augustinus. *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ*

commoveret autoritas. Hunc locum Papistæ pro Ecclesiæ supra scripturam posita autoritate in aciem frequenter collocant. De eo ita disserimus.

Consideratio Prima.

PRIMO consideramus, *Papistas frustra Augustinum producere* duplici de causa. I quia *aliàs Patrum autoritatem magni facere non solent, quando illos suæ opinioni adversari vident.* Nam BELLARMINUS l. 1. de Concil. c. 12. artic. penult. *Scripta sacra Patrum,* inquit, *non sunt regulæ, nec habent autoritatem obligandi.* SALMERON Jesuita in Ep. Pauli l. 1. part. 3. disp. 6. in fine sic scribit. *In Patribus legendis servanda videtur sententia Quintiliani,* qui l. 4. c. 1. scribit. *Neque id statim legenti persuasum sit, omnia quæ magni autores dixerunt, statim esse perfecta. Nam & labuntur aliquando & indulgent ingeniorum suorum voluptati, nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur. Summi enim sunt, homines tamen, acciditq; iis, qui quicquid apud illos reperiunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur, id enim est facilius, ut se abunde similes putent, si vitia magnorum consequantur.* THOMAS AQUINAS part. 1. quæst. 1. art. 6. ait. *Sacra doctrina utitur autoritatibus Doctorum Ecclesiæ probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui Canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta.* CANUS EPISCOPUS Fortunatarum Insularum in Locis Theolog. l. 7. cap. 3. n. 1. ait. *Unius aut duorum sanctorum autoritas, etiam in his, quæ ad sacras literas & doctrinam fidei pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest. Ita despicere & pro nihilo habere, impudentis erit, suscipere & habere pro certo, erit omnino imprudentis. Atque hanc conclusionem demonstrat ratio illa manifesta, cui nulla prorsus via occurri potest, quod cum sanctorum quisque his duntaxat exceptis, qui libros Canonicos ediderunt, spiritu fuerit humano locutus, & aliquando vel in eo errarit, quod ad fidem spectare postea demonstratum est, apertè constat ex hujusmodi autoritate exploratam fieri fidem non posse. Quo in loco admonendi sunt hi, qui præceptis Theologiæ nullis acceptis, post bonas, quas vocant, literas, statim ad sanctorum Vete-*

rum

rum lectionem appellunt animum. Non enim quacunque ibi legerint, ea sunt probanda omnia. Nec quemquam hoc errore duci oportet, ut si Ambrosius aut Hieronymus contra morem doctrinamque hujus temporis fecerint, locutive fuerint, id sibi arbitretur licere. JOSEPH. ACOSTA de Tempor. noviss. lib. 3. cap. 3 inquit. *Inter externa auxilia principem locum obtinet scriptura divina, cujus autoritate invicta adversus dolos & innumerabiles fraudes Antichristi, quibus gentes toto orbe seducet, nullum est divinitus Ecclesiæ Catholicæ datum majus fortiusque præsidium. Ad omnes enim diaboli insidias detegendas, ad omnes diaboli machinas superandas, valet excelsum atque insuperabile divini eloquii robur.*

Ita in dogmate de transsubstantiatione testimonium *Iohannis* Constantinopolitani rejicit *Greg. de Valentia* Jesuita lib. de Transf. cap. 7. *in materia de idololatria* factum *Epiphanii* refellit idem l. 2. de Idolol. c. 7. artic. 14. *Salmeron* in 1. Joh. disp. 33. in materia *de libris Canonicis testimonium* Hieronymi, *Canus* lib. 1. c. 11. in materia *de presbytero & Episcopo* autoritatem ejusdem *Alfons. à Castro* l. 6. adv. hæres. Tit. Episc. in materia *de decidendis Controversiis Ecclesiasticis* autoritatem *Constantini Imperatoris* Bellarminus lib. 4. de V. D. c. 11. 20. in materia *de matrimonio autoritatem Origenis* idem *Bellarm.* lib. de Matr. c. 5. s. 39. In materia *de corporibus cœlestibus*, sententiæ *Chrysostomi & Ambrosii*, cui omnes ferè Græci Patres consentiunt, omnis Scholasticorum Theologorum schola adversatur teste *Senensi Bibl.* Sanct. lib. 6. ann. 245. in materia *de prædestinatione* omnium Græcorum, nec paucorum etiam Latinorum Patrum sententiam rejecit *Pererius* In Rom. 8. disput. 22. n. 106. 100. *Azorius* Tom. 1. Moral. l. 2. c. 17. qui ostendit, *in variis sententiis scholasticos pugnare cum sententia aliquorum Patrum, etiam quando plerique, vel etiam ferè omnes consentiunt.* In materia *de immaculata conceptione B. Virginis Mariæ* omnium Patrum unanimem & consentientem sententiam in qua quidam 200. quidam 300. Patres numerant, *rejicit Canus* L. Th. l. 7. cap. 1. n. 2. *Salm.* Rom. 5. d. 51. *Cornelius Mussus Episcop. Bitontinus* in Conc. in Ep. Rom. c. 1. p 606. ait. *Ego ut ingenuè fatear, plus uni summo Pontifici crederem in his, quæ fidei mysteria tangunt, quam mille Augustinis, Hieronymis, Gregoriis, ne dicam Ricardis, Scotis, Guilielmis.* Ita *Maldonatus* Jesuita ab omnibus Patrib. & Theologis dissentit in expli-

catione Joh.8.56. Matth.26.29. Matth.16.19. *Augustinus* in controversia *de Eucharistia infantibus necessariò danda* affirmantem, non ut opinionem suam, sed ut fidei & totius Ecclesiæ dogma ad refellendos Pelagianos propugnat, inquit Jesuita *Maldonatus* Comm. in Johann.6. num.111. *& hæc sententia*, inquit idem Jesuita num.116. *sexcentos circiter annos viguit in Ecclesia. Et tamen communiter hodie ab ea receditur.* Sic à multorum antiquitatis Doctorum & sanctitatis laude præstantium Virorum sententia in explicandis filiis DEI quorum in Genesi fit mentio recedit tota Ecclesia & *Pererius* Jesuita in Gen. l.8. num.29. disp.1. vocat *insigne magnorum Doctorum Paradoxum vel pravidoxum potius.* Plerosqee Patres Veteres, statuentes *animas beatorum non frui visione Dei ante diem novißimum* referente *Stapletono* l.1. de autoritate script. cap.2. & *Sixto Senensi* lib.5. Bibl. sanct. annot.64. & 169. & l.6. ann.264.345. damnant Papistæ. Plurimos Patres statuentes *millenarium Christi regnum*, referente *Senensi Bibl.* Sanct. l.5. annotat.233. constanter rejiciunt.

Sic *unum eundemque Patrem interdum laudant, interdum reprebendunt* EUSEBIUS CÆSARIENSIS quando placet *Lindano* l.1. Panopl. c.17. est *celeberrimus Christianæ scriptor Ecclesiæ, qui*, inquit Sixtus Senensis in Bibl. *tanta secularium disciplinarum peritia & divinarum literarum exercitatione inter omnes sui seculi Episcopos claruit, ut nobilißimo Constantini Imp. elogio celebrari meruerit.* Eundem *usquequaq; doctißimum* appellat *Gelasius Pontifex*, ait *Possevin.* in Appar. *& Catholicum asseverare non dubitat Sixtus Senensis*, ait *Baronius* Card. in annal. T.3. anno 340.§.41. quin etiam *ab aliis inter Sanctos est relatus* & in Martyrologio Martyr constitutus, teste *Possevino* & *Baronio.* Et si quis legerit *Haymonem* Halberstadensem, vix fieri potest, inquit *Possevinus*, quin de Eusebio Cæsariensi summa quæque concipiat. Quando verò *Eusebius* idem displicet, *Cano* Loc. Th. l.7. c.3. n.7. est *Arij fautor* acerrimus. *Costerio* Jesuitæ contra Grevink. c.8. n.9. *hæreticus Arianus. Baronio* l.c. n 40. *Arianæ factionis signifer* propugnator apertissimus & inter Arianos facile princeps: cujus & memoriam adeò execrata est Nicena Synodus II. ut planè eum jam defendere velle nihil aliud existimandum sit, quam Ecclesiam Catholicam impugnare.

EUSE-

EUSEBIUS EMISSENUS quando placet *Alano Copo* est, *Pius scriptor* antiquus valde & magni nominis in Ecclesia Dei & à *Lindano* Episcopo Ruremund. in Chronolog. Panopliæ suæ præf. inter sanctissimos Ecclesiæ Christianæ Patres, scriptoresq; clarissimos juxta ac vetustissimos enumeratur, ac in IV. seculo collocatur, quod florentis Ecclesiæ, inquit, hortum dixeris. Eundem *Claud. Fremyeus*, qui Homilias illius in Ev. Episcopo Andegavensi inscripsit. vocat Divum Eusebium, Antiquum Theologũ & Episcopum. ac denique apud Persas per manus ejus miracula facta scribit *Sixt. Sen.* l. 4. B. S. Beatus etiam nominatur & in Catalogo Sanctorum inter Sanctos recensetur teste *Baroneo* T. 3. Ann. 341. n. 11. Quando verò idem displicet. *Possevino, Baronio & aliis*, vocatur *homo impius & Arianus* Arianorum alumnus ac pernecessarius, Arianæ signifer factionis. *Quapropter*, inquit *Spondanus* in Epit. Baronii ann. 441. *vindicentur egregiæ conciones ab injusto & impio possessore.*

TERTULLIANUS, quando placet, *Lindano* l. 1. Panopl. c. 23. & l. 2. c. 18. n. 9. ex *Vinc. Lirinensi* est, nobilis admodum autor Latinorum facile Princeps, magnum quondam Africæ lumen scriptor & doctor vetustissimus, peritissimus, gravis, acutissimus. *Rosvveydo* Jesuitæ in diss. de fide hæreticis servanda præf. ad Lect. Magnus Afer. Quando displicet, *Azorio* T. 1. Moral. l. 8. c. 16. est autor hæreticus, *Bellarmino* variis locis, hæresiarcha, Hostis Catholicorum, Montanista. *Maldonato* Matth. 16. v. 19. Calvinistarum similis. *Et ideò*, inquit *Bellarminus* l. 1. de Bon. Op. c. 5. & l. 3. de Euch. 1. 6. *Tertulliano consequens error abstulit autoritatem, nec magnifacienda est ejus autoritas cum constet hominem Ecclesiæ non fuisse.* & l. 4. de R. P. c. 8. & l. 1. de Christo c. 9. *Non est omninò fides habenda Tertulliano. Tertulliani & Eusebij in dogmatibus parva est autoritas.*

ORIGENES quando placet *Lindano* est l. 3. c. 23. & 16. illustre Alexandrinæ Ecclesiæ lumen & quem alterum Ecclesiarum post Apostolos Magistrum ajebat *Hieronymus*. *Duræo* contra Wit p. 109. testis omni exceptione Major. quand. displicet, *Cano* est Schismaticus, *Maldonato* Arianorum & Eunomianorum quasi Pater, *Ribera* Jesuitæ, homo audax & temerarius, errorum suorum pertinax amator, allegoricus semper interpres & Historiæ semper fugiens

verita-

veritatem. Si igitur Pontificii, qui tamen Patrum admiratores summi videri volunt, ita tractant Patres, ut interdum admittant, interdum rejiciant, cur nobis autoritate Augustini in hoc puncto standum erit?

II. Quia *& alij Patres & ipse Augustinus supremam autoritatem cognoscendæ divinæ veritatis in solam scripturam collocant.* CYRILLUS HIEROSOLYM. Catech. 4. *Ne mihi ea tibi proferenti simpliciter fidem adhibeas, nisi de divinis scripturis eorum, quæ dicam demonstrationem accipias. Nam fidei nostræ salus & conservatio non orationis facundia nititur, sed scripturarum divinarum comprobatione.* OPTATUS MILEVITANUS contra Parmenianum Donatistam l. 5. ubi disputat, An baptisatus sit rebaptizandus? ait. *Quærendi sunt hujus controversiæ judices: Si Christiani, de utraque parte dari non possunt, quia studijs veritas impeditur. De foris quærendus est judex: si Paganus, non potest nosse Christiana secreta. Si Iudæus, inimicus est Christiani baptismatis. Ergò in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium. De cœlo quærendus est judex; sed ut quid pulsamus ad cœlum cum habemus hic in Evangelio?* &c. CHRYSOSTOMUS in Acta Apostol. Hom. 33. *Quid ergo respondebimus gentibus? Venit enim gentilis ac dicit: Vellem fieri Christianus, sed nescio cui adhæream, multæ inter vos sunt pugnæ, seditiones ac tumultus, nescio, quod dogma eligam, quod præferam: singuli dicunt, ego verum dico. Cui credam, nescio, cum ego scripturarum sim ignarus, & illi utrinq; idem prætexunt. Sed hoc multum pro nobis. nam siquidem diceremus, nos rationibus credere, meritò turbareris, sed cum scripturas accipimus & illa simplices sunt ac veræ, facile tibi fuerit judicare; si quis illis consentit, Christianus est: si quis contra illas pugnat, procul est ab hoc Canone.* HIERONYMUS l. 2. in Jerem. cap. 9. *Nec parentum nec Maiorum error sequendus est, sed autoritas scripturarum & Dei docentis imperium.* BASILIUS in Epist. ad Eustathium. *Stemus arbitratu inspiratæ à Deo scripturæ, & apud quos inveniuntur dogmata divinis oraculis consona, illis omninò veritatis adjudicetur sententia.* Ipse AUGUSTINUS autoritatem Ecclesiæ ex scriptura habendam & hauriendam esse asserit. lib. de Unitate Eccles. c. 3. *Non audiamus, hæc dico, hæc dicis, sed audiamus, hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Dominici, quorum autoritati utriq; consentimus, utriq; credimus, utrique servimus,*

vimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. in libro de Pastorib. c.14. Tom.9. Operib. *Quærit infirmus Ecclesiam, quærit errans Ecclesiam. Tu quid dicis. Patris Donati (Pontificis Romani) est Ecclesia. Ego vocem Pastoris inquiro. Lege mihi hoc de Propheta, lege de Psalmo, recita de lege, recita de Evangelio, recita de Apostolo. Inde ego recito Ecclesiam toto orbe diffusam & Dominum dicentem, Quæ sunt oves meæ vocem meam audiunt & sequuntur me? Quæ est vox Pastoris? Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes incipientes ab Hierusalem. Ecce vox Pastoris, agnosce & sequere si orries, sed illi codices tradiderunt, & illi thus idolis posuerunt, ille & ille, quid ad me de illo & de illo. Si fecerunt, non sunt Pastores: tu vocem Pastoris edicito, quia nec de illis vocem Pastoris enuncias. Tu accusas, non Evangelium: Tu accusas, non Propheta, non Apostolus, de quo mihi vox ita loquitur, de illo credo, aliis non credo. Sed acta proferes, acta profero. Credam tuis, crede & tu meis. Non credo tuis, noli credere meis. Auferantur chartæ humanæ, sonent voces divinæ. Ede mihi unam scripturæ vocem pro parte Donati, audi innumerabiles, pro orbe terrarum &c.* Hæc Augustinus, qui hoc innumeris aliis locis dicit.

Consideratio Secunda.

Deinde consideramus, AUGUSTINUM *in hoc dicto explicare, non quare Catholicus Evangelio crederet, sed quo movente à Manichæismo ad Catholicismum transiverit.* Illud I. *fatentur ipsi Pontificii quidam.* Ita *Melchior Canus Episcopus* lib.2. Loc. Theol. cap.8. inquit. *Negotium erat Augustino cum Manichæis, qui absque controversia suo cuidam Evangelio credi volebant & Manichæorum fidem adstruere. Rogat igitur Augustinus, ecquid facturi sint, si in hominem incidant, qui ne Evangelio quidem credat, quove genere persuasionis sint eum in suam sententiam adducturi, ut Evangelium amplecteretur, Certè se affirmat, non aliter potuisse adduci, ut Evagelium amplecteretur, quam Ecclesiæ autoritate victum. Non itaq; docet,* fundatam esse Evangelii fidem in Ecclesię autoritate, verum simpliciter, nullam esse certam viam, qua sive in fideles, sive in fide novitii ad sacros libros ingrediantur, nisi Ecclesiæ Catholicæ unum eundemq; consensum. Illud *secundo confirmans*

firmant circumſtantiæ. Nam I. loquitur Auguſtinus de iis, qui Evangelio nondum credunt: aitque, quid faceres, dicenti tibi, non credo. Si tibi res eſſet Manichæe cum homine non credente Evangelicis ſcripturis, harumne ſcripturarum autoritate Magiſtrum tuum Chriſti Apoſtolum contenderes? At nihil autoritate Evangelii proficeres apud illum, qui ſe non credere Evangelio profiteretur. Opus igitur alia autoritate eſſet homini Evangelio non credenti accommodata, eam autem in rem accommodatiſſima eſt autoritas Eccleſiæ. Id ſuo exemplo Demonſtrat Auguſtinus, quem ex Manichæiſmo ad Eccleſiæ gremium & Evangelii complexum autoritas Eccleſiæ adduxit. Niſi autem dicamus, Auguſtinum oſtendere modum, quomodo à Manichæiſmo ad Catholiciſmū tranſierit, ineptè ſuum exemplum ad id probandum adduxiſſet, non eſſe accommodatius medium homini non credenti Evangelio perſuadendi, ut credat Evangelio, quam autoritas Eccleſiæ. II. Niſi ita explicemus Auguſtinum, hoc grande abſurdum erit aſſerendum, Auguſtinum Catholicum jam & Epiſcopum ac Doctorem ſola autoritate Eccleſiæ ad credendum Evangelio commoveri. Ipſe ſanè contrarium de ſe teſtatur lib. 6. Confeſſ. cap. 5. *Perſuaſiſti mihi ô Deus, non qui crederent libris tuis, quos in omnibus ferè gentibus autoritate fundaſti, ſed qui non crederent eſſe culpandos nec audiendos eſſe, ſi qui mihi forte dicerent, unde ſcis. libros illos unius veri & veraciſſimi Dei ſpiritu eſſe humano generi miniſtratos, id ipſum enim* MAXIME CREDENDUM ERAT. & l. 11. Confeſſ. cap. 3. ait. *Audiam & intelligam ô Deus, quomodò feciſti cœlum & terram. Scripſit hoc Moſes, ſcripſit & abiit, tranſivit hinc ad te. Neque enim nunc ante me eſt, nam ſi eſſet, tenerem eum, rogarem eum ac per te obſecrarem, ut mihi iſta panderet, & præberem aures corporis mei ſonis erumpentibus ex ore ejus. At ſi Hebræa voce loqueretur, fruſtra pulſaret ſenſum meum, nec inde mentem meam quicquam tangeret. Si autem Latinè, ſcirem, quid diceret, ſed unde ſcirem, an verum diceret? Quod ſi & hoc ſcirem, num ab illo ſcirem? intus utique mihi, intus in domicilio cogitationis nec Hebræa, nec Latina nec barbara veritas ſine oris ac linguæ organis ſine ſtrepitu ſyllabarum diceret. Verum dicit: & ego ſtatim certus confidenter illi homini tuo dicerem, Verum dicis. Cum ergò illum interrogare non poſſim, te, quo plenus, vera dixit, veritas rogo &c.* III. Si Auguſtinus

gustinus Catholicus & unus è summis Ecclesiæ præsulibus Evangelio non credidisset, nisi Ecclesiæ autoritate interveniente, idem etiam de singulis aliis in Ecclesia dicendum esset, eos non credere verbo Dei nisi Ecclesiæ autoritate motos. Si hoc, sequitur, homines in Ecclesia, sive Præsules sint, sive alii, credere Evangelio propter suam ipsorum autoritatem seu propter seipsos. Homines enim in Ecclesia sunt ipsa Ecclesia. Non igitur dicendum eos, qui sunt in Ecclesia, tum cum jam sunt in Ecclesia, credere propter Ecclesiam Evangelio, ne propter se ipsos dicantur credere. IV. Hanc esse mentem Augustini sequentia Epistolæ verba ostendunt. *Quibus ergo*, inquit, *obtemperavi dicentibus, credite Evangelio, curen non obtemperem dicentibus mihi, Noli credere Manichæo.* Non ait, quibus obtempero, sed obtemperavi. Unde manifestum est, de se nondum Catholico loqui Augustinum & cum Manichæus existeret fuisse commotum Ecclesiæ autoritate, ut crederet Evangelio. V. Hinc in cap. 14. hujus libri ait. Nos cum credimus, & fide jam valentiores facti sumus, id quod credimus intelligere meremur, non jam hominibus, sed ipso Deo mentem nostram intrinsecus firmante atque illuminante. VI. Omnes fideles spiritu sancto præditi sunt. Ejus autem sine dubio major est autoritas, quam Ecclesiæ. Itaque non est dubitandum, quin ejus potius, quam Ecclesiæ autoritate in verâ fide teneantur. Ergò Augustinus Catholicus plus omninò post acceptum Spiritum S. & rejectum Manichæismum Spiritui S. tribuit, quam Ecclesiæ.

Consideratio Tertia.

TERTIO consideramus, *Ecclesiæ autoritatem esse quidem inter ea, quæ commovent ad Evangelium capessendum, non verò solum esse commovens, nec apud omnes esse commovens principium.* Illud fatentur rursus Pontificii. Sic enim scribit MICHAEL MEDINA Theologus Hispan. l. de aut. Eccles. libro Venetiis impresso. *Quod ex eo Augustini dicto Ecclesiæ quam scripturæ majorem autoritatem persuadere conantur, prorsus est futile. Nam ex eo, quod Ecclesia scripturas ostendit & eas à falsis discernendi potestatem exercet, eam iisdem scripturis*

autoritatem præstare infirmè colligitur, nisi etiam is, qui inter hominum confertissimas turbas mihi regem ostenderet, potioris etiam, quam ipse Rex autoritatis habendus esset, aut nisi Mosaica lex, quæ Christi & Evangelici status fuit index, majoris esset autoritatis, quam Christus aut Christi Evangelium, quod est absurdissimum. Enimverò Iohannes Baptista Christo testimonium perhibuit, fuit enim homo missus à Deo, ut testimonium perhiberet de lumine & omnes crederent per illum, non tamen continuò Christo fuit Major aut æqualis. Moses & Elias simul cum Nube & cœlesti voce Christum esse Messiam & eundem cunctis mortalibus quasi cœlestem Præceptorem audiendum esse testificabantur, neque tamen protinus majores aut æquales sunt Christo. Denique stella, pastores, Magi, Anna & Simeon qui omnes Christo detulerunt testimonium, ut generis humani redemtor verusq; Messias agnosceretur, ab omnibus. non sunt Christo ipso potiores. Ecclesia fateor est nobis causa credendi hunc aut illum librum esse divinum, non tamen cum ipsa eadem scripturæ autoritate contendit, quemadmodum neque horum autoritas, qui de Christo testabantur, cum Christo erat ullo pacto conferenda. Ostendit Notarius, aut publicus tabellio, hanc aut illam esse scripturam Regis, atque ita ostendit, ut illi tantam fidem habeamus, quantam humana negotia postulant. Quis tamen tam in sanus, ut tabellionis autoritatem cum regii, aut Imperatorii scripti autoritate componat? &c. Hæc Medina. Accommodatur hûc similitudinis loco quod Samaritani crediderint in Christum per verbum mulieris testimonium de Christo perhibentis, qui tamen postea Christum ipsum audientes dicunt, non ampliùs διὰ τὴν σὴν λαλιὰν πιστεύομεν, ipsi enim audivimus & scimus, quia hic verè est Salvator Mundi Joh. 4, 41. Eadem est ratio testimonii quod Ecclesia per Samaritanam præfigurata scripturis perhibet. Id ita esse, probat JAC. FABER STAPULENSIS Pontificius scriptor Comm. in Evang. Joh. loc. c. *Mulier,* inquit, *postquam urnam & aquam veteris cisternæ reliquit, gessit typum Ecclesiæ & fidelium, qui non nisi ad credendum præparant. Fides autem quæ perficit, desuper advenit, sacrosancto IESV inhabitante & immanente spiritu. Quem qui habent, dicunt mulieri, non amplius propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audivimus & scimus, quia hic est verè Salvator Mundi. Ne ergò posthac dicamus, Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ crederem, aut nisi approbasset Ecclesia & similia.*

similia: sed potius cum Sycharitis jam verè fidelibus, jam non propter loquelam tuam credimus, nam nullus Evangelium nobis loquitur, quam Christus Iesus super omnia benedictus. Ex ipso ergo & propter ipsum illud audientes dicamus, audivimus & scimus, quia hic est verè Salvator Mundi. Qui enim illo modo credit, infirmè & humanè credit & ut ajunt dialectici, quod est, qui autem isto modo, validè divinè & ut iidem dicunt, propter quid est non enim Christus propter Samaritanam, sed Samaritana propter Christum. Consentit CANUS lib. 2. Loc. Theol. cap. 8. § Jam si quandò ait. *Non est Ecclesiæ autoritas ratio per se movens ad credendum, sed causa, sine qua nondum crederemus quippe ut nos credamus juxta præscriptam à Paulo legem, oportet ut illa quæ credimus, nobis per hominem proponantur; providit autem Deus, ut Ecclesia esset, quæ certo & firmo juditio ea, quæ verè nobis sunt credenda proponeret:* BELLARMINUS ipse in dictatis manuscriptis in Thomæ Aquinatis secundam partem Summæ Angelicæ part. 2. q. 1. d. 1. docuit, *Augustinum loqui de Ecclesia, ut de causa proponente, non ut de primò fundamento fidei.* Hinc BELLARMINUS lib. 1. de verbo Dei cap. 2. cum producit argumenta, quibus probare vult, libris, quos nos Canonicos appellamus contineri verbum Dei, PRIMO profert ipsius scripturæ autoritatem, & divinæ autoritatis esse scripturam probat, quia Moses, Prophetæ, Christus ipse, Johannes, Apostoli vel divina dogmata ex scripturis ipsi confirmabant, vel certè ad scripturas legendas alios hortabantur. Deinde pro divinitate scripturarum ita collegit. Regula Catholicæ fidei certa notaq; esse debet: Nam si nota non sit regula nobis non erit, si certa non sit, ne regula quidem erit. At sacris scripturis, quæ Propheticis & Apostolicis literis continentur nihil est notius, nihil certiùs, ut stultissimum esse necesse sit, qui illis fidem esse habendam neget. Notissimas enim esse, testis est orbis Christianus & consensio omnium gentium, apud quas multis jam seculis summam semper autoritatem obtinuerunt: certissimas autem atque verissimas esse, nec humana inventa sed oracula divina continere, primò testis est veritas vaticiniorum, deinde incredibilis quædam & planè divina conspiratio tot virorum qui diversis locis temporibus, linguis, occasionibus sacra volumina conscripserunt, ut non tam ipsi scriptores diversi

quam unius ſcriptoris diverſi calami fuiſſe videantur. Tertiò teſtis eſt DEUS ipſe, qui aliquando cœleſti animadverſione ſcripturam hanc ſuam ab humana profanatione defendit. Quartò teſtis eſt ipſa ſcriptura, cujus ſi veræ fuerunt prædictiones rerum futurarum, ut eventus poſtea comprobavit, cur non vera ſint rerum præſentium teſtimonia. Poſtremò teſtis eſt infinitus propè numerus divinorum miraculorum, quæ omnibus ſeculis facta ſunt, ad ea dogmata comprobanda, quæ in his literis continentur. Sic Bellarmino etiam judice, quamvis ſctipturæ gratiam aliquam apud homines Eccleſia conciliet, non ſufficit tamen ea, nec ſola præſtat, quod præſtandum eſt. Ita lib. 3. de juſtificat. cap. 3. §. At inquit. *Prælatio*, ait, *Eccleſiæ facit, ut omnibus innoteſcat, objectum illud eſſe revelatum à DEO & propter hoc certum & indubitatum, non autem tribuit firmitatem verbo Dei aliquid revelantis.* Addamus huc ſequentia Papiſtarum teſtimonia. GABRIEL BIELIUS lib. 3. Sentent diſtinct. 23. dub. 3. *Veritates Catholicæ abſque omni approbatione Eccleſiæ ex natura rei ſunt immutabiles & immutabiliter veræ & ſic ſunt immutabiliter Catholicæ reputandæ.* Cardinalis *Cajetanus* Opuſcul. Tom. 2. tractat 1. de conceptione B. Virginis cap. 1. *Fidei Chriſtianæ certitudo non humano more certa eſſe debet, ſed infallibile omninò debet habere teſtimonium, quale nullus homo, ſed ſolus* DEUS *præſtare poteſt. Unde & Petrus Apoſtolus cæleſtis vocis in transfiguratione Domini à ſe auditæ proprio teſtimonio tanquam humano utens ſubjungit. Et habemus firmiorem Propheticum ſermonem, ſubjungendo, quid non voluntate humanâ prophetica allata eſt divino ergo teſtimonio non humano certitudo haberi debet in decernendo judicialiter res fidei.* Cardinalis HOSIUS in Confeſſ. Petricov. cap. 16. *Nos libenter concedimus, accipienda eſſe Evangelia, ut verbum Dei intus docentis, & revelantis; neque credendum illis eſſe, niſi propter vocem Dei inter loquentis.* PETR. CANISIUS Jeſuita in Catech. cap. de præcept. Eccleſ. ſect. 16. *Nos ſcripturæ propter teſtimonium divini ſpiritus in illa loquentis, credimus, adhæremus, ac maximam autoritatem illi tribuimus.* FRANCISC. SONNIUS Epiſcop. Buſcoducenſis lib. 1. Demonſtrat. pag. 49. *Scriptura ſacra ſuam autoritatem & certitudinem ab Eccleſia non habet; attamen non ſine Eccleſia atteſtante ac judicante, accedentibus lumine fidei & magiſterio ſpiritus*

ritus sancti, sine quibus non intelligitur ne natura quidem ac qualitas Ecclesiæ. Velut gemma reperta ab iis, qui gemmarum pretia ignorant, pretium quidem & valorem habet ex natura suâ, attamen illis, qui invenerunt, non est pretiosa, nisi postquam accesserit judicium peritorum in hac arte. Aliud simile ex ipsa scriptura 3. Reg. 3. Cum duæ mulieres meretrices contenderent super infante, utrius esset filius, Salomon per judicium reddens infantem ei, quæ verè mater erat, non effecit, quod puer ille esset filius matris suæ, sed declaravit & autoritate judiciali decrevit, ut deinceps haberetur pro ejus filio & non amplius contenderetur super eo. Hæc ille.

GREGORIUS de Valentia Jesuita in Analysi fidei lib. 8. cap. 5. pag. 95. *Scripturæ autoritas est divina prorsus ac proinde omninò infallibilis, quod ipsum quidem ex fide nobis constat, tum ob revelationem divinam in eadem scriptura contentam, tanquam ob rationem, in quam propriè ipsa fides respicit: tum etiam ob Ecclesiæ propositionem, tanquam ob conditionem quandam, ut id ipsi Christiana fide credamus, requisitam; tum postremò ob communia fidei motiva, tanquam propter argumenta videlicet, quibus animum inducimus credere non modò quæ in scripturis continentur esse omnia verissima, sed inprimis etiam scripturas ipsas esse divinas.* Motiva illa proponit Valentianus lib. 1. analys. c. 3. *quia* sacram scripturam omnes penè gentium nationes & in his innumerabiles viri summa authoritate, summo ingenio & excellenti virtute atq; eximia variâq; doctrina prediti ita crediderunt ut rationem disciplinæ suæ reddere omni poscenti pulchrè possent & contrarios errores aliarum religionum manifestè refellere. c. 4 *quia* scripturam sacram innumerabiles omnis ordinis, sexus & ætatis homines, qui & DEO placendi veræque religionis agnoscendæ colendæque cupidissimi erant & singulari vitæ probitate atq; sanctimonia conspicui sic amplexi sunt, uti res omnes ac vitam ipsam exquisitissimis tormentorum generibus admiranda patientia tolerandis postponere non dubitaverint. c. 5. *quia* qui ex sacræ scripturæ instituto vivunt, singulare quoddam animi robur, magnamque facultatem ad graviora peccata omnia contra legem naturæ vitanda obtinent. c. 6. *quia* per sacram scripturam ejusq; doctrinam paucissimi homines, nulla neque humana eruditione eloquentiave instructi, neque poten-
tia

tia & vi: armati, neq, nobilitate clari, neq; opulentia præstantes & præterea ejusmodi res docentes, quæ magna ex parte hominum voluntatibus atq; adeò ipsi carni repugnant, plurimos sapientissimos, eloquentissimos, potentissimos, nobilissimos, opulentissimos vicerunt, ut desertis patriis religionibus, quæ vel ipsa diuturnitate confirmatæ erant, Christianam disciplinam amplecterentur. c. 7. *quia* s. scr. miraculis divina plane virtute editis probata orbi est. c 8. *quia* testimonio adversariorum laudata. c.9. *quia* qui eam non receperunt, acerbissimas clades perpessi sunt. c.11. *quia* prædictiones continet exactissimæ veritatis. c. 12. *quia* facile à contradictionibus rationis humanæ vindicari potest. c. 13. *quia* insuperabilis est veritatis. c.14. *quia* cunctis rebus admirabilem ordinem inducit. c 15. *quia* in tanta verborum simplicitate tam summæ & penetrabilis est efficacitatis. c.16. *quia* supremæ est antiquitatis. &c. His & aliis rationibus Scripturæ sacræ divinitatem probat, quas præter Ecclesiæ autoritatem, imò ante eam hominibus ad fidem ducendis proponendas suadet. In l.8. verò loco alleg. insuper ita scribit. *Si ad scripturæ & Ecclesiæ autoritatis quendam quasi modum respiciamus, majoris cujusdam esse dignitatis autoritatem scripturæ, h. e. meritò à nobis tanquam divinis aliquid suspici. Habet enim modus scriptoris Canonici nescio quid Majoris dignitatis propterea, quod non tam ipse scriptor agit in ea re, quam agitur, nec videtur proinde nisi Deus ipsemet per scripturam loqui. Accedit, quod ecclesia ipsa etiam nititur in suis definitionibus scripturæ autoritate tanquam fidei quodam fundamento ob divinam revelationem, quæ sacris ipsis literis continetur. Quæ omnia sanè efficiunt, ut secundum nos quidem & secundum modum utriusq; autoritatis major quædam in scriptura, quam in Ecclesia, dignitas esse videatur.*

Sed jam probandum est, *Ecclesiam non apud omnes homines esse principium commovens ad credendum.* Illud probat *Alexander Valignanus* Jesuitarum Visitator & Provincialis in Oriente, in tractatu *de procuranda Salute* Japoniorum. In eo primò erroneæ Indorum & Orientalium sententiæ & monstrosæ opiniones refelluntur. Postea descendit ad argumenta, quibus persuadeat Christianorum legem, nimirum *quia* Christianorum lex sola salutem animarum præstat, *quia* est pura, ex omni parte recta, sancta, ab omni immunditia pe-

nitus

nitus abhorrens, aliena prorsus ab omni errore, tota undiq; perfecta, quæ docet homines omnem vitæ perfectionem & sanctitatem quia nihil habet stultum, falsum, imperitum, nō approbat quæ turpia sunt, prava & iniqua, quæ primæ & summæ veritati, sapientiæ & bonitati adversantur. quia inde ab initio conditi mundi cæpit, & immutabiliter in perpetuum durat: *quia* sæpius innumerabilium doctissimorum hominum judicio est approbata, sæpius discussa & tamen semper communi omnium confessione non solum recepta sed etiam laudata est: *quia* fuit sanctissimorum hominum ministerio promulgata, qui cum essent omni vitæ ac morū integritate clarissimi eam legem non prædicassent, nisi purissimam, sanctissimam & à Deo hominibus latam probè cognovissent: *quia* quantum ad ea dogmata, quæ ex Deo revelante tradita & accepta credit, fuit multorum virorum, quos misit Deus, vaticiniis prænunciata multo ante tempore, quam contigerint ea, quæ tempore procedente novit & credidit, ut id non solum Christianorum Historiæ sed etiam Judæorum & Gentium scripti libri prodiderunt. *quia* eam ultimus in terris prædicavit ipse Deus, & comprobavit innumeris editis miraculis: *quia* plurimi principes & Imperatores eam penitus abolere contenderunt, ne lex Gentilium è medio tolleretur, sed non potuerunt. His præmissis probat Dei unitatem, personarum divinarum Trinitatem, Creationem, Casum Angelorum & Hominum, Incarnationem filii Dei & alia mysteria. Non autem Ecclesiæ autoritatem ad religionis Mysteria proponenda & credenda adhibet. Vide *Anton. Possevinum* Jesuitam, l. 10. & 11. Bibl. sanctæ. Et fuisset id frustra facturus apud homines Ecclesiam ignorantes, aut æquè de ea ac Mysteriis scripturæ dubitantes. Idem docet etiam *Iohannes Baptista Montanus* Jesuita, qui in literis Anno Dom. 1564. ex Bungo urbe Japoniæ ad Michaelem Turrensem exaratis sic loquitur. *Evangelium longè latèque pervagatum est & sanè probatur in vulgus & ferè semper ad baptismum Dei beneficio aliqui perducuntur. Ratio autem nostra cum illis agendi est ejusmodi. Quæritur primum, quam sectam sequantur, deinde non modo quam ipsi profitentur, sed reliquæ omnes Iaponicæ sectæ multis rationibus ita confutantur, ut earum ope ac præsidio æterna salute se nunquam potiri posse omnes intelligant. Id ubi perceperunt, docentur,*

utrum esse rerum omnium opificem, qui ex nihilo cuncta procreaverit, eaque omnia fungi officio, præter angelos desertores & hominem, qui è primo illo statu sua culpa exciderit, in quo à Deo parente positus fuerat, idemque naturæ legibus rectæque rationi adversetur. Discunt deinceps, Deum esse trinum & unum, cujus imperium primus ille homo neglexerit. Et quoniam infinitæ Majestati ac numini facta injuria, infinitam quoque satisfactionem exgerit, secundam Trinitatis personam, cum genus humanum aliave omnia creata solvendo non essent, humanitatem nostram ultrò assumsisse atque induisse, ut idem homo simul & Deus innocentißimus pœnam sceleribus nostris debitam pretioso sanguine sua acerbáque morte persolveret, & nos in omnipotentis Dei gratiam restitueret. Hæc illis omnia clarè & copiosè explicantur, tum ad eorum quæstiones probè respondetur & omnis ex eorum animis, quoad ejus fieri potest, dubitatio tollitur, atque ut illis certæ precandi formulæ præceptaque Decalogi exposita sunt, promittunt, se barbaros ritus superstitionesque deposituros. Denique sacri baptismatis vis atq; mysteria ijsdem explicantur atque ita Christo dant nomina & baptizantur. Hæc Montanus.

Indis & Iaponiis addi possunt *Judæi & Mahometistæ*. Judæi per sedecim secula conspexerunt Ecclesiæ autoritatem: neque tamen commoti sunt illa, ut crederent Evangelio. Et quicunq; ex Judæis transiverunt ad Christianismum, non Ecclesiæ autoritate, sed consensu Evangelii cum Lege & rationum momentis aliis adducti sunt ad fidem. *Mahometistæ* non ignorant Christianorum Ecclesiam. Nec tamen commoventur ea, ut nostro credant Evangelio. Sic scribit *Nicol. Clenardus* in Epistola ad Jac. Latomum pag. 70. *Quo magis*, inquit, *dolenda est harum (Mahometicas intelligit) nationum jactura, quod homines alioqui satis pij tam turpibus opinionibus à Christo sint abstracti non alia de causa, nisi quod Mahometum credunt fuisse verum Prophetam, qui in Alcorano ut Trinitatem negat, sic penitus tollit religionis nostræ fundamentum. Negat Christum à Iudæis crucifixum, negat eum redemtorem humani generis. Atque hæc cum asseverent, ajunt sese credere Evangelio & V. Testamento, verùm & nos & Iudæos jam non habere libros incorruptos. Hic est disputationis cardo. utinam inveniam, qui partem laboris mecum velint pariter amplecti. Omnes aliæ disciplinæ suos habent Cultores, qui hanc viam sequeretur, quam ego concepi, nemo ut puto ha-*

ctenus.

ctenus extitit & est tamen aliquid stylo contra Mahumetistas pugnandum. Nec deterrere nos debet, quod novem seculis hæc secta duravit. Veritas non est obnoxia temporum injuriis, tam aliena ab isto damno, ut etiam filia dicatur temporis. Gloriam creatoris quondam tot annos obliteraverat antiquus hostis & tamen Apostolicis auspiciis conditor orbis decus suum sibi potenter arrogavit, profligata tot idolorum spurcitiâ. Rursum exorsus est hostis & gravis orbis incubator Mahometus, reparatorem humani generis obscuravit. Non est infirmior conditore reparator, proinde spes est, ut gens ista in viam aliquando redeat. quod & olim facile fuerat, si recta via restitissent hactenus nostri maiores & tam studuissent bellum gerere cum Numa, quam libenter arma capiunt adversus Tullum. dicam id clarius. Numa conficto congressu cum Dea Ægeria populum continuit. Tullus vim omnem posuit in armis. utrumque Mahometus expressit. Nam primo novas leges, quas stupidis ea tempestate Arabibus imposuit, ad Gabrielem angelum referebat, quo monitore sese omnia mentiebatur gerere, deinde postquam fraus in suspicionem venit, præsertim ob Iudæos circa Meccam incolentes, quibus odorandi nasus non deerat, robur induit Tullianum & quos arte capere non poterat, viribus in novum dogma subjugavit, atque ita deinceps propagata est hæresis, facto quidem dolis fundamento, gladiis tamen postea sic prolato imperio, ut victoriis ferme mundum occupaverit universum. quid enim est hodie Christianismus, si spectes gentes Mahometi? Nimirum quod olim Iudæa, comparata mundo reliquo. Quare formidandus est Cæsari Turca par armis aut forte potentior. Nam Tullus crescere poterat. Numa verò cum isto suo personato Gabriele tam est & hodie futilis, quam cum uno fugeret comite Abubecrin, eo qui postea bellum gessit cum Heracleo. nec enim secula multa naturam mendacij mutare potuerunt. Non est hæresis ejus generis ut numero crescat hæreticorum, & quamvis uno vel fortissimo milite prostrato, non continuo tota labascit acies. Tamen si verè concidit unus Arrianus, actum est de universa caterva. Itaque tam sumus hodie potentes adversus Mahometicum Gabrielem, quam eramus initio crescentis dogmatis. Quod si maiores nostros turpiter cessasse credimus, idem crimen in nobis quoque hæreat necesse est. Et quia sine linguarum præsidio bellum istud geri non potest, fere in seculum hoc nostrum delatum est, quod jam cæteris linguis floret præter unam Arabicam, nimirum ut novæ professionis autor Antimachometus mortem oppetat inter Mahometistas.

Consideratio Quarta.

QUARTO consideramus, *Augustinum loqui in illo suo pronunciato de Ecclesia primitiva, non autem ea, quæ primitivam in orbe secuta est.* Illud fatentur rursus Pontificii. Sic enim JOHANNES DRIEDO lib. 4. de Cath. dogmat. cap 4. pag. 563. *Manifestum est igitur Christi Ecclesiam esse antiquiorem scripturis Apostolicis atq; Evangeliorum libris: easdemq; scripturas non esse factas nobis authenticas sine autoritate Ecclesiæ testificantis.* Et rursum. *Ecclesia primitiva in tradendis & docendis Christanæ fidei mysteriis atque doctrinis majoris autoritatis fuit quam Ecclesia, quæ nunc est, & id quidem propter Apostolos, qui illius Ecclesiæ columnæ testimonium de his, quæ viderunt perhibere poterant. Et idcircò quamvis Ecclesia, quæ nunc est, in remittendis & retinendis peccatis, in sacramentis cæterisque Christi mysteriis dispensandis & in Ecclesiastica potestate semel Ecclesiæ Christo data sit æqualis autoritatis cum Apostolorum Ecclesia, Ecclesia tamen primitiva propter Collegium Apostolorum, ad tradendam novam fidei doctrinam majoris erat gratiæ, majoris autoritatis quam Ecclesia, quæ nunc est.* Et rursus. *Augustinus, cum dicit, Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret autoritas, intelligit de Ecclesia Catholica, quæ fuit ab initio Christianæ fidei, secundum seriem successionis Episcoporum crescens ad hæc usque tempora, quæ sanè Ecclesia complectitur collegium Apostolorum, qui Christum & miracula ejus videntes, doctrinamque fidei ex ore ejus audientes, scripturas Evangelicas tradiderunt: qui & spiritum intelligendi Prophetas, salutisque nostræ mysteria in visibilibus signis cœlitus acceperunt, corroborantes doctrinæ suæ veritatem prodigiis & miraculis.* Et rursus. *De Ecclesia, quæ nunc est, intelligendo eam ut præcisam seu abstractam, secundam & absque cohærentia in fide & moribus cum Ecclesiis, quæ fuerunt in prioribus seculis, diceret Augustinus, Ego hujus Ecclesiæ homines non agnoscerem esse Ecclesiam Christi, nisi doceret me quatuor Evangeliorum autoritas: ego Ecclesiæ non crederem, si aliud Evangelium nobis Evangelizaret, si Apostolorum doctrinam non doceret. Quemadmodum ait Paulus, etiamsi nos ipsi, aut angelus de cœlo Evangelizaverit vobis præterquam quod accepistis, anathema sit.* Et post. *Super omnibus, quæ ex scriptura sacra sunt manifesta,*

nifesta, prior, notior & vetustior autoritas ejusdem scripturæ est, quam ejus Ecclesiæ, quæ nunc est. Nam & hujusmodi Ecclesia, qua nunc est, quemadmodum in superioribus diximus, ex scripturis sacris quærenda est & cognoscenda. Et paulò post. Proinde Ecclesiam, quæ nunc est, ex scripturis cognoscimus apud eos esse, ubi est doctrina quatuor Evangeliorum. Nam Ecclesia hujus temporis innititur antiquæ fidei & antiquis scripturis atque traditionibus veteris Ecclesiæ Apostolicæ. Hinc *Stapletonus Professor Lovaniensis* in lib 9. Controvers. cap. 12. Driedonis sententiam tanquam suæ adversariam recitans, sic subjungit. *Hæc ille agens expressè de approbatione scripturarum.* & post. *Hæc Driedo, ut doceat, non Ecclesiam, quæ nunc est, sed solam illam Apostolorum idonem esse testem factorum & dictorum Christi & per consequens scripturæ, quæ illa continet.* THOMAS WALDENSIS, quem *Stapletonus* authorem nobilissimum vocat, de autoritate Ecclesiæ disputans, docensque, quantum intersit inter præsentem & primitivam Ecclesiam, quoad scripturarum consignationem, sic subjungit: *sufficiat ergo universali Ecclesiæ, pro præconio potestatis suæ modernæ quod olim hoc fecerit: aitque hoc sapuisse Augustinum cum diceret, Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret autoritas. Quod ergò scripturæ nunc leguntur, habenturque pro certis, id fieri potestate primitivæ atque Apostolicæ Ecclesiæ, cujus gloria quasi per cujusdam majestatis imperium volavit ad posteros.* Tom 1 lib. 2 art 2. cap. 21. JOHANN GERSON Cancellarius Parisiensis lib. de Vita Spirituali Animæ Lect 2. Corol. 7. *Et hic aperitur* inquit, *modus intelligendi illud Augustini, Evangelio non crederem,* nisi me autoritas Ecclesiæ *compulisset:* (NB. ita explicat, commoveret. Usitatum enim esse Augustino istum dicendi modum, crederem pro credidissem, commoveret pro commovisset, palàm est ex aliis Augustini locis, l 2. Confess. c. 8.) *ibidem enim Ecclesiam sumit, pro primitiva congregatione fidelium eorum, qui Christum viderunt, audierunt & sui testes extiterunt.* Accedit huc testimonium ALFONSI SALMERONIS unius ex X. primis patribus societat. Jesu Tom. 1. Comment. in Evangel. prolegom. 31. pag. 113. *Non negamus Apostolos oculis vidisse & manibus contrectasse, sed hæc nobis hodie fidem non faciunt indubiam, nisi quatenus ab Ecclesia illa visio Apostolorum & contrectatio comprobata est. Quamobrem Evangelistæ nunc no-*

bis fidem non faciunt, satis est eos fidem amplam ipsi Ecclesiæ ab initio fecisse. Persuaserunt autem illi Ecclesiæ duobus modis. Primò quidem per evidentiam rerum, quæ tanquam notæ ac manifestæ omnibus fidelibus negari, nisi impudenter, non poterant. Deinde per approbationem Evangelij B. Marci factam à Petro & Evangelij Lucæ factam à Paulo; quos Petrum & Paulum confirmatos esse in gratiâ & idcircò in approbatione Evangelij errare non posse sciebat Ecclesia. Postquam autem Ecclesiæ facta est fides abundantissima, alio non est opus adhoc, ut nos firmiter credamus propter illos 4. *Evangelicæ Historiæ scriptores, quos nos non novimus, verum propter Ecclesiam universam, in qua existunt innumerabiles hominum Myriades, qui idem uno sensu testificantur. Est autem hæc nostra Ecclesia eadem numero per continuationem perennem, quæ tunc erat, quando facta est sibi plenissima fides de veritate quatuor Evangelistarum.* & post. *Nobis verò & Ecclesiæ nostræ constat, Evangelistas non nisi vera scripsisse propter Ecclesiam præcedentem, quæ usque ad primitivam continuatur.* Et post. *Vnde Augustinus in Epistola quam vocant fundamenti decantatam illam sententiam pronunciavit.* Ego Evangelio &c. Statuit igitur Salmeron, fidem amplam, quam Apostoli ab initio Ecclesiæ fecerunt, facere nobis fidem de Evangeliis. Consentit PETRUS à SOTO Dominicanus SS. The. Professor in defensione Catholicæ Confessionis contra Brentium pag. 58. cap. 48. *Priusquam ulla scriptura Novi Testamenti esset, Evangelij fides erat in cordibus, ad quam scripturæ ipsæ Apostolorum & Evangelistarum exactè & diligenter ad illam certissimam regulam examinatæ receptæ sunt ab ipsis viventibus Apostolis eorumque discipulis. & non solum ab his qui scripserunt & quæcunque tunc aut deinceps scripta prodierunt, quæ scimus non fuisse pauca de Historia hac Evangelica, non eâ fide, quæ oportebat, rejecta sunt; etiamsi nomine probatissimorum autorum circum ferrentur. ut Evangelium Thomæ, Andreæ, Nicodemi & alia multa, de quibus primis illis temporibus, cum recens esset memoria Apostolicæ prædicationis, & conversationis eorum, quorum nomini editi libri tribuebantur, facile potuerunt haberi certissima testimonia. Hac igitur ratione omnes, quæ in autoritate sunt scripturæ, agnitæ sunt ab Apostolis & primis Ecclesiæ Doctoribus, eodem Spiritu sancto quo scriptæ erant in eis agente & fide certissima commendatæ posteritati, tanquam à spiritu sancto editæ, quæ*

omnia videmus apertè ab illa prima prædicatione robur habere. Vnde Augustinus intrepidè & veracißimè dicit, Ego verò Evangelio &c. Hæc *Petr. à Soto*, qui fatetur autoritatem Ecclesiæ, quæ commovet ad credendum Evangelio, esse autoritatem viventium Apostolorum & eorum discipulorum: esse eam Ecclesiam, in qua recens est memoria Apostolicæ prædicationis, esse autoritatem primorum Ecclesiæ Doctorum, immediato spiritus sancti motu gubernatorum. Neque verò prætermittenda est GUILIELMI OCCAMI Minoritæ, qui vixit circa Annum Christi 1320. in locum Augustini commentatiuncula: parte 1. Diaolgor. lib. 1. pag. 2. edit. Parisin. cap. 4. Autoritas B. Augustini quæ adducitur, ut nonnulli dicunt, frequenter à multis contra intellectum textus Augustini allegatur. Et post varias acceptiones vocis Ecclesiæ, subjungit. *Ecclesiæ nomen pro tota congregatione fidelium Catholicorum sive viventium, sive mortuorum accipit Augustinus, cum asserit quod non crederet Evangelium, nisi eum Autoritas Ecclesiæ compelleret. Ista enim Ecclesia scriptores Evangelij & omnes Apostolos comprehendit. Quare ex autoritate Augustini sanè intellecta inferri non potest, quod magis sit credendum summo Pontifici Canonum Conditori, quam Evangelio. Et per consequens, probari non potest, quod major fides sit habenda sacris Canonibus, quam Evangelio sancto. Conceditur tamen, quod magis credendum est Ecclesiæ, quæ est multitudo Catholicorum omnium, qui fuerunt à temporibus Prophetarum & Apostolorum usque modo, quam Evangelio, non quod de Evangelio sit qualiter dubitandum, sed quod totum majus est sua parte. Ecclesia ergo quæ majoris autoritatis est, quam Evangelista est illa Ecclesia, cujus autor Evangelij pars esse dignoscitur. Non est autem mirum si major est autoritas totius, quam partis. Et ideò major est autoritas totius congregationis comprehendentis Evangelistas & omnes alios orthodoxos usque ad hæc tempora quam unius vel etiam plurium personarum congregationis ejusdem.* Ex quo Occami loco, quanquam Occamus autoritatem Ecclesiæ etiam ad præsentem Ecclesiam trahat, intelligitur tamen præsentem in se & per se nihil autoritatis habere, sed à congregatione Prophetarum & Apostolorum eam dependere. *Probent verò Pontificii, se in congregatione Prophetarum & Apostolorum esse.* JOHANN. DE TURRECREMATA Cardinalis Sabinus Theol.

& JCtus

& JCtus eximius (teste Bellarmino de Script. Eccles. pag. 418.) 1. parte decreti dist. 9. cap. Noli meis. ita explicat Augustinum. *Cum quæreret, utrum Doctoribus Ecclesiæ, sive ipsi Ecclesiæ sit magis credendum, quam Canonicæ scripturæ, pro parte affirmante objectum fuisse observavit, videri scripturam Canonicam accipere autoritatem ab Ecclesia, idque probari ex hoc Augustini loco. Respondet, Ecclesiam dare autoritatem scripturæ dupliciter intelligi posse, vel ut scriptura habeat autoritatem ab Ecclesia, vel ut Ecclesia det scripturæ autoritatem declarativè, quia scilicet fidelibus declararet, hanc esse scripturam sacram. Augustinum igitur sanè intelligendum non priori, sed posteriori sensu, quasi dixerit, sibi ignotum fuisse, utrum Evangelium istud pertineat ad scripturam sacram, nisi Ecclesia instinctu Spiritus Sancti hoc declarasset.* MARSILIUS DE PADUA in defensore Pacis part. 2. cap. 19. cum dixisset, videri Augustinum hoc loco humanam autoritatem præferre divinæ scripturæ autoritati, sic distinguit, aliud esse, credere scripturam & sermonem aliquem esse traditionem alicujus, seu ab aliquo factum, aliud credere, illam esse veram, utilem, vel nocivam, observandam aut omittendam. Et posse ex hominum testimonio credi horum unum ut tamen alterum non credatur. Augustini igitur verba posse intelligi, vel ut dixerit, sese credidisse scripturam esse Evangelium, id est, Christi traditionem ex testimonio Ecclesiæ Catholicæ, quamvis verum continere principalius crediderit ex miraculo, vel revelatione, vel fide qua Christum credidit esse verum Deum & per consequens omnem ejus traditionem esse veram atq; servandam. Vel ut utrumque illud testimonio Ecclesiæ Catholicæ primum acceperit, & crediderit. Sed priorem sensum meliorem esse & magis convenire sententiæ Apostoli Gal. 1. Non enim, inquit, dicta Christi sive Dei vera sunt causaliter, eò quod eisdem testificetur Ecclesia Catholica vero testimonio, sed testimonium Ecclesiæ causaliter verum est, dum dicit dicta Christi vera, propter veritatem dictorum Christi. Tandem subjungamus PETRUM DE ALLIACO Card. Camerac. lib. 1. Sentent. quæst. 1. art. 2. *Per autoritatem Augustini* inquit, *non habetur, quod ipse crediderit Evangelio, per autoritatem Ecclesiæ tanquam per principium Theologicum, ex quo Evangelium Theologicè probetur esse verum, sed solum tanquam ex causa movente*

movente ipsum ad fidem Evangelij, ac si ipse aut alius dixisset, Non crederem Evangelio, nisi me Ecclesiæ sanctitas & Christi miracula commoverent, in quo dicto licet fidei Evangelij causa aliqua aßignetur, non tamen aliquod principium prius, cujus fides causa sit, ut Evangelio credatur.

Consideratio Quinta.

QUINTO consideramus, *ut probemus Augustinum de impellente extrinsecus causâ secessus sui à Manichæismo & transitus ad Christianismum loqui, nos phrasin Africis scriptoribus frequentem diligenter expendere.* DURÆUS, STAPLETONUS, HAYUS & alii scriptores Pontificii, quia Augustinus ait *crederem, commoveret*, concludunt, Augustinum de statu suo Catholico loqui, in quo nollet credere Evangelio, nisi tum actu commoveretur autoritate Ecclesiæ. Nos verò hunc sensum tradimus. Ego jam non crederem, neq; in principio credidissem Evangelio, nisi fuissem commotus autoritate & splendore Ecclesiæ, præ sordida & inquinatâ, adeòq; infami Manichæorum sectâ effulgentis & efflorescentis. Unde sequitur, de Ecclesia adhuc purâ, adhuc nullis inquinamentis sordida, adhuc in splendore genuino positâ Augustinum loqui. Sequitur etiam, fieri posse, ut in collatione duarum Ecclesiarum diversa sentientium ea eligi possit, quæ in autoritate & splendore posita est. Non verò sequitur hoc debere esse perpetuum, ut quis autoritate & splendore ad fidem & assensum commoveatur. Neque hoc sequitur, Augustinum immediatè per Autoritatem Ecclesiæ ad fidem commotum fuisse. Neq; enim quod commovet ad aliquid immediatè illud efficit. Et si Augustinus fidem adhibuit Evangelio, immediatè propter autoritatem Ecclesiæ, non sequitur, omnes, qui fidem Evangelio adhibent, immediatè Ecclesiæ autoritate commoveri. Neq; sequitur, solam Ecclesiæ autoritatem commovere debere & commovisse Augustinum ad credendum Evangelio. A *nisi* enim ad *solum* non valet consequentia. Quando enim dico, Non cresceret aliquid è terra, nisi sol radiis suis terrarum orbem commoveret, non sequitur ergo solius solis radiis suis terrarum orbem commoventis operatio est causa rerum è terra crescentium. Africanos autem

ſcriptores frequenter tempus imperfectum, pluſquam perfecti loco uſurpare ſequentibus exemplis docetur, quæ Collegit *Chamier* Tom.1. Panſt. l.7. cap.10. n.9. *Auguſtinus* lib.2. Conf. cap.8. inquit. Si tunc amarem poma illa, quæ furatus ſum & eis frui cuperem poſſem etiam ſolus ſi ſatis eſſet committere illam iniquitatem, qua pervenirem ad voluptatem meam, nec cõfricatione conſociorum animorum accenderem pruritum cupiditatis meæ. Hic negare nemo poteſt, uſurpari & amarem pro amaviſſem & cuperem, pro cupiviſſem & poſſem pro potuiſſem ac reliqua ſimiliter. Retractat. l.1.cap. 3. Nec tamen iſto nomine nos uteremur, ſi jam ſatis eſſemus literis Eccleſiaſticis eruditi & cap.23. Profectò non dicerem, ſi jam ſcirem etiam ipſam fidem inter Dei munera reperiri. Confeſſionum lib.6. c.10. Quia re vera ſi ille faceret, iſte decederet. & c.11. utiq; dares, ſi gemitu interno pulſarem aures tuas, & fide ſolidâ in te jactarem Curam meam. Contra Fauſtum l.22. c.79. Legunt ſcripturas Manichæi, à neſcio quibus ſutoribus fabularum ſub Apoſtolorum nomine ſcriptas, quæ ſuorum ſcriptorum temporibus in autoritatem Eccleſiæ recipi mererentur, ſi ſancti & Docti homines, qui tunc in hac vita erant, & examinare talia poterant, eos vera locutos eſſe cognoſcerent. Et l 8. c. Ipſe Apoſtolus Paulus poſt adſcenſionem Domini de cœlo vocatus, ſi non inveniret in carne Apoſtolos, quibus communicando & cum quibus conferendo Evangelium ejuſdem ſocietatis eſſe apparet, Eccleſia illi omninò non crederet. De verbis Domini ſermone 60. Chriſtus niſi corporaliter abiret à nobis, ſemper ejus corpus carnaliter videremus. ſermone 48. Si enim terrerentur & non docerentur, improba quaſi dominatio videretur. Sed rurſus ſi docerentur & non terrerentur, vetuſtate conſuetudinis obdurarentur & ad capeſſendam viam ſalutis pigrius moverentur. Denique liber Auguſtini de duabus animabus ita ſcatet his phraſibus, ut penè totus eo ſit ſtylo compoſitus. Sic Optat. Milevitanus lib. adv. Parmenian. 1. Pax ſi ut data erat integra inviolataque permanſiſſet nec ab autoribus ſchiſmatis turbaretur. Fulgentius ad Venantiam Ep.7. Si diuturnitas peccatorum Dei vinceret miſericordiam, non in ætate mundi noviſſima Chriſtus veniret, ut peccatum mundi pereuntis auferret. Sic Apulejus Maldaurenſis Afer in Metamor-

morphos. lib. 7. pag. 277. Sic asseverans nihil quicquam promovebat. nam collo constrictum reducunt eum pastores molesti contra montis illius silvosa nemora, unde lignum puer solebat egerere. Nec uspiam ruris reperitur ille, sed planè corpus ejus membratim laceratum multisq; dispersum locis conspicitur. Quam rem procul dubio sentiebam ego illius ursæ esse dentibus profectam, & hercules dicerem, quod sciebam, si loquendi copia suppeditaret. & p. 7, 78. An ipsum quidem sæpius incursare calcibus potuisti, moriturum verò simili alacritate defendere nequit? Certè dorso receptum auferres protinus & infesti latronis cruentis manibus eriperes postremum deserto dejectoq; illo conservo, Magistro, Comite, Pastore, non solus aufugeres. Est igitur phrasis Africis usitata per imperfectum plusquam perfectum exprimere.

Consideratio Sexta.

SEXTO consideramus, *etiamsi concedamus, Ecclesiam hodiernam, etiam Pontificiam aliquatenus hominem posse commovere ad credendum Evangelio, non propterea tamen in ipsis dogmatibus Ecclesiæ Pontificiæ credendum esse.* Nam *aliud* sunt dogmata, *aliud* liber proponens dogmata. *Librum tradentem dogmata* incontaminatum & incorruptum de manu in manum tradere potuerunt. Quia liber ille tradens dogmata longè lateq; notus fuit & plurimorum etiam extra Ecclesiam Pontificiam existentium manibus tritus. Itaq; si quid in libro fuisset corruptum, ex aliis exemplaribus extra Pontificiam Ecclesiam inventis id & deprehensum & correctum fuisset. *Dogmata* verò ex libro & variis libri detorsionibus corrumpi & alia introduci poterant, quæ libro repugnarent. Apparet hoc in Ecclesia ante Christum. Christiana Ecclesia credidit Judæorum Synagogæ tradenti libros Mosaicos, Propheticosque in Hebræo Codice collocatos. Hinc Rom. 3. dicuntur ipsis credita τὰ λόγια τοῦ θεοῦ. In quæ verba ita scribit. BEN. PERERIUS Jesuita. pag. 206. *Hæc vox secundum Hesychium significat numinum responsa & vaticinia & oracula, secundum quam notionem nomen eloquiorum referendum esset ad Prophetarum vaticinia LXX. tamen Interpretes, quos libenter & fre-*

quenter Paulus imitari solet, vocem illam Græcam universaliter usurpant
pro ut pertinent ad universam legem, tum aliis in locis, tum sæpenumero in
*Psalm.*118. *ubi crebra & paßim obvia est ejus vocis usurpatio. Quanquam*
in Psal. 18. *ea vox tribuitur etiam nostris eloquiis. Eloquentia itaque Dei*
significant scripturam V. Testam. quæ docent, quibus in rebus verus Dei cul-
tus sit positus. Item continent Magnificas Dei promißiones nominatim datas
Iudæis. Ambrosius & Theodoretus per eloquia Dei intelligunt legem Mosis,
Photius Magnifica Dei dona & beneficia. Quidam divinas promißiones à Deo
datas Abrahæ & semini ejus. Nonnulli domestica Dei responsa, vel Propheta-
rum vaticinia. Multi omnia hæc simul. Cornel. à Lapide Jesuita, pag. 56.
Optimè S. Ambrosius primum, inquit, id est præcipuum primarium & unum
è primis est quod Deus illis tanquam populo præ aliis selecto & circumcisio-
ne distincto, quasi depositariis & custodibus credidit velut depositum, elo-
quia sua, id est, ut S. Chrysostomus & Theodoretus, legem suam, & ut alij scri-
pturas, in iisque promißiones & pacta divina futurorumque, Mysteriorum
prædictiones. Hæc enim sunt eloquia vetera Dei. Dixit hoc prius *Augu-*
stinus Epist. 19. singulari Dei cura & providentia contigisse, ut Judæi
debellati, subversi & perpetuò exagitati, quamvis animis odio in-
flammatis Christum persequerentur, scripturas tamen sacras con-
servarent, ut Evangelii Christi veritas & claritas apud omnes reful-
geret, si hostium infestissimorum testimoniis valentissimis confir-
maretur. Et lib. 16. de C. D. cap. 37. *Christus ex ore Iudæorum quamvis*
errantium, sed tamen legem Prophetasq; cantantium benedicitur, id est, ve-
raciter dicitur. & l. 12. contra Faustum cap. 23. *Quid est genus Iudæa, nisi*
quædam scriniaria Christianorum bajulans legem & Prophetas ad testimo-
nium assertionis Ecclesiæ. Si autem Judæorum Ecclesiæ credidimus, aut
credidit primitiva Ecclesia tradenti libros V. Testamenti, neq; ta-
men eorum dogmata, quæ quidem à traditis libris aliena dissemina-
runt, recipit, utique & nos à Pontificiorum Ecclesia recipere po-
tuissemus libros V. & N. T. neque tamen coacti fuissemus recipe-
re ea, quæ præterea contra sacrarum literarum autoritatem in Ec-
clesiam Catholicam invexit.

Quanquam in hoc *magna* sit *diversitas inter Iudæorum & Ponti-*
ficiorum Ecclesiam, quod ante reformationem Christi, qui Pharisais-
mo, Sadducæismo & aliis sectis ejectis veram Ecclesiæ faciem reddi-

it, di

dit, nulli alii præter Judæos fuerint, qui V. T. libros custodire debito modo potuerunt; ante reformationem Lutheri verò, qui Papismo ejecto puritatem Evangelii asseruit, plurimæ aliæ fuerint Ecclesiæ, à quibus purum & intemeratum verbum Dei accipere potuissemus. Ut enim Græcorum, Armeniorum, Moscovitarum, & aliorum Orientis populorum Ecclesias diligentes depositi sacri conservatrices prætermittamus, fuerunt inter ipsos Pontificios WALDENSES SIVE PAUPERES DE LUGDUNO qui & *Albigenses* & *Thaboritæ* vocantur à Pontificiis, de quibus refert *Flacius* in Catal. testium Veritatis ex summa *Reinerij Monachi* hoc modo. *Inter omnes sectas, quæ sunt vel fuerunt non est perniciosior Ecclesiæ quam pauperum de Lugduno tribus de causis. Primò quia diuturnior. Quidam enim dicunt, quod duraverit à tempore Sylvestri, alij à tempore Apostolorum deducunt. Secundò, quia generalior ferè enim nulla terra est, in qua hæc secta non serpat. Tertiò quod omnes aliæ cum immanitate in Deum horrorem inducant, hæc sola Waldensium seu Leonistarum magnam habet speciem pietatis, quod coram hominibus justè vivant & benè omnia de Deo & omnes articulos credant, qui in Symbolo continentur, solam Romanam Ecclesiam blasphemant, & oderunt, dicentes eam esse Ecclesiam malignantium, & meretricis, quæ sedet super bestiam in Apocalypsi, & quod defecit sub Sylvestro, cum venenum temporalium infusum est Ecclesiæ. Dicunt etiam Papam esse caput omnium errorum, vocantes cæcos prælatos, religiosos Pharisæos, hos dicunt plenos superbia & avaritiâ &c.* Qui ex illis in Galliis Merindoli, Agriæ, Costæ & vicinis urbibus habitabant, ediderunt Confessionem suam eamq; Francisco Regi exhibuerunt, in qua hi continentur articuli 1. Solis sacris literis in negocio salutis credendum. 2. Sacram scripturam continere omnia ad salutem necessaria. 3. Unum esse Mediatorem, sanctos nequaquam invocandos. 4. Purgatorium figmentum esse. 5. Duo tantum esse sacramenta Baptismum, Communionem. 6. Traditiones esse rejiciendas, 7. Primatum Papæ negandum, 8. Communionem sub una vitandam. 9. Romanam Ecclesiam esse Babylonem mysticam 10. Indulgentias esse rejiciendas. 11. Conjugium sacerdotibus esse permittendum. 12. Verbum Dei audientes esse Ecclesiam. Extat fratrum *Waldensium confeßio, Oratio excusatoria & protestatio* ad sereniss.

Vladislaum Vngariæ Regem, quam circa Annum 1500. ediderunt. Placet verò ſubnectere, quæ ex libro vetuſto manuſcripto, *Æneâ Sylvio*, *Chronico Hirſaugienſi*, *Nauclero*, *Rob. Gaguino* recenſent *Hiſtor. Magd. autores* T. XII. in Galliis, *ajunt*, circa annum Domini 1160. in cœtu confitentium nomen Domini Petrus quidam Waldenſis (alii Waldum nominant) ab oppido Waldis ſito in Marchiâ Galliæ, unde erat oriundus. ſic appellatus præcipuè pietate excellebat, Erat autem civis Lugduni, eruditione, ſapientiâ & opibus minimè obſcurus. Ab hoc igitur viro toti cætui illorum confeſſorum nomen Waldenſium tanquam ſectæ tributum eſt. Pauperes verò de Lugduno dicti ſunt ab eventu: quia erogatis facultatibus in pauperes, & ab Antichriſto Romano ejuſq; mancipiis ſuis ſedibus atq; facultatibus excuſſi atq; exuti in paupertate gravi coacti ſunt oberrare, propriiſq; manibus victum quæritare. Leoniſtæ deniq; cognominati ſunt: quia Lugdunum vulgo Leon appellatur, ubi hæc diſceſſio à Pontificiorum cohorte facta eſt. Neque vero recens ea ſecta eſt eaque primum ætate nata: ſed ipſimet Pontificii ſcriptores ultrò fatentur, ea temporibus Sylveſtri imò ante ipſum quoque Apoſtolorum ſeculo extitiſſe. Cum enim iſti cives veræ Eccleſiæ Chriſti fuerint, non immeritò hoc teſtimonium antiquitatis ipſis, etiam ab hoſtibus adſcribitur. Eccleſia enim DEI perpetua eſt, licet aliàs ſit illuſtrior, aliàs obſcurior. Occaſionem vero ejuſmodi annotant ſcriptores: Convenerant Lugduni optimates nonnulli, de negotiis ſuis conferentes: ibi unus ſubitò collapſus in conſpectu reliquorum omnium expirat. Hunc repentinum caſum Petrus Waldenſis, qui inter eos non poſtremæ authoritatis erat, videns, vehementer conſternatus eſt, deq; fragilitate vitæ humanæ cœpit aliquanto attentius magiſq; ſeriò quam ante cogitare. Animum igitur ab immodico ſtudio rerum terrenarum abducens, ſacra Biblia ſtudioſius quam ante legit: alioſque ſimiliter hortari cœpit, ut non totos ſeſe curis rerum mundanarum ac fluxilium dederent: ſed ad cœleſtes atque æternos theſauros potius aſpirarent ſinceramq; religionem ſectarentur, quæ in certis prophetarum & Apoſtolorum monumentis extaret. Cumq; tanquam homo eruditus & timens DEUM intelligeret, Pontificios præſules, avaritiâ & ambitione ebrios, non tantum

tum

tum negligere doctrinam in sacris literis traditam, sed plerosq; fidei articulos fœdissimè depravare, traditionibus humanis miseras conscientias, cognitione peccatorum territas crudeliter vexare, crucifigere atq; occidere, prophanare Sacramenta Christi, idololatrias sibi quæstuosas urgere, inculcare tantùm conciliorum placita & hominum scripta: ideò suasit omnibus ut Biblia potius legerent, atq; ex ipso fonte libentius haurirent aquam salutarem, quam ex hominum impuris lacunis: soli enim Biblicæ scripturæ, tot divinis testimoniis ornatæ atq; confirmatæ, conscientias tuto inniti posse. Hæc domi suæ familiæ, tanquam pius paterfamiliàs instillat, & catechismum exponit, amicos quoq; & familiares de iisdem rebus modestè, piè, graviter commonefacit. Et cum antithesis ostendenda esset, juxta Pauli institutionem Tit. I. quantis tenebris Pontificii doctores summa fidei Christianæ involvant, animasq; innumeras veluti fures & latrones, suis humanarum traditionum vinculis torqueant atq; strangulent, veluti digito indicat. Ubi enim vera fides per Spiritum sanctum accensa est, ibi velut exoriens Sol auroram atque diurnam lucem ex præcepto Christi fundit, aliisque viam salutis commonstrat. Et Psalmus inquit: Credidi propter quod locutus sum. Gratissima autem fuit multis ista veritatis divinæ tam luculenta patefactio: nam Biblica doctrina jam longo tempore rara & cara in eo loco fuerat. Omne enim tempus sacrifici & id genus homines in templis boatibus sonoris & Missarum enumerationibus consumebant. Conciones aut nullæ, aut futiles de sanctis eorumque miraculis ut plurimum valdè ineptis & ludicris habebantur. Christi meritum, in quo omnis consolatio & salus anxiis peccatoribus reposita est hominum meritis obruebatur, & magna ex parte oblivioni tradebatur. Et ut uno verbo dicam religio universa mera erat quæstura episcoporum ex sacerdotum, ubi tantùm illæ voces sonabant: Da, affer, expende. Cuinam? Prælatis Ecclesiæ. Complures igitur ad Petrum Waldensem virum doctrinâ & pietate eximium accedebant, de religione cum ipso sollicitè conferentes, audientesque quomodo domesticam Ecclesiam in Catechismo institueret, quomodo DEUM invocarent & celebrarent. Indies autem majori numero veritatis discendæ gratia ad eum confluxerunt,

extremâ

extremâ adacti necessitate. Nam in templis uti diximus, explicationes articulorum fidei ex Prophetarum & Apostolorum fontibus nullæ fiebant. Ut autem cuivis esset potestas cognoscendi fundamenta salutis nostræ, Petrus uti erat doctissimus, Biblicos libros in vernaculam Galliæ linguam transfundit ac potestatem describendi cuilibet præbet. Multi igitur magno studio sacros libros evolvunt, & scrutantur rerum amplissimarum fundamenta. Addunt quidam, eum & Patrum quædam scripta in vulgarem linguam transtulisse: Invidiâ pontificii Petrum Waldensem indoctum nominarunt, quia esset idiota. Hanc succrescentem Christi Ecclesiam Diabolus diu tolerare non potuit. Emanat igitur res ad sacerdotes & Episcopos. Audiunt enim sacerdotes à laicis, uti vulgo nominantur, citari sacras scripturas, reprehendi impios cultus, idque tantâ soliditate & dexteritate, ut non haberent indocti missifices quod opponerent. Conclamatur igitur ad arma, ne quæstuosi ipsorum cultus in discrimen veniant. Inhibetur Petro sine omni disputatione, aut institutione, tantum pro authoritate Ecclesiasticorum, ne deinceps domi suæ capita doctrinæ Christianæ tradat, neve quenquam ad auscultationem admittat, severissimeq; mandatur, ne cultus Ecclesiasticos ullâ ratione improbet, ni velit majores sibi pœnas accersere. Petrus cum nullâ authoritate sacrosanctæ scripturæ ullius erroris aut temerarii facti convinceretur, obtendit, cuilibet mandatum esse, vocem Christi sequi, scrutari scripturas sacras & fugere idololatriam. Omnes præterea Christianos esse sacerdotes, & parentum hoc officium esse, ut domi suos in pietate erudiant, præsertim cum nullæ aut impuræ publicæ conciones habeantur. Jam & hoc præceptum extare in sacris, ut quilibet patiatur fonticulum suum emanare foràs. Se nullius erroris, nullius facinoris sibi conscium cum illis, qui Biblica scripta diligenter evolvant & discant. Deniq; ostendit, eam postulationem spiritualium iniquam esse, ac oportere Deo magis obedire, quam hominibus. Sed ordine propositiones, quas asseruerunt recitabimus I. In articulis fidei summam esse sacræ scripturæ autoritatem, eamque ob causam esse normam judicandi, ut quicquid cum verbo DEI non congruat, meritò sit repudiandum & fugiendum: Patrum & conciliorum dogmata eatenus probanda,

da,

da, quatenus cum verbo DEI conveniunt: Sacrarum ſcripturarum lectionem & cognitionem omnibus hominibus tum laicis tum ſacratis viris, liberam & neceſſariam eſſe: imò potius prophetarum & Apoſtolorum monumenta legenda eſſe, quam hominum commenta. II. Duo eſſe Eccleſiæ Chriſti Sacramenta Baptiſmum & Cænam Domini. III. Utriuſq; ſpeciei uſum pro ſacerdotibus & laicis à Chriſto inſtitutum eſſe: Miſſas eſſe impias, ac furorum eſſe pro mortuis miſſificare. IV. Purgatorium eſſe figmentum hominum, credentes enim in vitam æternam: non credentes autem in damnationem æternam venire. V. Sanctorum mortuorum invocationes & cultum eſſe idololatriam. VI. Romanam Eccleſiam eſſe meretricem Babylonicam: Papæ & Epiſcopis non obtemperandum, quia ſint lupi Eccleſiæ Chriſti. Papam non habere primatum ſuper omnes Eccleſias Chriſti, nec habere poteſtatem utriuſq; gladii: Eccleſiam Chriſti eſſe, quæ ſyncerum Chriſti verbum audiat, & Sacramentis ab ipſo inſtitutis utatur, ubicunq; locorum ea exiſtat. VII. Vota eſſe hominum figmenta, Sodomam nutrientia. Tot ordines eſſe characteres Beſtiæ: Monachatum eſſe cadaver fœtidum. VIII. Templorum tot ſuperſtitioſas dedicationes, memorias mortuorum, benedictiones creaturarum, peregrinationes, tot coacta jejunia, tot feſta ſuperflua, perpetuos iſtos hominum in doctorum boatus, ac reliquarum ceremoniarum obſervationes, verbi doctrinam & inſtitutionem manifeſtè impedientes, eſſe inventiones diabolicas. IX. Conjugium ſacerdotum eſſe licitum & neceſſarium. Hæc ex antiquo manuſcripto libro proferimus. Hactenus illi.

JACOBUS DE RIBERIA in ſuis de Toloſa collectaneis, de Waldenſibus in hæc verba ſcribit: Waldenſes ſive Lugdunenſes diu primum locum tenuiſſe in Galliâ Narbonenſi, Albienſi, Ruthenâ Cadurcenſi, Agennenſiq; diœceſibus, celebrior eſt fama, eoque tempore nullo aut parvo in pretio fuiſſe eos, qui Sacerdotes ſe, Epiſcopos & miniſtros Eccleſiæ dici volebant. Indigni enim omnes & rerum omnium ignari penè cum eſſent, facilè illis fuit eruditione & doctrinâ præcellentiſſimis, primas in populo partes ſibi vendicare: Ex quibus cum præ cæteris Waldenſes acutius de religione diſputarent, admittebantur ſæpè à Sacerdotibus publicè docendi

 cauſa,

causa, non quod eorum sententiæ sibi probarentur, sed quod Waldensibus ingenio pares non essent. Tanto in honore erat hujusmodi hominum secta, ut & ab omnibus oneribus haberent immunitatem, & multo plura ex morientium testamentis consequerentur, quam Sacerdotes. Hostis si fuisset hæretico viæ itinerisque comes, ab hoste non lædebatur, salus omnis hominum in hæreticorum tutela esse videbatur.

ÆNEAS SYLVIUS in historiâ Bohemica cap. 35. eorum doctrinam in hæc capita contrahit; Romanum Præsulem reliquis Episcopis parem esse. Inter sacerdotes nullum discrimen: Presbyterum non dignitatem sed vitæ meritum efficere potiorem. Animas è corporibus excedentes aut in æternas è vestigio pœnas mergi, aut perpetua consequi gaudia. Purgatorium ignem nullum inveniri. Vanum esse orare pro mortuis, & avaritiæ sacerdotalis inventum. DEI & sanctorum imagines delendas. Aquarum, palmarum benedictiones irridendas. Mendicantium religiones malos Dæmones invenisse. Sacerdotes pauperes esse debere, solâ contentos Eleemosyna: Liberam cuiq; prædicationem verbi DEI patere. Nullum capitale peccatum, quantumvis majoris mali vitandi gratia, tolerandum. Qui mortalis culpæ reus sit, (crimen intelligunt) eum neq; seculari, neq; Ecclesiasticâ dignitate potiri, neq; parendum ei, confirmationem, quam chrismate Pontifices inducunt, & extremam unctionem inter Ecclesiæ sacra minimè continere. Auricularem Confessionem nugacem esse, sufficere quemq; sua DEO in cubili suo confiteri peccata: Baptisma fluvialis undæ, nulla interjecta sacri olei mixturâ recipiendum. Cæmiteriorum inanem usum, quæstus causa repertum: quacunq; tegantur tellure humana corpora nil distare. Templum DEI latè patentis ipsum mundum esse: coarctare majestatem ejus, qui Ecclesias monasteria, oratoriaque construunt, tanquam propitior in eis divina bonitas inveniatur. Sacerdotales vestes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patinas vasaq; hujusmodi nil habere momenti. Sacerdotem quocunque loco, quocunq; tempore sacrum Christi corpus conficere posse, petentibusque ministrare: sufficere si verba Sacramentalia tantùm dicat. Suffragia sanctorum in cœlis cum Christo regnantium

tium

tium frustra impetrari, quæ juvare non possunt. In Canonicis horis cantandis dicendisq; frustra tempus teri. Nulla die ab opere cessandum, nisi quæ Dominica nunc appellatur: celebritates sanctorum rursus rejiciendas. Jejuniis quoque ab Ecclesiâ constitutis nihil inesse meriti. Quæ quidem dogmata, autor qui propius inspexerat, pro odio, pro in eos toto capite fervet, suis verbis invidiosè satis exponit: ita tamen ut dextrè exposita à verâ doctrinâ minimè degenerent. At illa enucleatius in suâ confessione proponunt. Saltem eos ab illorum calumniis asserunt, qui errores eis impingunt, contra debitum Magistratibus obsequium, contra legitimum jusiurandum, aliosq; nonnullos, de quibus ipse Rainerius. Tantò magis à sortilegiis, quorum nomine, temporum malignitate malè audiebant: Ut sortilegi, & malefici in pluribus provinciis Waldenses & vocarentur, & etiamnum vocentur. A luminum quoque extinctione promiscuoq; concubitu: quas olim technas priscis Christianis traducendis Satan pro sua indole commentus, DEO Evangelii sui lucem restituente, eodem instituto renovare satagit. Itaq; Fridericus II. Imperator in suis contra illos constitutionibus id solum imputat, quod ab Ecclesia Romanâ ejusq; cultu & ceremoniis discesserint: uti ex Epistolis Petri de Vineis Cancellarii sui perspicuũ. *Et Claudius Seisselliensis Archiepiscopus* Rege Ludovico XII. vir insignis, licet librum in eos datâ opera scripserit, homines probos, integros, innocentes, conversatione irreprehensibiles & præceptorum DEI sedulos observatores profitetur. Qui tamen Alexandri III. jussu ab Arciepiscopo Lugdunensi Johanne de Bellamanu excommunicantur. Mox ad concilium Lateranense citati cum non comparuissent, judicem quippe & adversarium simul Pontificem habituri, nullum non persecutionis genus experiuntur, bello, cædi, prædæ, lanienæ expositi: ut quò quisque eos truculentius insectetur eò majorum pœnarum indulgentiam sit consecuturus. At tandem singulari DEI providentiâ factum ut ex eorum dissipatione Ecclesiæ innumeræ Europâ totâ congregarentur. Hinc populus Angrunicus in Sabaudia Waldensium nomine odiosus suam religionem per tot secula à majoribus observatam vocat, in Suppl. ad Ducem Sabaud. quam habet Ricardus in Hist. Angrun. p.71.

Addamus quod tradunt hujus ætatis scriptores, quanquam

adversarii, Regiomonte cum Albiensibus habitum colloquium, in quo ex illorum parte Ponticus Jordanus, Arnoldus Aurisanus, Arnoldus Otto, Philibertus Cassienus & Benedictus Thermiensis: ex alterâ Petrus de Castro Novo, Monachus Cisterciensis & Legatus Pontificis, Rodolphus etiam quidam ab eodem deputatus: Didacus Episcopus Erenensis, & Dominicus ejusdem Ecclesiæ Canonicus, Hispani ambo: arbitris ex nobilitate, Bernardo de Villanova, & Bernardo Darrensi: populari ordine, Raimundo Godeo, & Arnoldo Riberia delectis. Ibi ajunt: Doctores Valdenses constanter affirmarunt, Ecclesiam Romanam non esse sanctam Ecclesiam, nec sponsam Christi: esse Ecclesiam Diaboli imbutam doctrinâ: Babylona illam, quam Johannes descripsit in sua Apocalypsi, matrem fornicationum & abominationum, obrutam sanguine sanctorum: Missam neque Christum neq; Apostolos instituisse, sed hominum commentum esse. Et multa hujusmodi, ac ita discessum, ut inter se nullatenus convenire possent.

Mornæus in Hist. Papatus ex Historia Albiensi Petri de Vallibus & Chronico Montfortensi *tragicum Waldensium casum circa Annum 1216. ita commemorat:* Propagabantur interim in Galliâ Waldenses seu Albigenses, doctrinamque, de qua nos supra & tuebantur, & promulgabant: indeq; ab Alpibus ad Pyrenæos usq; montes ita eam diffuderant, ut pleriq; seu in agris seu in urbibus ab Ecclesiæ Rom. Traditionibus desciscerent. Quin & Proceres eis adhærebant plerique, Raimundus Comes Tolosæ & S. Ægidii, Regis Franciæ consobrinus, Raimundus Rogerius Biterrarum & Carcassonæ Comes, Petrus Rogerius Gabareti Regulus, Raimundus Fuxensis Regis Aragoniæ propinquus, Guasto Bearnii Princeps, Comes Bigerronum, Domina Lavaraci, Comes Carmanii, Raimundus de Thermis, Americus de Monstrolio, Gulielmus de Minerbio, & innumeri alii nobilitate insignes. quos sanè fortunas, vitam, decus suum manifesto periculo pro vitiorum errorumque adeo execrabilium defensione exponere voluisse, nemo sanus existimet. Contra sola conscientiæ vi, quicquid Monachi hujus temporis Papæ satellites obganniant, impulsos fuisse necesse sit. Et vero hoc agnovit Guilielmus Paradinus in Annalibus Burgundiæ, qui Historias se legisse

giſſe teſtatur in quibus & Albienſes & Principes Reguli que eorum fautores, ab his omnibus calumniis vindicantur: eo tantum nomine vexati, quod Eccleſiæ Romanæ Traditiones & corruptelas publicè reprehenderent. Mittit igitur Innocentius ſub annum 1208. duos primum Legatos, Epiſcopum Oxonienſem, & Dominicum, qui colloquium Carmanii cum iis ineant, mox & addit Abbatem Ciſtercienſem cum aliis duodecim ejuſdem ordinis, qui rurſum Apameæ coëunt. Ex parte vero Albienſium Theodorus, Canonicus ante Nivernenſis, Balduinus & Bernardus de Simorra, alii. Et reticent adverſarii capita, de quibus inter eos certatum. Si Manichæi, Gnoſtici, Cathari, Montaniſtæ, Adamitæ fuiſſent, uti affingunt, haud dubiè non omiſſuri. At cum primoribus illis colloquia iſta minus ſatisfacerent, populique Dominici concionibus nihil commoverentur, quem tamen Innocentius in ſomniis, ut dicebat, admonitus, ædem Lateranenſem aliàs ruinam minantem ſuffulturum delegerat, ad alia jam conſilia confugit, quibus præambula illa prætexebantur. Raimundum igitur Comitem, cujus prima authoritas, excommunicat, ditionem ejus prædæ exponit, quoſcunq; ei ſacramento fidelitatis, neceſſitudine, fœdere, aliove pacto devinctos, omni nexu exſolvit & liberat, idq; Apoſtolicâ autoritate, quod fidem DEO non ſervanti, fides ſervanda non ſit. Quin & poteſtatem omnibus facit in ejus caput quidvis audendi, in omnes Albienſes non ſecus ac Saracenos, pares etiam indulgentias prolixè pollicitus, omni ratione deſæviendi: adeò ut quæ in bellum ſacrum indicta fuerat pecunia, in Chriſtianorum necem intervertatur, novo & horrendo exemplo, crux in infideles olim prætextu ſaltem aſſumpta crucifigendo verè in membris ſuis Chriſto jam adhibeatur: Nec eò minus tamen quę ſeculi aut veſania aut ignorantia, multi Principes, Magnates, Epiſcopi undequaq; concurrunt, quibus diſpendio hujus populi ſua vitia expiare proclivius, quam ſi in Palæſtinam cum Saladinis pugnaturi trajicere tenerentur. Ad hujus tanquam diluvii impetum conſternatur primum Raimundus Comes, ſeſeq; Romanæ Eccleſiæ obſecuturum recipit. Itaq; (notetur formula.) Almaricus Pontificis Legatus exercitus & ipſe Dux ſtolâ collo injectâ tractum in Eccleſiam, id eſt, in templum flagris compellit. Inde

regiones depopulari, oppida diripere, ſtrage, incẽdio, ruina omnia complere. Albienſes inter hęc animum non deſpondere, identidem & bellum & prælium redintegrare, repetere. Raimundus demum ipſe poſt tantam contumeliam, Papam nihilo mitiorem expertus, adſtipulantibus Foxii & Convenarum Comitibus arma ſumere: uſque dum ingruentibus quotidie novis Epiſcoporum & Regulorum Franciæ delectibus confluentibuſque in exercitum Papalem undequaque cruce ſignatis, coguntur Raimundus quidem ad Aragonum Regem ſeſe recipere: Albienſes partim in montes ex apertâ planitie confugere, partim imbecillibus familiis novas ſedes quærere. Notetur interim: hoc bellum licet in Gallia gereretur: Philippum Auguſtum tamen Principem ejus non fuiſſe: ſed Pontificem ejuſque Legatum qui quæ hoc bello pararentur ſui juris faciebat. Tantùm Rex, ſubditos ſtipendia Pontifici facere, Proceres Regni copias ei conſcribere non invitus patiebatur. Etenim Anno 1215. Petrus Beneventanus, Pontificis Legatus in Concilio Monpeſſulano, Innocentii nomine, Simonem Monfortii Comitem Principem & Dominum ditionum quas hoc bello acquiſierat, inſtituit: Cuſtodem alii dicunt, ſeu Guardianum, interea dum Concilium Lateranenſe plenius ſtatueret. Notat & Hiſtoria Albienſis, Ludovico Regis primogenito exercitum adeunte Legatum, minus æquo animo tuliſſe, veritum ne de terra, Pontifici jure belli quæſitâ, ſtatuere vellet, quam nempe ſupremus ipſe Dominus hæreſeos veneno tamdiu expoſitam, reliquiſſet. In Concilio igitur Lateranẽſi Simonem Monfortii Comitem Pontifex, omnium quæ fuerant Raimundi proprietarium tandem Dominum pronunciat: Ita tamen ut hominium Regi eo nomine præſtet, quod & Rex admittit. Verùm non multò poſt, omnia oppida ab Avenione Tholoſam uſq; à Simone ad Raimundum filium deficiunt, animos proinde Albienſibus reddunt, itaque redintegrato bello Epiſcopis & crucigeris undiq; accitis denuò opus: dumq; vices belli modò hi, modò illi variè experiuntnr, Comes Monfortii jam nonum menſem Toloſam obſidens, ictu lapidis in eruptione accepto, eodem die moritur, unde & obſidio ſolvitur, & Albienſes ſuperiores evadunt Et Monfortenſis ſanè ſtrenuus belli Dux, ſed ignorantiâ inprimis notatur, quam
verita-

veritatis perpetuo hostem nostris etiam diebus nimium experti sumus: quandoquidem eam tantum ii persecuti sunt, qui nunquam de eâ investigandâ cogitare voluerunt.

Pergit Mornæus pag. 785. & sequentia subjicit : Interim seu ex Waldensium dispersione id factum, seu in aliis provinciis, ab eodem spiritu, Deo innotescere visum, eodem tempore diversia in locis similes conciones audiuntur, quas & non dissimiles persecutiones excipiunt. Author enim Trithemius & ante & post eum alii, Argentinæ ad octoginta combustos fuisse, inq; vicino agro trucidatos ad centum unâ die. In Italiâ *Nauclerus* hanc doctrinam (hæresin appellat) mirificè crevisse, tum in equestri ordine, tum in plebeio, quotannisq; in Doctorum suorum sustentationem collectam aliquam Mediolanum misisse. Bruschius Moguntiæ triginta novem ustulatos: nec deinceps quidquam frequentius: cineribus quippe his, tanquam difflante DEI spiritu in omnes Europæ fines disseminatis. Nec id tamen aut tolerantiæ aut conniventiæ adscribere liceat: Chronicon enim Hirsaugiense disertè : *Hos frater Conradus de Malpurg, Inquisitor Apostolicus judicio ferri candentis, si negassent hæresin probare consuevit, & quos ferrum exusisset velut hæreticos judicio seculari tradere comburendos. Unde paucis exceptis, omnes qui semel essent accusati & ad eius examen perducti, per eum condemnabantur ad incendium. Fuerunt qui crederent eum plures innocentes damnavisse, propterea quod candens ferrum à peccatis nullum reperisset immunem, etiamsi nullius hæresis maculâ unquam infectus extitisset.* Idem paucis paginis interjectis : *Eodem tempore in Alemania multi nobiles & ignobiles, Clerici, Monachi, Moniales inclusæ Burgenses, cives & rustici, à quodam fratre de Marpurg, ordinis Prædicatorum* (qui generalis inquisitor hæreticorum fuerat à sede Apostolicâ constitutus.) *per diversa Teutoniæ loca ignis supplicio nimis præcipiti sententiâ, ut multis tunc visum fuit, sub hæresis nomine sunt addicti. Nam ut quidam scribit, eodem die quo quis accusatus, sive iustè, sive iniustè nullius appellationis, nullius defensionis sibi refugio proficiente, damnatus & crudelibus flammis iniectus est.* Paulò verò ante deprehensis in Germaniâ, Italiâ & Lombardia innumeris loquens: *Capti quidam ex eis in civitate Argentinensi, coram omni populo & Clero confeßi publicè fuerunt, quod tantus eorum esset*

Chron. Hirsang. Nauclerus 2. Volum. Gen. 41.

Trittenheim. in Chron Hirsaug. Godefrid. Monach in Annalibus.

ſet numerus, ut ſi quis ex eis è Coloniâ ire Mediolanum ſtatueret, omni nocte hoſpitem de ſectâ eorum inveniret, in cujus domo omnia eſſent communia, mater, uxor & filia, habebantque ſigna parvula circa januas domorum aut ſupra tecta, per quæ habitationes complicum ſuorum invenire potuerunt. Et flagitia quidem illis affingit, ſed amabo, quis eorũ causâ ignem ultrò ſubituros credat? Non alii ſanè quam Monachi hæc ſcribere potuerunt, quibus credendis vix hominum ſtolidiſſimus ſit ſatis. Tandem *inquit Trithemius*, cum ſe Conradus ille omnibus nobilibus, peneq; & ignobilibus, exoſum reddidiſſet, eo præſertim, quod Comitem Seinenſem hæreſeos falsò notatum perſequeretur, non procul à Marpurgo, nihil obſtante ſalvo conductu occiditur à quibuſdam nobilibus, nullum locum veniæ vel gratiæ apud ipſum invenientibus. Addamus, ad id quod in Lombardia ſedem præcipuam habuiſſe dicebantur, Authoris coætanei hoſtile licet teſtimonium: In omnibus, inquit, civitatibus Lombardiæ & in Provincia, & in aliis regnis, & terris plures auditores habebant, & in publico diſputabant, & populum vocabant ad ſtationes ſolennes in foro, & in campo, & prædicabant in tectis. Non erat, qui eos impedire auderet propter potentiam, & multitudinem fautorum ſuorum, Inquiſitioni & examinationi frequenter interfui, & computata ſunt 40. Eccleſiæ, quæ hæreſi infectæ fuerunt, ac in ſolâ parochia Cammach fuerunt decem ſcholæ hereticorum.

Fr. Rainer. autor coætaneus, qui ſcripſit contra VValdenſes Anno 1250.

Circa annum 1220. & porrò Waldenſes floruerunt in Delphinatu, Septimaniâ & Aquitaniâ, inq; montibus illis, qui ab Alpibus ad Pyrenæos uſq; continuantur. Hi ſub ipſo D. Ludovico paululum reſpirârunt, qui eo nomine tantùm eos vexabat, quod Raimundi Comitis Tholoſani ſubditi eſſent, cui cum Comite Provinciæ ſocero ſuo, bellum intercedebat, quem pro illa neceſſitudine adjuvare tenebatur: quo ſaltem ſedato bello religionem ſuam in montibus præſertim illis tuebantur. Verùm latè alibi fines ſuos dilatârant: quandoquidem in Germaniâ prodibant concionatores magno numero, qui ſono tintinnabuli vocatis Baronibus prædicabant in publicâ ſtatione: Papam hæreticum eſſe, Prælatos Simoniacos & ſeductores, non illis ullam ligandi aut ſolvendi poteſtatem, non interdicendi cultus divini, uſuſve ſacramentorum: ſuos

illos

illos fratres Prædicatores & Minores falsis concionibus Ecclesiam pervertere, veritatem tantum apud se retineri, prædicari: Sed etiamsi ipsi non venissent, Deum potius ex lapidibus ipsis alios excitaturum fuisse qui verâ prædicatione Ecclesiæ suæ lucem præferrent, quam ut fidem perire & pessundari sineret: Prædicaverunt, inquiunt, ad hoc tempus Prædicatores nostri & sepelierunt veritatem, & promulgârunt falsitatem: Nos contra veritatem prædicamus & sepelimus falsitatem, & in fine indulgentiam, quam damus vobis, non damus fictam vel compositam ab Apostolico vel Episcopis, sed de solo DEO & ordine nostro. Quibus verbis eorum doctrinam *Kranzius* exprimit, ipsis licet perquam adversus. Amplius quid *Matthæus Paris*: persuasisse eos in Bulgariam, Croatiam & Dalmatiam usque: ibi ita radices egisse, ut multos Episcopos ad se traherent. Eo verò Bartholomæum quendam Carcassona Narbonensis Galliæ advenisse, ad quem omnes confluerent, qui in literis suis sese inscribebat Bartholomæum servum servorum sanctæ fidei: & Episcopos creabat, Ecclesiasq; constituebat: quæ verba ex Cardinalis Portnensis, Pontificii Legati epistolâ ad Episcopum Rothomagensem desumptâ, consternationis utique plenâ: Antipapam ille eum ideò appellat: nec tamen aliud crimen aut dogma affingit. Nempe Bartholomæus ille in istis regionibus Ecclesiæ ordinem instaurabat falsisque Pastoribus veros substituere satagebat. Archiepiscopum verò Cardinalis ille ad Synodum in Senonum urbe indictam, de tanto negotio consilium daturum adesse jubet, alioquin inobedientiam ejus se Pontifici significaturum comminatur. Hæc sub annum 1220. sedente Honorio III. ut exinde latè propagatos necesse sit, cum idem Author sub Gregorio IX. in quadam Germaniæ parte, magnam eorum multitudinem inclusam fuisse narret, quæ cingente inde palude, hinc mari ad internecionem deleta fuerit. Eodem etiam tempore in Hispania Episcopos, qui doctrinam eandem prædicarent, instituebant: eam licet adversarii ementiantur pro libidine, ut invidiâ eos onerent. Sed quænam illa fuerit, ignoret nemo, qui aut eorum confessionem aut judicaria in eos acta legere voluerit. Legitur Robertus quidam Bulgarus ab eis defecisse, qui mox Dominicanus factus, totum se iis persequendis dederit, & in

Flandria inprimis multos igni tradiderit. At hic deprehensus potestate suâ abuti, iisq; crimina imputare, à quibus illi planè immunes, ex auctoratur illicò, multorumque flagitiorum reus per actus, quæ inquit Author, tacere satius quam dicere, perpetuo carceri addicitur.

Sed nec primus *Petrus Waldus* ex verbo DEI restituere conatus est veritatem divinam. Tentavit idem non omninò infeliciter eodem seculo prius *Petrus de Bruis* & *Henricus* ipsi succedens. Viderunt enim non pauca absurda palàm in Ecclesiis passim proponi. Deinde superstitionem in templis præter omnem necessitatem maximis sumptibus ædificandis, Missam, invocationes mortuarum creaturarum & fœdam idololatriam in immensum excrescere, sagaci judicio perspexerunt. Falsas igitur quasdam opiniones & abusus quosdam taxantes, incurrerunt in odium & reprehensionem eorum, qui vel corripi noluerunt, vel metuerunt, ne amplissimi ipsorum quæstus corruerent & extenuarentur. Inde postea fortè istis monitoribus plura quam par erat, uti solet plerumq; in hoc pravo seculo accidere afficta sunt. Professione autem sacerdos alter, alter vero Monachus fuit. Cluniacens. 2. epist. Docuerunt autem hi viri in Galliis in Septimania, in Arelatensi, Ebredunensi, Diensi & Wapiciensi episcopatibus. Inde autem pulsi Novempulaniam seu Gasconiam & Narbonensem provinciam suâ doctrinâ repleverunt: inprimis vero Tolosæ publicum docendi locum habuerunt, ut Petrus Cluniacensis testatur ex quo pleraque sunt petenda. Annos porrò circiter viginti Petrus de Bruis publicâ voce in ejusmodi res invectus est, ut Cluniacensis annotat. Utinam vero ipsius Petri scripta extarent, ex quibus multò rectius facere judicium liceret, quam ex illis, qui in defensionem pontificiarum abominationum conspirarunt. Post Petrum de Bruis damnatum & concrematum Henricus animo præsenti eadem profitetur. Fuit enim is συνεργὸς Petri, & habuit alias suæ doctrinæ ὁμοψήφους non paucos. Scribit autem Cluniacensis eum plura dogmata addidisse cū suis sociis, ut fieri solet, quâ de re postea. I. Infantes non baptisari aut salvari aliena fide, sed oportere suâ, id est propriâ fide baptisari & salvari. Cluniacens. 1. epist. Seu. Baptismum sine propriâ fide non salvare. 2. epist.

epist. II. Fidem propriam sine Baptismo nihil posse. III. Parvulos infra ætatem intelligibilem constitutos Baptismo Christi non posse salvari Clun. 1 epist. IV. Baptisatos in infantia postea adultos iterum baptisandos: neq; vero ibi rebaptisari eos, sed rectè potius baptisari. Clun. 2. epist. V. Corpus & sanguinem Christi in theatrica Missa non offerri, neq; eam oblationem fieri pro animarum salute. Clun.1. epist. Item altaria destruenda. Clun. 2. epist. VI. Doctrinam de speciebus Sacramenti ipsis nimirum substantiis mutatis, esse falsam. Clun 2. epist. VII. Cænam sacram non dandam nunc hominibus, quia semel tantum Apostolis sit data à Christo Clun. ibid. VIII. Sacrificia, id est Missas, orationes, eleemosynas, & reliqua virorum opera pro defunctis esse stultitiam & impietatem, nihilq; eis prodesse. Clun. 1. epist. IX. Sacerdotes & Monachos debere uxores potius ducere, quam impudicitiæ fornace comburi, aut scortari. Clun. 2. epist. X. Cruces non adorandas aut venerandas. Et tot cruces superstitioni servientes, potius semovendas quam retinendas. Clun. 1. epist. XI. Templa tot tantisque sumtibus non extruenda, & extructa (fortè quæ non sunt necessaria ad conventus sacros, in quibus verbum DEI audiatur) diruenda. Clun. 1. epist. XII. Deum irrideri canticis illis in templis, quæ Monachi aut sacerdotes personant. Musicis modulis DEUM non posse mulceri. XIII. Die Dominicâ & aliis licitum esse vescicarne. Clun. 2. epist. XIV. Famam esse de ipsis, ait Cluniac. quasi non integrum Canonem, hoc est non omnia scripta veteris & Novi Testamenti recipiant. Item ait, eos Evangelium tantum recipere. Clun. 2. epist. XV. Soli Canoni credunt. Patrum vero scripta non habent pari authoritate cum sacrâ scripturâ Clun. 2 epist. Has sententias Cluniacensis quidem ipsis adscribit. Quod si autem scripta istorum concionatorum extarent, fortè semetipsos à notâ hæreseos vel in totum, vel in quibusdam certè vindicarent. Suscepit autem refutationem istarum sententiarum Petrus Cluniacensis ingentem zelum præ se ferens. Judicat enim non tantum stylo contra istos Doctores procedendum, sed ut verba ipsius sonant vi etiam armatâ per laicos exturbandos ipsos esse epist. 2. Nam duas contra istos concionatores effudit invectivas vehementissimas, quæ etiamnum

extant. Videamus autem singulas hypotheses, & quid abbas ille responderit, paucis expendamus. De primâ hypothesi. Proculdubio isti viri protulerunt illud Abacuc. 2. Rom. 2. Justus fide suâ vivet. in quo dicto emphasis est singularis in pronomine. Deinde, quod Christus dicat. Quicunq; crediderint & baptisati fuerint. Tertio quia fides est organon, quo apprehenditur salus illa æterna, sicut inquit Christus: Qui credit in me, habet vitam æternam. Quartò & hoc monuerunt, videndum, ne in syrtes quasi dubitationum cõjiciatur homo eâ ratione, quod debeat alienæ fidei inniti. Nusquam enim Scriptura sacra dicit, Ecclesiæ fide, hoc est alienâ salvari, seu remissionem peccatorum & justitiam coram DEO accipere quemquam. Quid ad hæc Cluniacensis? Ait, Regulum fide impetrasse filio sanitatem. Archisynagogum filiæ; Martham fratri, portatores paralytico. Deinde inquit, nefas esse credere, ut relictis animabus corpora Salvator salvarit. Tertia enumerat testimonia S. scripturæ; Omnia possibilia credenti. Quicquid petieritis credentes accipietis. Si habueritis fidem sicut granum sinapis. Quinto, Petrus fide Tabitham resuscitat. Item salvatur vir infidelis per mulierem fidelem. Atqui non sequitur: Fides impetrat aliis beneficia. Ergo & alienâ fide alius salvatur. Nam aliena fides orat quidem pro alio, & impetrat ut alius quoq; dona vel spiritualia vel corporalia consequatur, & inprimis ut & alii propriam fidem concipiant, quâ salventur. Nam textus clarior sole est, Justus fide suâ, hoc est propriâ vivit. Deinde non tantum fides gestatorum, sed eorum omnium exponitur, quibus cum habebat rem Christus, cujus quidem cætus & ægrotus erat aliqua pars. Ideò sic eum compellat: Confide fili, vel sis bono animo, remittuntur tibi peccata tua. Quomodo autem potuisset habere bonum animum, si fide propriâ destitutus fuisset? Præterea licet impetrata sint corporalia beneficia nondum conversis: tamen postea instituti sunt, ut & fide suâ remissionem peccatorum per Christum acciperent, quotquot quidem salutem adepti sunt. Cætera quoque impertinentia esse, quæ Abbas adfert, quis non videt? Porrò infantes & pueros qui baptisantur, non absq; omni fide esse, ista testimonia ostendunt. Matth 18. Qui scandalisaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt. Item inquit: Talium est regnum

cœlo.

cœlorum, sed regnum cœlorum, seu remissionem peccatorum, & vitam æternam, non posse absq; fide accipi, Christus certissimus testis est, inquiens: Qui credit in me, habet vitam æternam: qui vero non credit (audi, qui non credit) non habet vitam æternam sed ira Dei manet super eum. Joh. 3. Non autem ibi ullam ætatum facit distinctionem Christus. De II. Vix videtur verosimile, tam fuisse crassos istos Doctores, ut negarint apertè, finem sine Baptismo nihil posse, ubi Baptismus haberi nequit, itaque per iniquam collectionem, ut moris est, videtur tale quippiam ipsis affictum esse. Si vero aliqui inter ipsos hæc asseruerunt, justè reprehenduntur exemplis martyrum. De III. & IV. Sic an docuerint isti homines, pueros baptisatos in infantia iterum baptisandos esse, postquam adoleverint, non est certum: Non malevoli per vitiosas consequentias quædam commenti sunt. Sed si qui fuerunt ita sentientes aut docentes rectè eos refutat, abbas, inquiens, omnes parvulos in Adam mori, sed nullos nisi in Christo vivificari. Item: Non habent, inquit, ergo justitiam parvuli, nisi in Christo vivificentur. Sed si sacramentis à Christo institutis, eis subventum fuerit, injusti non remanent: quia secundum præmissas authoritates, per hunc Christum omnes homines justificantur: neque mortui perseverant, quia in Christo omnes vivificantur. Clun. 2 epist. Item Hoc mundus discat, hoc hæreticus sapiat, hoc Catholicus recognoscat, à Salvatoris populo, qui salvat populum suum à peccatis eorum, ipsa ratione cogente parvulos peccatores non posse excludi, cum intra amplissimum misericordiæ ejus sinum meruerint etiam magni peccatores admitti. Ibidem. De V. Ratio Petrobrusianorum contra sacrificium Missæ fuit, quia juxta Paulum Christus unicâ oblatione consummaverit sanctos, nec opus sit Christum sæpius ratione sacrificii offerri Patri cœlesti, neque hoc uspiam esse mandatum. Viderunt enim isti Doctores, & detestati sunt abominandam idololatriam pontificiæ Ecclesiæ hac in parte. Cluniacensis vero nervos suos omnes intendit eò, ut hâc etiam in parte eos faciat hæreticos, dum ipse sacrificium Missæ, hæresin omnium abominabilissimam partim improbè, partim stolidè defensat: quod ut videat paululum Lector, attendat parumper. I. Omnibus, inquit, ætatibus sacrificia fuerunt

in usu: Abel, Noah, Abraham, Job, Moses seu ordo sacerdotalis, Salomon, Helias sacrificârunt. Ergo & jam debemus sacrificare. Ut quid inquit prohibentur filii sequi patres suos? Item: Mirum si Christiani à sacrificiis uni DEO offerendis arcentur, cum Patriarchæ, Prophetæ, Judæi, gentiles, fideles ab ipso DEO ipsi DEO sacrificare cogantur. Mirum nunc primum de mundo divina auferri sacrificia, cum nunquam mundus in retroactis generationibus suis absq; sacrificiorum sacris fuerit. 2. Quatuor sunt sectæ in mundo, Christianorum, Judæorum, Saracenorum & Paganorum. Sed Judæi, Saraceni, Pagani non habent vera sacrificia. Ergo necesse est Christianos ea observare, Ratio cohærentiæ est, quia in locum Judæorum recepti sunt Christiani: valet autem argumentatio à baculo ad angulum. 3. Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus, tollite hostias & introite atria ejus. Et Esaias: Veniet omnis caro, ut adoret coram facie meâ, dicit Dominus. & Malachias: Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Resp. Verum loquitur David pro more sui temporis, Esaias vero de adoratione: Malachias propagationem & confessionem Evangelicæ doctrinæ appellat oblationem. Nihil hic audis de oblatione Christi per sacrificos facienda. 4. Sicut lex, ita & sacra, sacrificia, cultus à Judæis ad gentes translata sunt. Clun. 2. epist. Ergo Christus sacrificandus est in altari; Resp. O insulsitatem. Christus inquit: Lex & Prophetæ usq; ad Johannem. 5. Hoc facite in mei commemorationem, inquit Christus E. Christus est sacrificandus in altari. Resp. Nemo has ineptias rideat, quia severus abbas severiter loquitur. Idem autem sunt abbati commemoratio & sacrificium, cum tamen Christus in cœnæ distributione, non sese sacrificaret patri cœlesti, sed distribueret discipulis edendum atque bibendum corpus & sanguinem suum. Iterationem sacrificii sic probat: Postquam dixit hoc facite: statim addit, in mei commemorationem. Hæc est ergo causa sacramenti commemoratio Christi. Resp. Quid vero hæc verba ad iterationem sacrificii? Nam ea manifestè spectant ad distribuentes & ad edentes atque bibentes, non ad offerentes. Postea Transsubstantiationem, hoc est

conver-

conversionem panis in corpus suum & vini in sanguinem suum fieri asseverat quidem ac DEO possibilem contendit abbas: verum quod ea fiat, non probat ullis tstimoniis sacræ scripturæ. Non enim est disceptatio de omnipotentia DEI, sed an DEUS eam fieri velit. Rationes quibus Transsubstantiationem munire conatur sunt istæ. 1. Quia Christus voluit. Nam inquit, in memoriam sui hoc fieri debere. Resp. Nota autem Grammaticam Monasticam. Memoria Christi & sacrificium Christi huic idem sunt. 2. A miraculo: Aquam enim in vinum potuit mutare. 3. Ab exemplis aereis: Quia ex nubibus grandines, nives & pluviæ gignuntur, hoc est aliud in aliud mutatur. 4. Ab exemplis aquaticis: Quia coralius lapis de ligno fit lapis. Nota physicum. 5. Ab exemplis terrestribus: Quia de fæno & silice vitrum conficitur, ex aquis crystallus. 6. Ab homine: Quia panis in homine fit caro, ô luculentissimum exemplum. Hic in Physicæ penetralia & anatomen hominis excurrens Cluniacensis, triumphum canit omnibus inflatis tubis. Ergo inquit, panis & vinum in cœna quoque mutantur in suâ substantia, seu transsubstantiantur. Quis vero ineptiora argumenta seu per jocum fingere posset, quam iste Monachus declamator seriò effutit? Non enim probat evidenter quod Christus velit transsubstantiationem fieri. Et reliqua exempla omnia non convincunt, in cœna sacrâ itidem transmutationem fieri. Paulus sanè inquit, elementorum substantias manere in ipso usu, quando inquit: Probet seipsum homo, & sic de pane isto edat, & de calice bibat. Dum igitur Abbas laborat hæreses inscitè debellare, ipse hæreses crassas gignit, & bombum verborum perridiculum edit. De VI. Species, inquit Cluniacensis, ac formam manere, licet substantia panis & vini mutetur, id quod operosè probat DEO possibile esse, per exempla similia: ut ex aquâ fit crystallus, lapis nimirum, manente specie aquæ. Sic salis gemma est lapis, cum tamen fuerit aqua, cujus formæ reliqua sit. Sic de aceto idem est judicium. Atqui non de possibilitate DEI, verum an DEUS hoc velit in sua cœnâ fieri, quæstio est. Nec probatur ullâ syllabâ, Christum velle, ut mutentur substantiæ elementorum, idolo tantum ipsorum residuo. Sic septa transilit monachus. De VII. Valde metuendum est, ne vel ex rumore in-

certo,

certo, vel iniquâ affectione hoc istis Doctoribus attributum sit. Nam missæ sacrificium seu oblationem impugnarunt, idq; semel tantùm per Christum peractum esse, nec licere repeti tradiderunt. Inde, ut verendum est, alii criminati sunt, eos usum cœnæ sacræ legitimum simul eademq; opera Ecclesiæ Christi subtraxisse. Si vero ita senserunt ac docuerunt, sacram cœnam nulli Christiano porrigendam, quia Christus unicâ actione, qua Apostolis eam distribuit rem omnem complerit: justè reprehensi sunt, ac rectè abbas opponit ista Christi verba. Hoc facite in mei commemorationem. Et rationem addit: Baptismo & Evangelio concesso, necesse esse altaris quoque sacramentum (sic enim nominat) concedi. Item: Quid enim? Nunquid Apostolus Paulus cœnæ illi Dominicæ, de quâ loquimur, interfuit? Nunquid quando discipulis dictum est, Accipite & comedite, hoc est corpus meum, & Accipite bibite, hic est sanguinis meus, & hoc facite in mei commemorationem: præsens adfuit? Quid tamen in epistola 1. ad Corinthios dicit? Audite. Calix (inquit) benedictionis cui benedicimus, nõne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Nunquid & ipsi Corinthii cœnæ illi jam dictæ interfuerunt? His tamen ait ipse Apostolus: Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum. Videtis Apostolum post Ascensionem Domini ad fidem conversum, calici benedictionis benedicere, eundemq; calicem communicationem sanguinis Christi vocare? Cernitis eundem panem frangere, & ipsum panem participationem corporis Christi vocare? Auditis Corinthios posse quidem calicem Domini bibere, sed non cum calice Dæmoniorum, posse mensæ Domini participes esse, sed non mensæ Dæmoniorum? Nec Apostolus tamen Paulus consecrans corpus & sanguinem Domini cœnæ Domini interfuit: neq; Corinthii idem corpus & eundem sanguinem de mensa Domini accipientes eidem cœnæ interfuerunt. Cluniac. epist 2. Item: Quicunq; (ait) manducaverit panem & bibite calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Et consequenter: Probet autem, inquit, seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quid vos ad

ista?

ista? Quicunq; (inquit) manducaverit, quicunq; biberit. Non hic vel ille, sed quicunq; . Et probet seipsum homo, non tantum Corinthius homo, non Romanus homo, non Græcus homo, non Latinus homo, sed homo. Et quid aliud, quam omnis homo? Nam quod indefinitè posuit, quid aliud quam indefinitum hominem ostendit? Itidem. Docet præterea magnas esse causas, cur ad esum corporis, atq; potionem sanguinis sui instituerit hanc cœnam: quâ de re alibi. De VIII. Unicam duntaxat rationem, quâ usi sunt isti Doctores contra receptum errorem de suffragiis pro defunctis Abbas profert: utpote quia morientes omne meritum secum auferant, nec posse illis hoc imminui vel augeri verum plures sine dubio protulerunt, quas vel transsiliit sciens, vel ignoravit. Est & illud dignum observatione, quod sponte suâ ter in eâ epistolâ fatetur, Catholicos quosdam de sacrificiis & orationibus pro defunctis dubitare. Jam audi confutationem veritatis, quibus rationibus falsitatem stabiliat. I. Quia Evangelium dicit, remitti peccata non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro Matth. 12. Sed crimen falsi hoc in loco committitur. Nequaquam vero hoc affirmat Christus, sed inquit non remitti neq; in hoc neq; in futuro seculo: id est ut Marcus interpretatur, nunquam in æternum. II. Ab exemplis: Quia Christus vivus mortuis & mortuus vivis profuit. Ergo sacrificandum & orandum pro defunctis. O ineptam argumentationem. III. Quicquid ab eâ Ecclesiâ, quæ Evangelium tradit, cum Evangelio traditum est, invictâ ratione cogente (sic enim loquitur) suscipiendum est. Sed ea Ecclesia tradit, divinis sacrificiis, sacris orationibus, aliisq; pietatis operibus fideles in carne viventes, aliosq; cum signo fidei & spei Christianæ carne exutos, juvandos esse. Ergo pro defunctis sacrificandum orandum & operandum est. Major autem vacillat, juxta illud: Si quis aliud Evangelium docuerit. Galat 1. Jam porro Minoris fulcra observentur. IV. A testimoniis scripturæ sanctæ 2. Maccab. 2. Judas fecit collationem duodecim mille Drachmarum, ut Hierosolymis pro mortuis fieret oblatio. Resp. Sed sunt ne omnia facta sanctorum probanda? Das factum, da potius regulam. præterea nutat suâ authoritate liber. Esa. 8. Nunquid non populus à DEO suo requirit pro vivis ac mortuis? Est autem falsa al-

legatio textus : Non eſt enim copula Ac in textu : ſed El, ad mortuos, ſeu ut habet vetus translatio, pro vivis à mortuis. Carpit enim propheta ſtoliditatem, quod faſcinati homines potius per incantatores conſulant mortuos de rebus ſuis quam vivos. 1 Cor. 15. Quid faciunt, qui baptiſantur pro mortuis ? Textus habet ὑπὲρ τῶν νεκρῶν ſuper mortuis. Nam ritum attingit Paulus, quod ſuper monumenta defunctorum baptiſmus ſit adminiſtratus in teſtimonium reſurrectionis mortuorum. Actor. 9. Petrus Tabitham precibus reſuſcitat cap. 20. Paulus Eutychum. Ergo pro defunctis ſacrificandum & orandum eſt. Fac tu mi Abba ſimiliter & eris Petrus aut Paulus. Joh. 14. Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora his faciet. Ergo vivorum precibus ſuccurrendum eſt mortuis. Quis vero iſta concordabit ? V. Ab exemplis Eccleſiæ poſt Apoſtolos : Fronto Petrogorenſis à Petro Apoſtolo miſſus in Aquitaniam, ſocium Georgium ultra decem dies mortuum pedo Apoſtolico reſuſcitat. Mauritius Andegavenſis Renatum puerum, qui ſeptennium in monumento jacuerat, vivificat. Ubi vero authentica harum rerum teſtimonia ? in fumibulis monachorum ſcilicet Ergo pro defunctis ſacrificandum & orandum. Sic ſcilicet Abbas ebuccinat riſum teneatis amici, eſt conſequentia monaſtica. VI. Ambroſius, Auguſtinus, Paulinus, Gregorius ſacrificia, orationes & eleemoſynas pro defunctis docent. Ergo ſic eſt. Sed ex quibus fundamentis ? Hic mutus eſt venerabilis pater. VII. Eſt conſuetudo Eccleſiæ. Sed ſi quis contra inferret, eſt nævus ſeu error illorum, qui nominetenus volunt eſſe Eccleſia. Aſtruit quoq; Abbas invocationem mortuorum hominum. Hæc in conſpectum proferuntur, ut fundamenta juxta verbum DEI æſtimentur, nec patiatur ſe quiſquam faſcinari aut dementari conſuetudine vel brevi vel longâ, perſonâ vel humili vel altâ. Habeat locum potius vox cœleſtis. Hunc audite. De IX. Reprehendiſſe videntur Petrobruſiani fœdum abuſum ſeu ſuperſtitionem in adoratione & cultu crucium, in immenſum creſcentem, juſtis ac piis rationibus. Sed vulgus non rectè perceptis fundamentis rerum fortè immoderatè ſe geſſit alicubi hâc in parte. Ea vero accidentia potius, quam res ipſas idololatræ pontificii pro more ſuo perpetuò arripientes pro ſuis ſuperſtitionibus

bus

bus conservandis atq; ornandis cælum terræ miscendum duxerunt. Sic noster Cluniacensis vehementem atq; effusam prorsus instituit invectivam & probare conatur, crucem Christi & venerandam & adorandam esse, idq; tàm frigidis argumentis, ut se potius idololatram probet, quã adorationem & cultum ligneæ crucis jure taxantes convincat. Sed audi spumas Abbatis. Moses inquit, signavit ostia Hebræorum signo crucis, misit lignum in aquam: bis percussit silicẽ Sareptana duo ligna colligit. In Ezechiele frontes litera Thau signantur. Hæc ex veteri Testamenti. Ergo crux est adoranda & veneranda. O consequentiam stolidam & putridis ovis dignam. Quid enim ista adrem? Ex Novo Testamento hæc adferuntur: Inimici crucis Christi, quorum finis interitus: Philipp.3. Absit mihi gloriari, nisi in cruce Christi. Gal.6. Reconciliavit ambos in uno suo corpore DEO per crucem. Ephes. 2. Apparebit signum hominis in cœlo: Matth.24. Ergo crux est adoranda & colenda. Quis autem non videt, hanc illationem esse insulsissimam? Nam Paulus μετωνυμικῶς crucem pro passione & merito Christi accipit. Ille vero noster pro lignis transversim sibi aptatis, qualia ad effictionem patibuli, ex quo agnus DEI suspensus fuit, architectus paravis, interpretatur. Etsi autem adorationem crucis ligneæ mitigare nonnihil conatur, quod non tam lignum, quam ille qui ab eo pependit, salutis totius mundi gratia, adoretur: tamen eam idololatriam confirmat, lignum esse colendum & adorandum: & quidem non modò duliâ, sed etiam latriâ, quæ alioqui soli DEO competat. Nam sic inquit: Iccirco autem hoc privilegium cruci Dominicæ datum est, ut in creaturis sola post filium hominis, qui & filius DEI est, adoranda esse credatur, quatenus in morte Domini, quam in cruce passus est, finem summamq; salutis humanæ constitutam esse sciamus, & nequaquam more infidelium de cruce ac morte ejus nos erubescere, certis & præcipuis humilitatis judiciis doceamus. epist.2. Observa lector lignicolam. Refutat porrò Abbas hanc rationem Petrobrusianorum, quod ideò cruces non sint adorandæ aut colendæ, quia crux fuerit torsio Christi: perinde ut gladius quo necatus esset parens, non esse in honore habendus. Hic tragædiam suspiriosus occæptat, prolixè docens, non instrumenta, sed autores potius ma-

lefactorum odio atque pœnis dignos esse. Sed hæc fortè fuit una ratio illorum Doctorum inter alias, quæ longè graviores hâc fuerunt, quas sicco pede transsiliit refutator. Ac videntur hanc suam rationem tantùm opposuisse stolidæ illi & impiæ adorationi ligneæ crucis. Equidem satis apparet ex hisce epistolis, Cluniacensem non tam scripta omnia istorum hominũ excussisse, aut coràm cum ipsis contulisse, quam rumores aut adversariorum delationes, quæ quales esse soleant, omnium temporum Historiæ ostendunt: aut mutilata tantum scripta excepisse & mox bilem omnem in eos expuisse. De X. Et multitudinem & sumptus inutiles justè reprehenderunt isti Doctores, & quædam inutilia ædificia diruerunt: necessarias vero Domos ad conventus publicos observandos retinuerunt, ut apparet. Rationes autem protulerant; quia Ecclesia DEI non constat multitudine cohærentium lapidum, sed unitate congregatorum fidelium. Similiter altaria tot tamq; sumptuosa & superstitiosa, duxerunt non necessaria. Sed abbas simpliciter pro templis & aris bellum suscipit grande: sed quomodo? Conquirit altaria veteris Testamenti. Noha, Abraham, Isaac, Jacob altaria ædificasse inquit, Mosen quoque quamplurima. Ergo altaria esse ædificanda Christianis quoque. Verum non est eadem ratio. Nam abolita sunt sacrificia per Christum, ergo & altaria illa. De templo, inquit abbas, Davidem templum voluisse extruere, Salomonem vero extruxisse. Christum, Apostolos in templum ascendisse. Christianos omnibus ætatibus templa condidisse. Imò Petrum Romæ templum construxisse & ædificasse, si credere fas est. Sic alii successores. Ergo scilicet tàm prodigiosus numerus templorum est extruendus. Idq; immensis sumptibus, qui rectius in pauperes collocarentur. Hæc partim malè accommodantur, partim stulta, partim falsa sunt, id quod quilibet Christianus facillimè judicare poterit. De XI. Apparet hosce Doctores non tam ipsa cantica, quæ notâ linguâ piè in templis canuntur, quam ritum hujus temporis, quod in templis juxta certas leges boarentur cantica in linguâ peregrinâ, non intellecta, tantùm cultus gratiâ reprehendisse. Hoc enim abusu nominis divini rectè asseverarunt DEUM irrideri: quia sine intellectu, sine mente, sine fide, inanes mugitus boum aut ruditus asinorum fuerunt,

runt,

runt. Rationem ipſorum ſic Abbas ponit: Irrideri DEUM canticis Eccleſiaſticis: quia qui ſolis piis affectibus delectatur, nec Altis vocibus advocari, nec muſicis modulis poteſt mulceri. Hæc ille. Quid noſter ille ad illorum objecta? pulcrè diſſimulat ſtatum rei, ac ſimpliciter contendit, eſſe cantandum, idq; ex Pſalmis: Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Cantate Domino, & benedicite nomini ejus. & iterum: Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Et rurſus: Omnes gentes plaudite manibus, jubilate DEO in voce exaltationis. Et in eodem: Pſallite DEO noſtro, pſallite: pſallite regi noſtro, pſallite: & mille talia. Hoc quidem de cantu vocis humanæ. Atqui boatu rudium aſinorum, ſine cerebro & ſine fide rudentium, non irrideri DEUM, hoc erat liquidò probandum. Sed ventricolas ſuos veretur extremo digitulo attingere, quia capitale fuiſſet. In Muſicis quoq; liberum eſſe ludere, itidem ex Pſalmis docet: ut Pſallite Domino in cythara, & voce Pſalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. Et iterum: Laudate eum in ſono tubæ, laudate eum in pſalterio & cythara. Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo, & mille ſimilia. Item Moſen tubantem, Davidem cythariſantem, Heliſæum pſallentem producit. Sed ſi non interponatur cantio in linguâ notâ, id verè in vitio poſuere illi concionatores. Cluniac. 2. epiſt. Tandem quomodo Petrum converterint ſancti ac milites iſti patres audi. Cum enim ad ipſorum tibias choream applicare non poſſet, apud ſanctum Egidium flammis crematus eſt. Hæc inſultanter recitat abbas. Vide Centur. Magdæburgenſes.

Et quod ſuam ſinceritatem Eccleſiæ viſibilis illa, quæ per Occidentem, amiſerit, & inprimis in ſacerdotum ordinem infinita inquinamenta graſſata fuerint, id cum albi fuſius oſtenſum fuerit, nos quatuor tantum documentis ex antiquitate probabimus. PRIMUM *eſt Petri Bleſenſis Archidiaconi Bathoienſis*, de quo ait *Bellarminus*, quod multa ſapienter & eloquenter ſcripſerit. *In Epiſtola ad quendam Epiſcopi officialem ita ſcribit*: Quia te affectuoſiſſimè diligo in viſceribus Jeſu Chriſti; propoſui te ſalutaribus monitionibus adhortari, ut de Ur Chaldæorum, & de medio Babylonis tempeſtivè exeas: ut miniſterium damnatiſſimæ villicationis omittas. Scio quia munerum

cupiditas subvertit cor tuum, ut fieres officialis Episcopi. Cumque legeras, sed fortasse negligebas verbum illud Job: Ignis devorabit corpora eorum, qui libenter accipiunt munera. Igitur beatus est, qui excutit manum suam ab omni munere. Credo hominum officiales non ab officio nomine, sed ab officio verbo mutasse vocabulum.

Nam genus est hominum, quod dicitur offici perda,
Officit, est verbum crudele nimis & acerbum
Dictio plena malis: hinc dicitur officialis.

Tota enim intentio officialis, est ad opes Episcopi, suæ jurisdictioni commissas, ut miserrimas oves, quasi vice illius tondeat emungat & exoriet. Isti enim sunt Episcoporum sanguisugæ, evomentes alienum sanguinem, quem biberunt. Divitias quas congregavit impius, evomet, & de ventre ejus extrahet illas DEUS. Isti sunt quasi spongia in manu prementis, quasi quædam colatoria divitias suis Dominis influentia, & execrandis acquisitionibus nihil sibi præter peccati sordem & fæculentiam retinentes. Quod enim aggregat per oppressionem pauperum, Episcopis cedit quidem ad delitias, officiabus autem ad tormentum.

Sic vos non vobis mellificatis apes
Sic vos non nobis accumulatis opes.

Isti sunt secretiora Hostiola, per quæ minister Belis sacrificia, quæ super mensam ponebantur à Rege clanculum asportabat. Sic Episcopus longâ manu bona aliena diripit, & notam criminis à se removens suis officialibus culpæ & diffamiæ discrimen impingit. Ideò quasi sub umbra Episcopi & obtentu justitiæ palliatæ subditos opprimunt, Ecclesias gravant, redditus alienos violenter invadunt, oculos habent ad munera, pupillo & viduæ non intendunt. Verba sunt filii Syrach. Concupiscentia Spadonis devirginavit juvenculam. Ita & qui facit per vim judicium injustum, spado virginem opprimit: & prolem in oppressione non quærens, corrumpit, non gignit. Sic prælatus iracundiæ aut avaritiæ suæ satisfaciens, nec fructum justitiæ quærens, corrumpit non corrigit: exasperat, non emendat. Quod enim fit per textu fucatæ religionis ac simulatæ justitiæ non fructificat ad vitam, non ædificat ad salutem. Parcit

Saul

Saul optimis gregibus Amalech, quasi sanctificaturus ea Deo, & incurrit in divinam offensam. Gedeon quidem de præda Medianitarum fecit Ephod, & hoc sibi & Domui suæ versum est in ruinam. Hanc autē administrationē, quam tibi damnabiliter usurpasti, patientius ferrem, si in sacrarum literarum scientia non præemineres. Causæ & judicia, quibus te imprudenter, ne dicam impudenter, immisces, potius consuetudinario & seculari viro destinantur. Virum literatum & Ecclesiasticum nō sic decebat secularibus negotiis implicari, Apostolus ad Corinthios scribens, ait: Secularia negocia si habueritis, eos qui contemptibiliores sunt inter vos, constituite ad judicandum. Officium officialium, quorum te numero aggregasti, hodie est jura confundere, suscitare lites, transactiones rescindere, innectere dilationes, supprimere veritatem, fovere mendacium, quæstum sequi, æquitatem vendere, inhiare exactionibus, versutias continuare. Isti sunt qui hospites suos gravant superflua electione, & multitudine clientelæ. Quærunt dedicatos & superfluos cibos, cum scriptum sit: Comedentes & bibentes quæ apud illos sunt. De alieno enim prodigi, de proprio sunt avari, verborum insidiatores, & aucupes syllabarum, tendunt laqueos & pedicas in capturam pecuniæ, jura interpretantur ad libitum, ea pro voluntate sua nunc abdicant, nunc admittunt, benè dicta deturpant, prudenter allegata pervertunt, rumpunt fœdera, nutriunt simultates, fornicationes dissimulant, matrimonia distrahunt, adulteria fovēt, penetrant Domus, & mulierculas oneratas peccatis captivas ducunt. Diffamant innoxios, & nocentes absolvunt. Et ut multa sub verborum paucitate concludam, dum omnia venialiter agunt, filii Mammonæ, se diabolo venales exponunt. Dominus in Evangelio dicit: Gratis accepistis, gratis date. Et Salomon in Parabolis: veritatem eme, & noli vendere sapientiam, justitiam & doctrinam. vereor ne rapiat te spiritus elationis & dominanti cupido, ad vanitates & insanias falsas utinam attenderes verba sapientiæ talia comminantis: O vos, qui complacetis vobis in turbis, data est vobis potestas à Deo, qui interrogabit opera & cogitationes vestras, qui cum essetis ministri regni illius, non rectè judicastis. Horrendè autem apparebit, & judicium durissimum his qui præsunt fiet: at fortioribus fortior.

fortior instat cruciatus. Amice, in arenâ hujus seculi periculosissimè pugnas: mors te sequitur, vita fugit, caro palpat, mundus allicit, leo rugiens & quærens quem devoret circuit, cucurrit. Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Utinam ab omnibus seculi hujus noxiis abstineres, ut in te quod suum est, non inveniat princeps mundi: & in palæstra, qua curritur ad bravium, nihil haberet adversarius, quo te caperet aut teneret, aut à bravio retardaret. Si mihi credis, imò si credis in DEUM, relinque maturius officialis officium, ministerium damnationis, rotam malorum, spiritum vertiginis, qui te ad inania circumvoluit. Miserere animæ tuæ placens DEO cui placere non potes cum isto damnationis officio. Hæc ille, qui Clerum sæpe alioqui nominat Syriam, Edom, vitulos Bethel, idola Ægypti, pingues Samariæ, sacerdotes Baal, judices qui condunt leges iniquas, & multò plura. Episcopi domo (inquit) ut cum familiâ Dominum comprehendam, nihil est damnabilius ad meritum, nihil inhonestius ad mores, nihil sordidius ad cõscientiam, nihil culpabilius ad famam, nihil perniciosius ad exemplum. Aufer Domine de domo tuâ idolum, & confringe cornua peccatoris. Munere Romæ omnia pervertunt, & omnia monachis licere permittunt: imò ad omnis carnis illecebras, quas annuâ redimunt tacent pensione Cantantur eorum turpitudines in tentoriis Geth & in compitis Ascalonis. Sic factus est princeps Sodomorum, discipulis post eum in cathedra pestilentiæ sedentibus.

ALTERUM *Honorii Augustodunensis* in dialogo de prædest. & lib. arbitrio. Verte te, *inquit*, ad clerum, & videbis in eis Bestiæ tentorium, DEI servitium negligunt, terrenis lucris inserviunt, sacerdotium per immunditiam pollunt, populum per simulationem seducunt, DEUM per mala opera abnegant, omnes scripturas ad salutem pertinentes abdicant, omnibus modis laqueos ad ruinam populo substernunt, quem cæcum ipsi cæci ad interitum præeunt. Contemplare & monachorum conciliabula & videbis in eis Bestiæ tabernacula, per fictam professionem DEUM irridentes, iram ejus provocant, normam regularem moribus & vitâ calcant, per habitum seculum fallunt, multos deceptos decepti ipsi decipiunt, secularibus negotiis impliciti sunt, in servitio DEI desides existunt, plerique

quæ illorum gulæ & illecebris dediti sunt, quidam in immunditiæ sorde computrescunt. Aspice etiam habitacula monialium, & cernes in eis Bestiæ præparatum thalamum. Hæ à tenerâ ætate impudicitiam discunt, complices sibi plurimas ad cumulum suæ damnationis adsciscunt, vel se operire festinant, quo magis frena luxuriæ laxare queant, omnibus fornicariis pejus prosternuntur, & ut insatiabilis charybdis nunquam stercore immundiciæ replebuntur. Hæ animas juvenum illaqueant & gaudent si plures illaqueant. & hæc vult palmam victoriæ, quæ aliis prævalet in scelere. TERTIUM est *Friderici Imperatoris Epistola* ad Hadrianum IV. Papam, apud Nauclerum vol. 2. gener. 39 *quæ sic habet*: FRIDERICUS DEI gratiâ Romanorum Imperator, semper Augustus Adriano Ecclesiæ Catholicæ Pontifici omnibus illis adhærere, quæ cœpit Jesus facere & docere. Lex justitiæ unicuiq; quod suum est restituit. Non enim parentibus nostris derogamus, quibus in hoc regno nostro debitum exhibemus honorem, à quibus videlicet progenitoribus nostris & regni dignitatem suscepimus & coronam. Nunquid tempore Constantini Sylvester regalis aliquid habuisse dignoscitur? sed ejus pietatis concessione libertas concessa est Ecclesiæ, pax restituta, & quicquid regalis papatus vester habere dinoscitur, largitione principum obtinet. Unde cum Romano pontifici scribimus, jure & ex antiquo nomen præponimus, & ad justitiæ normam eidem nobis scribenti concedimus. Revolvite annales, & si lectum neglexistis, quod asserimus, illic invenitur. Ab his autem qui DEI sunt per adoptionem, & regalia nostra tenent, cur homagium & regalia sacramenta non exigamus, cum ille noster & vester institutor ab homine rege nihil accipiens, sed omnia bona omnibus conferens, qui pro se & Petro censum Cæsari persolvit, & exemplum vobis dedit, ut ita faciatis doceat vos, dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde? Aut igitur regalia nobis dimittant, aut si hæc utilia judicaverint, quæ DEI, DEO: quæ Cæsaris, Cæsari persolvant. Cardinalibus utiq; vestris clausæ sunt Ecclesiæ, & non patent civitates: quia non videmus eos prædicatores, sed prædatores: non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores: non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrosores. Cum autem viderimus

eos quales requirit Ecclesia, portantes pacem, illuminātes patriam assistentes causæ humilium in æquitate, necessariis eos stipendiis & commeatu sustentare non differemus. Humilitatis autem, quæ est custos virtutum, & mansuetudinis vestræ non minimam notam incurritis, cum hujusmodi quæstiones religioni non multum conferentes, secularibus personis proponitis. Provideat itaque paternitas vestra, ne dum talia movet, quæ indigna ducimus offendiculum ponat illis, qui velut ad imbrem serotinum ori vestro, aures suas arrigere festinant: non enim non possumus non respondere auditis, cum superbia detestabilem bestiam usque ad sedem Petri reptasse videmus. Paci Ecclesiæ benè semper providentes, benè semper valete. QUARTUM est gravissima *Leodiensium Epistola* adversus Paschalem II. quæ integra est Tom. XII. Cent. Hist Eccles. p. 1110. & seq. quam brevitatis studio præterimus, cum indicasse satis sit. Eam Baronius T. XII. p. 26. tantùm acerrimam vocat.

Consideratio Septima.

SEPTIMO consideramus, AUGUSTINUM *ejus Ecclesiæ autoritate nunquam fuisse movendum ad Evangelium complectendum, cujus ille dogmata postea retecit & quæ malè versari in depositi Evangelici custodia deprehenditur* Talis est autem *Ecclesia hodierna*. ILLA enim per Bellarminum & alios AUGUSTINUM primo adducit *pro obscuritate scripturæ eâ probandâ, quæ impedit plenam articulorum sub periculo salutis credendorum explicationem* ex l. II. de Doctr. Christ. cap. 6. & XII. Confer. cap. 14. & Epist. III. & CXIX. cum tamen AUGUSTINUS hoc dogma rejecerit, l. II. de Doctr. Christ. cap. 9. qui cap. 6. dixerat. *magnificè & salubriter spiritus sanctus ita scripturas sanctas modificavit; ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret.* & Epist. 3. & de Utilit. Cred. cap. 6. ILLA secundò *Augustinum* adducit *pro confirmanda imperfectione scripturæ in tradendis dogmatibus ad salutem necessariis* ex l. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 16. sermone 191. de Tempore Epistol. 118. ad Januarium. de Nat. & Grat. c. 39. & alia; quæ omnia in eptissimè adducta

esse

esse facile ostendi posset; cum tamen *Augustinus* illud dogma rejecerit l.2. cap.9. de Doct. Christ. Ubi inquit. *In iis quæ apertè in scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi, spem scil. atque charitatem.* cui respondet ODILONIS ABBATIS Cluniacensis sententia l.1. Collat. cap. 1. *Omnis ratio, qua vel Deum, vel nos cognoscimus, divinis libris continetur.* confer. Augustin. Sermon.30. ad fratr. in Eremo. & tractat. 49. in Johann. quæ loca ut *Bellarminus*, *Andradius*, *Gautierus*, *Puteanus*, *Hayus* & alii torqueant, vim veritatis declinare non possunt. ILLA tertiò allegat, Bellarmino & Jesuitis aliis agentibus, plurima loca ex *Augustino*, ut probet, *scripturam non esse unicam normam judicandarum controversiarum fidei, sed impertinenter & malè*, cum *Augustinus* hoc dogma innumeris locis rejecerit De bono viduit. cap. 1. *quid amplius te doceam, quam id, quod apud Apostolum legimus. Sancta enim scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plus, quam oportet sapere.* Et lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap.36. *Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum scripturarum certis clarisque documentis. cohibere se debet humana præsumtio, nihil faciens in partem alteram declinando.* Confer. *Cyrill.* lib. de Trinit. & pers. Christi. Πάντα τὰ παραδεδομένα ἡμῖν διά τε νόμου καὶ προφητῶν καὶ ἀποστόλων δεχόμεθα καὶ γινόσκομεν καὶ ὁμολογοῦμεν, οὐδὲν περαιτέρω τούτων ἐπιζητοῦντες. Ἀδύνατον γὰρ παρὰ τὰ θειωδῶς ὑπὸ τῶν θείων λογίων τῆς τε παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης ἡμῖν εἰρημένα εἰπεῖν τι περὶ θεοῦ, ἢ ὅλως ἐννοῆσαι. *Omnia quæ per legem & Prophetas & Apostolos nobis tradita sunt, recipimus & agnoscimus & confitemur: neque ultra hæc aliud aliquid inquirimus. fieri enim non potest, ut præter illa, quæ divinitus à divinis oraculis quum Veteris, tum novi Testamenti nobis exposita sunt, de Deo aliquid dicamus, aut omninò cogitemus.* ILLA quartò ex *Augustino* loca, quibus probet, *libros, quos nos inter V. T. Apocryphos recensemus, esse Canonicos & Authenticos*, producit; cum tamen *Augustinus* disertè illam sententiam rejiciat, lib.2. de Doctr. Christ. cap 8. & de Ecclesiastico nominatim legas lib.2. Retr. cap 10. *Videor non rectè appellasse verba Prophetica, quibus scriptum est, quid superbit terra & cinis? Eccles. 10. quia non in ejus libro legitur, quem certi sumus appellandum esse Prophetam.* Sic cum Donatistæ circumcelliones Raziæ exemplo se tuerentur, &

Augustinus ex consideratione facti docuisset frustra fieri, tandem ipsorum librorum autoritatem amolitur, & *hanc quidem*, inquit, *scripturam, quæ appellatur Maccabæorum non habent Iudæi sicut legem & Prophetas & Psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet, tanquam suis testibus dicens, Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege & Prophetis & Psalmis de me, sed recepta est ab Ecclesia, non inutiliter, si sobriè legatur, vel audiatur, maximè propter illos Maccabæos, qui pro* DEI *lege, sicut veri Martyres, à persecutoribus tam indigna & horrenda perpeßi fuerunt.* ILLA ex *Augustino* conatur docere, *lectionem scripturæ Laicis non esse promiscuè commendandam, sed iis tantum licitam, quibus judicio Ecclesiæ permittitur*: cum tamen *Augustinus* illam sententiam rejiciat. De consensu Evang. l. 1. cap. 10. *Etiam à pueris, qui adhuc pueriliter in gradu lectorum Christianas literas norunt, meritò rideantur.* Confess. lib. 6. cap. 5. eò sibi venerabiliorem & sacrosancta fide digniorem scripturarum autoritatem visam esse asserit, *quo & omnibus ad legendum esset in promtu, & secreti sui dignitatem in intellectu profundiore servaret.* Valde dissentiens Pontificiis, qui profunditatem illorum causam negatæ communi lectioni prætextunt Epist. 1. ad Volusian. *Hortor ut valeo, ut literarum verè certèque sanctarum studio curam te non pigeat impendere.* Sermone 55. de Tempore ad cœtum auditorum suorum ita ait, *Nec solum vobis sufficiat, quod in Ecclesia divinas lectiones auditis, sed etiam in domibus vestris aut ipsi legite, aut alios legentes requirite & libenter audite.* Et in hunc sensum alibi sæpiùs. Planè ut *Theodoretus* serm. 8. θεραπευτικῶν. rationem reddens, quare non sint eloquenter scripti libri sacri, ex interpret. Acciaoli. ita inquit: *Locuples illa liberalißimaque divinitas noluit quinque solùm, decemve aut quindecim, centumve aut ducentos homines salutaribus aquis recreari, sed cunctas affatim tum Græcas tum Barbaras nationes; neque solum homines literarum studiis innutritos, sed sutores juxta, textoresque, fabros item ferrarios, cæterosque manuales artifices, præterq; hos ipsos etiam mendicos, agricolas, lignatores, feminas, tum divitiis affluentes, tum & manuum suarum studio parcè ac duriter victitantes.* Aliter sanè, quam *Bened. Justinianus* Jesuita qui locum Coloss. 3, vers. 16. quem Chrysostomus & autor Commentariorum, qui modo Hieronymo, modo Primasio tribuuntur, etiam ad laicos referunt; ita scribit, *Ne quis putet,*

tet,

tet, quod temere novatores confingunt, sacras literas, quippe faciles & cuivis pervias omnium manibus passim esse tractandas, ne Cerdonibus quidem ac Cementariis exclusis, aut etiam si Deo placet mulierculis, rectè subdit, docentes & commonentes vosmet ipsos quasi dicat, alii alios erudite. quos autem noster interpres dixit vosmetipsos Græcè dixit Apostolus ἑαυτοὺς *id est, vos invicem, ut videlicet peritiores minus eruditos instituant.*

Porrò inter *Pontificos* AUGUSTINI Epistola 38. ad Lætum citatur à *Bellarmino* de Monachis lib. 2. cap. 36. pro ingressu filiorum in Monasteria invitis parentibus. *Est quidem erudita, nec infans Epistola, cæterum plurimum dissonans à phrasi Augustini,* inquit Erasmus in Censura. *Augustini* Epistola 6. in appendice, quæ est Epistola 187. ad Bonifacium comitem, citatur à *Baronio* in parænesi ad Remp. Venet. & T. 5. Annal. ad ann. 421. n. 11. ut probet: *Augustinum excommunicâsse* Bonifacium Comitem, propterea, quod scelestissimum hominem confugientem ad Ecclesiam è liminibus raptum trusisset in carcerem. Epistola 189. ad eundem Bonifacium citatur à *Peresio*, de Tradit. part. 3. pro invocatione sanctorum. *Epistolæ sedecim Augustini ad Bonifacium, & Bonifacii ad Augustinum, quæ interseruntur inter Epistolam ad Honoratum de fuga in persecutione, & Epistolam ad Ediciam de voto continentiæ, non videntur esse Augustini,* inquit *Bellarminus* lib. de script. Eccles. ad Ann. 420. *Nonnullæ quæ circumferuntur Augustini nomine Epistolæ simpliciter sunt confictæ; quod genus sunt illæ Bonifacii ad Augustinum & Augustini ad Bonifacium,* inquit Erasmus in cens. general. in T. 2. Aug. & rursus in censurâ præfixâ Epistolis illis 16. *Quid precemur istis otiosis, qui talibus næniis ac nugis onerant Lectorem? nec oratio, nec sensus quicquam habet Augustini, inquit* ille. Ipsi *Theologi Lovanienses* rejecerunt has epistolas in Appendicem. T. 2. *& eas multum discrepare à venâ & stylo Augustini affirmant* in cens. T. 2. usque adeò, *ut docti plerique censeant eas exercendi styli gratiâ confictas esse, sub nomine Augustini & Bonifacii.*

AUGUSTINI Epistola ad *Cyrillum* de vitâ & gestis B. Hieronymi, citatur à *Bunderio* in compend. Theol. Tit 23. art. 5. pro invocatione sanctorum, & à *Peresio* de Tradit. part. 3. pro delectu ciborum, *Epistola S. Augustini ad Cyrillum de obitu S. Hieronymi, sine dubio falsæ & sup-*

& ſuppoſititia eſt inquit *Bellarmin.* lib. de ſcript. Eccleſ. ad an. 390. obſervat. in 9. Tom. Hieron. *Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi ſcriptum ad Cyrillum de magnificentiis B. Hieron. non eſſe Auguſtini, obſervavit ante omnes recentiores D. Antonius inſignis canoniſta* inquit *Scultingus* cenſ. in Confeſſ. Hieronym. *Epiſtola Auguſtini ad Cyrillum, non poteſt eſſe Auguſtini,* inquit *Poſſevinus* in Appar. Auguſt. *Quid dicendum de Epiſtola Auguſtini nomine ad eundem Cyrillum Hieroſolymorum Epiſcopum,* inquit *Baronius* T. 5. Annal. ad ann. 420. num. 46. *Quod author cogit ipſum loqui mendacia, ut cum præter Latinam linguam, quinque alias Hieronymum calluiſſe dicitur, nempe Hebræorum, Græcorum, Chaldæorum, Perſarum atque Medorum: cum id penitus contrarium ſit his, quæ de ſe ipſe Hieronymus & de eodem Auguſtinus verè teſtantur, nimirum non niſi trium linguarum ipſum habuiſſe peritiam, videlicet Latinæ, Græcæ & Hebraicæ. Quid eſt etiam, quod idem pius effictor tribuit Hieronymo inter alia inſignia etiam virginitatis coronam, cum ipſemet S. Hieronymus ingenuè fateatur ſe minimè virginem? Quid alia plura ibidem aſſerta opus eſt confutare mendacia. Impoſtator indoctus fuit, quiſquis Epiſtolas de obitu Hieronymi confixit ſub nominibus Auguſtini ad Cyrillum, & Cyrilli ad Auguſtinum, inquiunt Lovanienſes in cenſ.* T. 2.

AUGUSTINUS de mirabilibus ſacræ ſcripturæ citatur à *Turriano* in Confeſſ. Auguſt. lib. 4. cap. 10. lect. 6. ut probet, Enoch adhuc in vivis eſſe: & lib. 3. cap. 2. ſect. 4. unumquemque recipere Spiritum ſanctum in baptiſmo. Citatur ab *Hoſio* in Confeſſ. Petri Kou cap. 80. ut probet Eſdram reſtituiſſe libros Legis. *Etſi hoc opus ponitur inter libros D. Auguſtini, & ſub ejus nomine citatur à multis, non eſſe tamen Auguſtini apud doctos viros, & minimè dubiis conſtat argumentis,* inquit *Pererius* lib. 1. comm. in Dan. *Liber de Mirabilibus ſacræ Scripturæ, non ſine cauſa non invenitur in Retractationibus, neque in Indiculo Poßidii, quoniam liber eſt indignus ingenio, & gravitate ſancti Auguſtini, quem etiam non magnifecit, & Sancti Auguſtini eſſe negavit* S. Thomas 3. p. q. 45. art. 3. ad 2. inquit *Bellarminus* in lib. de ſcript. Eccleſ. ad Annum. 420. *Lovanienſes* rejecerunt in Appendicem T. 3. *ut nec ſtylo, nec ingenio Auguſtinum referentem.* Ac *manifeſtum eſſe dicunt* ex lib. 2. c. 4. *Authorem vixiſſe poſt Ann. 600. Poſſevinus* in Apparatu, *Lenſæus* lib. 1. de

purg.

purg. cap.11. & *Mendoza* controv. Theolog. quæſt.5. *Eraſmus* in cenſ. rejiciunt penitus hunc librum.

AUGUSTINUS de ſpiritu & Anima, citatur à *Turriano* in Confeſſ. Auguſtini lib. 4. cap. 2. ſect. 2. ut probet Sanctos audire in cœlo preces viventium. Citatur à *Colonienſibus* in cenſ. dial. 6. pro Invocatione ſanctorum. Atque ad erigendum Lectorum animos, ut magis ſeriò ad locum citatum attenderent, *Audi illud inexpugnabile fidei Chriſtianæ propugnaculum Auguſtinum*, inquiunt illi ibidem. Auguſtinum hic nullus audit, ſiquidem hic liber rejicitur, utpote alterius, non ipſius Auguſtini, communi Papiſtarum ſententiâ. *Ego in hoc opere quoſdam Tractatus non abſque conſilio omiſi, qui à pleriſque B. Auguſtino adſcribuntur, è quibus eſt liber de ſpiritu & Animâ, in cujus cap. 37. Boëtius allegatur, qui longo tempore poſt Auguſtinum natus eſt*, inquit Trithemius de ſcript. Eccleſ. *Non eſt hic liber Auguſtini, ſed cujuſdam multo recentioris, nam cap.7. citat. Boëtium & cap.48. habet ex Gennadio de Eccleſ. dogmatibus permulta cautè legenda*, inquiunt Theologi Lovanienſes Cenſ. in T. 3. *Hic liber de Spiritu & Animâ, non eſt Auguſtini, ſed alterius, nec tàm docti, nec tàm antiqui &c.* inquit Martinus Delrius in diſquiſit. Mag. l.5. ſect. 26. ſubjiciens eodem loco: *Vincentius Bellovacenſis, ac Trithemius, Hugoni Victorino, nonnulli Etheriano adſcribunt.* Et lib. 2. 16. *Liber ille non eſt Auguſtini, nec etiam D. Gregorii, cui tribuit Iohannes Beetſius Carmelita, ſed Hugonis Victorini vel Hugonis Etheriani*, inquit idem. *Hic liber eſt Apocryphus, cum Author ejus ignoretur, & ſunt ibi multa vel falsò vel impropriè dicta &c. dicitur eſſe cujuſdam Ciſtertienſis, nec eſt multum curandum de his, quæ in eo dicuntur*, inquit Thomas Aquinas de ſpiritu creatura quæſt. 11. ad 2. & de Anima q.9. ad 1. quæſt.77. art 8.1. *Liber de Spiritu & Anima, non eſt S. Auguſtini, ſed alicujus multò recentioris, cum cap.7. citet Boëtium, qui ferè 100. annis fuit Auguſtino poſterior.* & cap.48. *multa profert ex lib. de Eccleſ. dogmatibus*, inquit *Bellarminus* lib. de ſcript Eccleſ. ad ann. 420. AUGUSTINUS de benedictionibus Patriarcharum, citatur à *Turriano* in Confeſſ. Auguſtin. lib.4. cap. 10. ſect. 1. ut probet Antichriſtum unum aliquem particularem hominem futurum. *Lovanienſes* Theologi in cenſ. in T.3. rejecerunt hunc librum in Appendicem T.3. rejecit etiam ut alterius fætum Eraſmus, imò & Bellarmi-

larminus. *Nam studiosus aliquis desumsit hoc ex libro quæstion. Hieron. in Genesin, omissis aut immutatis aliquot verbis, quomodo solet Beda*, inquit *Erasmus* cens. in hunc libr. *Et, Liber de Benedictionibus Patriarcharum excerptus videtur ex quæstionibus Hebraicis Sancti Hieronymi* inquit *Bellarminus*. lib. de script. Eccles. ad ann. 422.

AUGUSTINUS de Eccles. dogmatibus, citatur à *Coloniensibus* Antididagm. Col. fol. 53. pro exorcismis & ex sufflationibus: ab *Alano* de Confess. cap. 1. & *Anglo-Rhem.* annotat. in 1. Cor. 11. 28. pro auriculari Confessione: à *Pisano* de Abstin. cap. 9. pro abstinentiâ à carnibus. De Authoribus hujus operis dubitarunt multi superioribus seculis, & adhuc sub judice lis est. A *Trithemio* adscribitur *Alcuino*, ab aliis *Isidoro*: sed plures, & majoris authoritatis *Gennadio* tribuunt, ut *Walafridus Strabo* de re Eccles. cap. 20. *Petrus Lombard.* sentent. 2. dist. 8. *Thomas Quodlib.* 12. Art. 10. *Platina in Symmacho* & alii, inquiunt *censores Gregoriani* Notat. in dist. 33. cap. 1. Sed Augustini non esse, hoc certum. *Liber de Eccles. dogmatibus perperam Augustino inscribitur*, inquit *Sixtus Senensis* Bibl. sanct. *Nego illud opus esse Augustini, prout multi ante me hoc negaverunt*, inquit *Alfonsus de Castro* adv. hær. baptism. hær. 10. *Liber de Eccles. dogmatibus multorum doctissimorum virorum judicio, ex Augustini officinâ non prodiit* inquit Madridius de Freq. comm. pag. 270. *Liber de Eccles. dogmatibus non videtur esse S. Augustini, cum præcipuè constet ex sententiis concilii Arausicani, & summorum Pontificum Innocentii, Zosimi, Cælestini, & maximâ ex parte ex operibus S. Augustini. Nam Concilium Arausicanum, & Epistolam Cælestini scripta esse constat, post mortem Augustini* inquit *Bellarminus* de script. Eccles. ad Aann. 420. *Baronius* quidem in T. 6 Annal. ad Ann. 490. num. 46. *certum* esse dicit, *hoc opus esse Gennadii*: Attamen rejicitur à *Lovaniensibus* cens. in Appendicem T. 3. cum hâc infamiæ notâ. *Non est Catholici scriptoris.* Atque ad cap. 21. ejusdem libri observant iidem *Lovanienses* ea quæ sequuntur à medio capitis 21. usque ad 25. non esse *Gennadii*, sed ab erudito quodam recentiore scriptore hoc loco esse interjecta; Unde factum est, ut in manuscriptis codicibus non inveniantur.

AUGUSTINUS de fide ad Petrum, citatur ab *Anglo-Rhem.* Annot. in 1. Cor. 7. 9. ut probent: damnatos esse qui uxores duxerint post

post votum continentiæ: Et à *Durando* de ritibus Eccles. l.2. cap.41. num.14. pro sacrificio Missæ. *Authorem illius libri fuisse Augustinum, negamus* inquit *Azorius* T.1. instit. Moral. lib.4. cap.35. *Negari potest librum illum esse Augustini propter styli dissonantiam, & quia de eo in libro Retractationum non meminit* inquit *Salmeron* disput.48. in Epist. Paul. *Liber de fide ad Petrum non videtur esse S. Augustini, cum non fiat ejus mentio, nec in Retractationibus, nec in Indiculo,* inquit *Bellarminus* de script. Eccles. ad Ann. 420. A *Lovaniensibus* rejicitur in Appendicem T.3. *Et malè creditum S. Augustini esse* inquit *Baronius* T.6. Annal. ad Ann. 517. num.66. Augustinus de bono viduitatis, citatur ab *Hosio Cardinale* in Confess. Petri kou, cap.26. ut probet eos mæchari, qui post votum continentiæ uxores ducunt. *Pamelius* Annot. in Tertull. adv. Hermog. cap.1. n.7. cum citat hunc libellum, sub hâc formâ: *Citatur Author opusculi de bono viduitatis inter lucubrationes D. Augustini*: quod satis arguit *Pamelium* non putasse hunc librum Augustini esse. Sed confidentius loquitur *Lindanus* apud quem in Panopl. l.4. c.98. sic legimus: *Viduæ post votum castitatis adulteræ sunt si nubant, sic Apostolus* 1.*Tim.*5. *huic interpretationi subscripsit D. Augustinus senex. Unde mihi præter alia non minimi sanè momenti argumentum est, librum qui eius nomine Bonum viduæ inscribitur, non esse Augustinianum.* Augustini lib. quæstionum 65. citatur à *Turriano*, pro reali Christi in sacramento præsentiâ: Et pro cruce in baptismo. *Hic liber non est Augustini ut eruditi fatentur,* inquit *Bellarminus* lib. 2. de Missa. c.12. & alibi *Liber 65. quæstionum non videtur esse S. Augustini, non solùm quia non habetur in Retractationibus, neque in Indiculo: sed etiam quia nihil habet grave, & dignum Augustino,* inquit idem lib. jam aliquoties citato descriptor. Eccles. ad Ann.420.

Augustini lib.21. sententiarum citatur à *Torrensi* in Confess. Augustini l.4. cap.9. §.5. pro signo crucis in fronte. *Lovanienses* rejecerunt hunc librum in Appendicem T.4. dicentes: *Constare à studioso quopiam ex variis authoribus nullo ordine congestum.* Idem dicit *Bellarminus*: *Nam, Liber sententiarum* XXI. *non videtur esse S. Augustini, non solùm quia non habetur in Retractationibus, neque in Indiculo: sed etiam quia nihil habet dignum Augustino* inquit ille lib. de script. Eccles. ad Ann. 420.

Liber quæst. V. & N. Testam. AUGUSTINI citatur à *Turriano* in Confess. Augustin. l. 4. cap. 9. s. 11. pro vestitu sacerdotali, à *Copo* dial. 1. cap. 13. *Anglo-Rhem.* annot. in Matth. 17, 27. & aliis pro primatu Petri: à *Copo* dial. 1. cap. 14. & *Eccio* Enchirid. cap. 19. pro cælibatu sacerdotum. *Liber quæst. V. & N. Testam. non est Augustini, ut in titulo ejus libri scribitur, neque hominis Catholici*, inquit *Bellarminus* lib. de grat. prim. hom. cap. 3. *Nam is author in quæst. 123. disertis verbis refellit eos, qui dicunt Adamum accepisse Spiritum sanctum, & filium Dei fuisse per adoptionem, & eam adoptionem per ipsius Adami inobedientiam perditam, nos per Christi obedientiam ac merita recuperare. Quæ sententia non est, ut author ille dicit Patrum quorundam simplicium, sed Patrum doctissimorum, tùm Græcorum, tùm Latinorum, & ex Apostolo satis apertè colligitur. Neque in hâc re solùm author ille errasse convincitur, sed in aliis etiam plurimis. Siquidem q. 2. scribit, mundum à Deo conditum ob diaboli præsumptionem. q. 21. scribit, fœminam non esse creatam ad imaginem. Dei q. 43. scribit Iephte nullum habere justitiæ testimonium, cum tamen habeat tam præclarum apud Apostolum ad Hebræos 11. q. 109. scribit: Melchisedek esse Spiritum sanctum, & Sacerdotem, non tamen summum. Quam sententiam reprehendit S. Hieronymus, admonens authorem ejus operis, in quo asseritur Melchisedek esse Spiritum sanctum, esse imperium scientia & sermone, &c.* Hæc ille, observans & lib. 2. de effectu sacram. cap. 10. lib. de script. Eccles. ad ann. 420. & l. 1. de Missa cap. 6. eundem librum non esse Augustini, sed alicujus hæretici, qui multa docet, & contra fidem, & contra Augustinum. *Inter opera quæ Augustini nomine circumferuntur nihil est, quod magis ab Augustini libris alienum esse iudicatur, quam V. & N. Testament. quæstiones, in quibus multa absurda, ac tanto viro indigna videre licet*, inquit *Angelus Roccha* in Epit. Bibl. Theolog. & script. pag. 32. Ad eundem modum loquuntur & alii.

AUGUSTINUS *de verâ & falsâ pœnitentiâ* citatur à *Catech. Trident.* fol. 320. pro auriculari Confessione: ab *Alano* defens. purgat. cap. 12. & aliis pro Purgatorio. Atque *Alanus*, citari ab eo dicit, *ut mundus intelligat, quam iniquè se gerant adversarii, qui non erubescunt asserere, Augustinum quandoq; negasse purgatorium, quandoq; de eo dubitasse.* Ex citatione hujus libri sub nomine Augustini, mundus intelligere

telligere poteſt impudentiam Alani: qui iterum atque iterum obtrudit ſub nomine Auguſtini, quem ſpurium & ſuppoſititium eſſe conſtat. cap. 17. *refert ſententiam Auguſtini & ab eâ diſſentit*; Id ſi non eſſet, tamen tot undique ſunt argumenta, quæ clamitant hoc opus non eſſe Auguſtini, ut abundè ſit monuiſſe lectorem. Et tamen totus ferè hic liber transſcriptus eſt in decreta, & ſententias, ut hinc liqueat, quantò plus fuerit in colligendo ſtudii quam judicii inquit *Eraſmus Bunderius* dicit *hanc rationem frigere, neque ſatis ponderis habere, ad probandum librum eſſe ſuppoſititium*, in comp. Theolog. t. 18. artic. 5. At *Lovanienſes* cenſ. in Appendicem T. 4. inquiunt. *Non eſt Auguſtini, ut conſtat tum ex aliis, tum ex eo, quod author cap. 17. referat Auguſtini ſententiam ex homilia* 41. *homiliarum* 50. *& ab eà diſſentit. Ego in hoc opere non abſque conſilio omiſi quoſdam Tractatus, qui à plerìſque B. Auguſtino tribuuntur, è quibus eſt liber de verâ & falsâ pœnitentiâ, quoniam cap. 17. Auguſtinus ipſe allegatur*, inquit *Tritbemius* de ſcript. Eccleſ. *Liber de vera & falsâ pœnitentia non eſt Auguſtini; nam prater quam, quod non ſit ejus mentio in Retractationibus, neque in Indiculo, cap.* 17. *hic author adducit ſententiam quandam S. Auguſtini, & ab eâ diſſentit*, inquit *Bellarminus*, quem ſequitur *Poſſevinus* in Apparat. verbo, Aurelius Auguſtinus: *Angelus Roccha* lib. citato pag. 51. Et *Lopez* in prolog. Epitom. ſanct. Patr. T. 1. Apud *Martinum Navarrum* legimus ita T. 1. comm. in diſt. 5. de pœnit. *Liber de verâ & falsâ pœnitentia nonnullis malè videtur non eſſe Auguſtini, prudentius & moderatius eſt putare, illam partem, quâ citatur Auguſtinus, fuiſſe notatiunculam alicujus viri docti potius in margine adſcriptam, & deinde contextui à librariis inſertam: quam ob eam negare Auguſtini eſſe librum optimum, tot ſeculis ei tributum.* Hic ſanè Jeſuitas inſimulare videtur impudentiæ, & ſeipſum hæreſeos ſuſpectum reddere quia *Grethſero* lib. 2. cap. 6. de jure & more prohib. lib. mal. *Hæ ſunt partes hæreticorum; ſi quo loco alicujus authoris ſe premi vident, dicere, locum illum eſſe aſſutum, ex margine libri in contextum irrepſiſſe.*

AUGUSTINUS *de ſalutaribus documentis* citatur à *Garetio Univerſ.* & Cathol. Eccleſ. confeſſ. pro reali præſentia: Et à *Tallepiedo* collat 4. doctor. pro auriculari confeſſione. *Liber qui inſcriptus eſt, de ſalutaribus documentis, neque Auguſtini neque eo dignus*, inquit

Lensæus de purgat. cap. 12. *Liber de salutaribus documentis non videtur esse S. Augustini, tum quia ejus non facit mentionem Possidius in Indiculo, tùm quia stylus humilior est, & oratio ipsa magis jejunia, quam soleat. S. Augustini* inquit *Bellarminus* lib. de script. Eccles. Eodem sunt judicio *Theologi Lovanienses* cens. in T. 4. August. *Possevinus* in Appa. verbo, *Aurelius Augustinus*. Et *Angelus Roccha* libro supra citato. AUGUSTINUS de *continentia* citatur ab *Anglo-Rhem.* annot. in 1. Corinth. 7. & *Maldonato* comment. in Matth. 19. 11. ut probent: continentiam dari à Deo omnibus eam petentibus. citatur à *Bellarmino* de amiss. grat. l. 5. cap. 8. ut probet concupiscentiam non esse propriè pecatum. *Qui tamen liber à nonnullis creditur Hugonis Victorini* inquit *Angelus Roccha* Epit. Bibl. p. 41. AUGUSTINUS de *patientiâ* citatur à *Parsonio* Convers. Ang. part. 3. pag. 13. ut probet Martyrium prodesse hæretico, ad tolerabiliorem damnationem; Et à *Coloniensibus* dial. 2. ut probent: Opera infidelium non esse peccata. *Aliqui hunc librum appropriant Cypriano, ex ignorantia tamen quia multum in stylo differt à Cypriani libro*, inquit *Roccha* libro supr. citat. *Concio ad Catechumenos* T. 6. citatur à *Turriano* Confess. Augustin. l. 1. cap. 6. sect. 12. ut probet Ecclesiam non posse errare. *Concio ad Catechumenos Augustini non esse videtur Iohanni à Lovanio* inquit *Possevinus* Apparat. 5. Aur. August. & quidem, Hic tractatus idem cum fer. 4. de tempore in ed. Veneta Ann. 1603. AUGUSTINUS de *altercatione Ecclesiæ & Synagogæ* citatur à *Turrinno* pro virtute crucis lib. 4. cap. 9. citatur & à *Garetio*, de veritate corporis Christi in sacram. fol. 168. inter authores ignotos. *Non sapit Augustini phrasin, nec ab aliquo bono authore testimonium habet*, inquiunt *Lovanienses*. *Liber de Altercatione Ecclesiæ & Synagogæ non videtur Augustini, cum nec sit in Retractationibus, nec in Indiculo nec ab ullo bono authore testimonium habet, neque phrasin S. Augustini sapiat*, inquit *Bellarminus* lib. de script. Eccles. ad annum. 420. AUGUSTINUS contra *Felicianum Arrianum*, citatur à *Bristoo* pro Limbo Patrum in Replica ad *Fulconem* part. 2. c. 9. *Non est probabile hunc dialogum esse Augustini &c. eruditus aliquis exercendi ingenii gratiâ finxit* inquit *Erasmus*. AUGUSTINI liber, qui inscribitur *Hypognosticon* citatur à *Bisnopo* pro meritis operum contra *Perkinsum* fol. 68. à *Stapletonio* Triplicat. p. 296. pro libero arbitrio: à *Bellar-*

mino

ſino lib.1. de baptiſm. c.25. pro efflatione in Baptiſmo. Hic liber rejicitur à *Lovanienſibus* in Append. T.7. quia judicarunt eſſe incerti authoris. *Non cenſetur hic liber Auguſtini, qui titulos Græcos ſuis libris* [illegible]*dere non ſolet, nec ſtylus per omnia congruit, &c.* inquit *Angelus Rocca* ſupr. cit. *Libri qui inſcribuntur Hypognoſticon, phraſin non habent Auguſtini, neque à Poſsidio vel Beda vel alio vetere citantur ſub nomine Auguſtini* inquit *Bellarminus* lib. de ſcript. Eccleſ. *Certè Hypognoſticon. non eſt Auguſtini, ſed alterius, ejuſdemq; Pelagianis,* inquit *Andreas du Valii Doctor Sorbonicus* notis in lib. Eccleſ. Lugdun. quæ habentur in Tom. 2. Actuarii ad edit. 3. Bibl. vet. Patrum, ubi plura reperiet Lector. pag. 1150. & 1194. & 1297.

AUGUSTINUS contra *Fulgentium Donatiſtam* citatur à *Fitzimone* contra Riderum pag. 205. ut probet: Impios comedere Corpus Chriſti. *Hic liber incerti autoris eſt,* inquiunt Lovanienſes. *Atque ſane ejus mentio habetur in Retractationibus neque in Indiculo teſte Bellarmino* lib. de ſcript. Eccleſ. AUGUSTINUS de *prædeſtinatione & gratia* citatur à *Torrenſi* Confeſſ. Auguſt. l. 2. cap. 3. pro libero arbitrio. Rejicitur à *Lovanienſibus* in Appendicem part. poſt. T. 7. & dicitur *eſſe ſuſpecti authoris. Liber de prædeſtinatione & gratiâ non videtur eſſe Auguſtini, nam diſcrepat à phraſi, & à doctrina Auguſtini: ſiquidem cap. 10. dicit hic author hominem potuiſſe juſtè à Deo damnari, etiamſi non peccaſſet: contrarium docet S. Auguſtinus in Epiſt. 105. & 106. & lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 16. & alibi. Deinde nulla erat ratio, cur hunc librum ſcriberet, qui tam copioſè ſcripſerat de prædeſtinatione ſanctorum. Denique liber hic neque à Poſsidonio neque à Beda, neque ab alio veteri teſtimonium habet* inquit *Bellarminus* lib. de ſcript. Eccleſ. AUGUSTINI *Meditat.* liber citatur à *Salmerone* pro Invocatione Sanctorum in genere comm. in 1. Tim. 2. diſput. 7. ab *Anglo-ſacrificulis* petit. ad Reg. pag. 26. pro Invocatione virginis Mariæ in ſpecie. à *Coccio,* quo probet ſanctos abſentia cognoſcere & vota noſtra percipere. Tom. 1. l. 5. de ſanct. artic. 8. Hic liber filius eſt populi *Garetius* de veritate corporis Chriſti citat. *inter authores ignotos. Lovanienſes* dicunt *Authorem hujus libri vel fuiſſe Auguſtinum, vel qui ejus libros non indiligenter legit.* Hic unus eſt ex iis libris T. 9. Auguſtini, de quibus Bellarminus de ſcript. Eccleſ. obſervat. 3. in T. 9. Auguſt. *profitetur.*

zetur, se nihil certi haberi. Videtur tamen non esse Augustini. Quia cap. 26. habetur hymnus Rythmicus de gaudiis Paradisi, in hæc verba:

Ad perennis vitæ fontem mens sitivit arida.
Claustra carnis, præsto frangi, clausa quærit anima
Gliscit, ambit, eluctatur, exul frui patria, &c.

Nam hoc genus Rythmi Scholasticorum potius, quam antiquorum Patrum inventum existimandum est. Quod ex Sixto Senensi potest colligi, cujus hæc verba sunt l. 3. Bibl. sanct. Scholastici cum desiderarent homines sui seculi Rythmis deditos ad studia sacrarum literarum allicere, arreptâ hinc occasione excogitaverunt & ipsi novam metricæ artis rationem, quæ ab omnibus eruditis contemnebatur, & prorsus explodebatur, tanquam inepta, superstitiosa & risu digna.

AUGUSTINI *Manuale* citatur ab *Hardingo* Replica pro missâ p. 121. Et à *Gretsero*, ut probet: militem illum qui latus Christi lanceâ aperuit fuisse Longinum l. 1. de cruce c. 33. Et hic liber unus est ex iis, de quibus *Bellarminus* inquit *se nihil certi haberi.* Verum *Lovanienses* rejecerunt in Appendicem T. 9. in quâ continentur ea, *quæ constat non esse Augustini.* AUGUSTINI liber *Soli loquiorum* citatur ab *Anglo-Duacensibus* annot. in Gen. 48 15. pro invocatione Sanctorum. Hic liber quoq; unus est ex iis, de quibus *Bellarminus* loco cit. ait *se nihil certi haberi*, & rejicitur à *Lovaniensibus* in Appendicem T. 9. August. AUGUSTINI *Explicatio Apocal.* citatur à *Turriano.* conf. Augustin. l. 4. c. 10. ut probet Eliam temporibus Antichristi prædicaturum: ab *Anglo Duacensibus* Annot. in verbo Testam. p. 762. ut probent Eliam in vivis esse. Hæc Explicatio rejicitur in Appendicem à *Lovaniensibus. Liber Explicationis Apocalypsis manifestè suppostitius est, quoniam exponit cap. 21. de statu præsentis Ecclesiæ, quod impudentiæ nimiæ esse dicit S. Augustinus lib. 20. de C. D. cap. 12.* inquit *Bellarminus* tum lib. 3. de cultu sanctor. cap. 4. tum lib. de script. Eccles. ad Ann. 420. observat. 2. in 9. T. August. Tychonio Donatistæ tribuit *Ribera* comm. in Zachar. cap. 4. n. 9. AUGUSTINUS de *triplici habitaculo* citatur à *Kellisono* lib. 3. cap. 12. Nov. relig. ut probet: sanctos cognoscere cogitationes nostras. Hic etiam unus est

ex iis de quibus *Bellarminus* ait se nihil certi haberi. Hunc *incerti authoris esse* fatentur *Lovanienses. Pium quempiam ac otiosum consarcinasse hunc librum, putat Erasmus. A nonnullis Bernhardo adscribitur, teste Angelo Rocca*, lib. cit. AUGUSTINI *Scala Paradisi* citatur à *Turriano* confess. Augustin. l. 2. c. 3. pro libero arbitrio. Hic liber unus illorum est, de quibus *Bellarminus se nihil certi habere* fatetur: Attamen *Lovanienses* certè statuerunt non esse Augustini, sic enim de eo scripserunt cens. in T. 9. *Hoc opusculum fertur inter scripta Bernardi, quanquam nec illius videtur esse, tantum abest ut sit Augustini: neque enim unquam Augustinus laboravit manibus, quod Monachorum est, qui tùm fuerant Laici.* AUGUSTINUS de *cataclysmo* citatur à *Turriano*, pro reali Christi in sacramento præsentia. De hoc nihil certi habet Bellarminus: & *Garetius* citat inter authores ignotos, de verit. corpus Christi. AUGUSTINUS de *vitâ Christiana*, citatur à *Torrensi*, ut probet: fideles in baptismo visibili chrismate inungendos esse l. 3. conf. August. cap 4. De hoc nihil certi habet *Bellarminus* lib. de script. Eccles. Verum *Lovanienses* rejecerunt in Appendicem T. 9. AUGUSTINUS de *cognitione veræ vitæ* citatur à *Coloniensibus* dial. 6. pro invocatione sanctorum, *Hoc opus Augustini non esse, stylum & alia quadam manifestare* dicunt *Lovanienses* cens. T. 9. *de hoc nihil certi habet* Bellarminus lib. de script. Eccles. AUGUSTINUS de *Assumptione* citatur à *Stapletonio* prompt. Cathol. part. 2. pro assumpt virg. Mariæ. Atque *Brevis & elegans tractatus* ibidem dicitur: licet *Lovanienses* aliter sentiant; Nam *nō est Augustini* inquiunt illi cens. in T. 9. *Liber est inter opera Augustini* T. 9. *de Assumt. B. Mariæ, sed non reputo esse Augustini* inquit *Ioh. Hessels* notis in Usuardi Martyrolog. c. 8. de hoc itidem nihil certi habet *Bellarminus*.

AUGUSTINUS de *obedientiâ & humilitate* citatur à *Sedulio* lib. 2 c. 5. in Apologiâ pro libro conformitatum, pro voto obedientiæ. l. 2. cap. 5. de hoc nihil certi habet *Bellarminus* lib. de script. Eccles. Sed, *Non est Augustini*, inquiunt *Lovanienses.* AUGUSTINUS de *diligendo Deo*, citatur à *Turriano* l. 4. Confess. Augustin. cap. 2. ut probet Angelos offerre preces nostras Deo. De hoc nihil certi habet *Bellarminus*, verum *phrasin multum discrepare ab Augustinianâ & Erasmus & Lovanienses* scribunt in suis censuris. AUGUSTINUS

de

de *laudibus charitatis*, citatur à *Lombardo*, ut probet: charitatem esse causam fidei lib 3. sent. dist. 23. De hoc *Bellarminus* nihil certi habet lib. de script. Eccles. AUGUSTINUS de *visitatione infirmorum* citatur à *Turriano* pro cruce, conf. August. l. 4. cap. 9. ab *Alano* de Confess. cap. ult. pro auriculari confessione: & ut diligentius attendamus, sic inscribit, *Sanctus ille Orthodoxæ fidei Doctor Augustinus*. Licet *Bellarminus* in lib. de script. Eccles. noviter impresso dicat, *de hoc libro se nihil certi habere*: tamen lib. de extremâ unctione cap. 4. fatebatur, *videri falsò tribui Augustino*; *nec mirum, cum in* his libris videlicet lib. 2. cap. 3. Imaginum cultus probatur, qui in genuinis Augustini operibus, videlicet in lib. de Morib. Eccles. Cathol. c. 34. reprobatur. *Lovanienses* cens. T. 9. *non esse Augustini* ajunt. AUGUSTINUS de *Rectitudine Catholicæ conversationis* citatur in *censura Coloniensi* dial. 6. pro invocatione sanctorum. *A Rhemensibus* pro extremâ unctione. Rejicitur in Appendicem T. 9. à *Lovaniensibus*, cum hâc censurâ: *Non est Augustini*. De hoc nihil certi habet *Bellarminus*. AUGUSTINUS de *Antichristo* citatur à *Coccio* T. 2. l. 10. de 4. noviss. art. 3. ut probet Antichristum nasciturum ex tribu Dan. & à *Turriano* conf. Aug. l 4. c. 10. ut probet Antichristum unum aliquem particularem hominem futurum. Tractatus iste excusus est etiam titulo *Rabani Archiepiscopi Moguntini*, ejusque esse agnoscit *Robertus Tuitiensis*, à quo allegatur in 8. cap. Apoc. inquiunt *Lovanienses* cens. T. 9. *Opusculum de Antichristo quod habetur sub nomine Augustini in fine* T. 9. *probabile est esse Rabani, certè Augustini esse non potest*, inquit *Bellarminus* de R. Pontif. lib. 3. c. 12. & de script. Eccles. ad ann. 420. *Liber de Antichristo manifestè suppostitius est, nam mentionem facit imperij translati à Græcis ad Francos; quod contigit* 400. *Annis post Augustini tempora*, inquit idem. *Augustinus de utilitate pœnitentiæ* citatur à *Turriano* conf. Aug. l. 3. c. 9. pro satisfactione. A *Garetio* de corpore Christi citatur inter ignotos authores. Est idem cum serm. 27. hom. 50. AUGUSTINI præfatio in Joh. citatur à *Greg. de Valentia* lib. de indissolub. vinc. matrim. c. 2. ut probet Christum vocasse Johannem Evangelistam ad perpetuam professionem castitatis. *Theologi Lovanienses* in cens. T. 9. ajunt: *Præfationem in Evangelium Joh. esse incerti authoris*. Et castigationibus &

varijs

variis lectionibus ad T. 9. *Præfatio* (inquiunt) *quæ huic expositioni* (videl. in Johan.) *in prioribus editionibus præmittebatur, nec Augustini est, nec in ullo erat manuscripto Codice. Res ipsa clamitat non esse Augustini* inquit Erasmus.

AUGUSTINUS de *verbis Domini* serm. 28. citatur à *Bellarmino* de Euch. lib. 3. c. 10. & aliis pro Transsubstantiatione. Ex homiliis de verbis Domini subsequentes non numerantur in Indiculo *Possidii* 3. 4. 18. 19. 20. 22. 25. 28. 29. 34. 37. 58. 41. 47. 49. 50. 52. 54. 56. 57. 58. *De quibus nihil certi habeo* inquit *Possevinus* Apparat. Augustin. Serm. 3. 14. 19. 20. 28. 52. 57. 58. de verbis Domini rejiciuntur à *Lovaniensibus* cens. gen. præf. T. 10. in Appendicem T. 10. in quam solùm illa rejiciuntur quæ certò deprehensa sunt, Non esse *Augustini*. Atque hoc (quod spectat ad serm. 28.) meritò eos fecisse apparet, tùm ex hoc, quod sermo iste 28 est idem planè cum eo, qui reperitur sub nomine *Ambrosii* lib. 5. de Sacram. c. 4. tùm ex eo, quod continet doctrinam, quæ cum *Augustini* mente non congruit. Nam in hoc Sermone hæc verba Christi, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, exponuntur tantùm de Sacramento corporis Christi: cum in illis operibus quæ certò deprehenduntur esse Augustini, exponantur etiam de hujus vitæ sufficientia. Ut in Epistola 121. cap. 11. & in Enchirid. ad Laurent. cap. 115. & lib. 1. locut. in Genes. cap. 39. *Augustini* serm. 15. de verbis Apostoli, citatur à *Greg. Martino* detect. hæret. translat. cap. 10. sect. 7. ut probet: Deum non posse justificare hominem sine seipso. Et serm. 17. à *Bellarmino* lib. 1. de purgat. c. 6. ab aliis, serm. 32. pro purgatorio. Sermonem 15. non esse *Augustini* videtur ex eo colligi, quod non numeretur in Indiculo *Possidii*. Et quod egregium, dictum dicat, quasi à grege separatum, Nam non minus hoc ridiculum quam Neptunus à nando Sermonem 32. non esse *Augustini*, nedum 15. censuit *Bellarminus* de script. Eccles. ad ann. 420. quia in capite horum sermonum non habetur A. majusculum affixum, nec aut idem affirmare omnes serm. de verbis Apostoli Augustini esse, sed omnes, aut ferè omnes. AUGUSTINI hom. 12. ex 50. homiliis citatur à *Bellarmino*, pro auriculari confessione lib. 3. de pœnit. c. 9. & homil. 16. pro Purgatorio lib. 1. de purgat. cap. 6. At in editione *Lovaniensi* homiliæ 6. 8. 12. 16. 17. 19. 21. 26. 33. 35. 37.

39. 41. 47. c.4. non habet nomen Auguſtini præfixum. In indiculo
Poßidii ſolùm reperiuntur homiliæ ſequentes. 1.10. 11.28. 34.35.&40.
de reliquis ambiguum eſt inquit *Poſſevinus.*

AUGUSITNI ſer. 2. *de tempore*, citatur à *Bellarmino* de Euch.
l.2. c.24. pro reali præſentia ſerm. 55. lib. 1. c. 13. de bon. oper. in par-
tic. pro horis canonicis. ſer. 60. & 62. ut probet jejunium eſſe utile
ad ſatisfaciendum Deo: ſer. 124 & 142. lib. 1. de R. Pont c.25. Apo-
log ad Reg. Brittan. pro primatu Petri ſerm. 226. citatur ab *Anglo-
Duacenſibus* Annot. in lib. Tob. ut probent, librum Tobiæ canoni-
cam eſſe ſcripturam. Serm. 224. & 229. à *Serario* proleg. 4. in Judith.
ut probet librum Judith eſſe canonicam ſcripturam, Serm. 244. ci-
tatur à *Sonnio* art. 3. pro invocatione ſanctorum &c. Sermones iſti
de tempore non ſunt ſcripti ab Auguſtino teſtibus Eraſmo & Mar-
tino Lipſio. Sic enim illi: *Ad caput ſermonis A. majuſcula litera poſita
verum ac genuinum partum denotat.* At nullus horum habet literam
A affixam; nullus ergo horum eſt genuinus Auguſtini partus. Neq;
hi ſolum ſpurii ſunt judicio Eraſmi & Lipſii, ſed & alii multi ad nu-
merum penè centum & octuaginta ſermonum. Nam ad caput ſer-
monum deſideratur. A. in omnibus, præterquam in iſtis 3. 20. 40.
45. 49. 50. 74. 94. 96. 109. 110. 113. 119. 136. 139. 140. 141. 143. 145. 146.
148. 151. 152. 155. 158. 160. 164. 174. 175. 186. 187. 196. 200. 205. 212.
220. 234. 235. 236. 237. 245. 254. 256. *Lovanienſes* Theologi rejiciunt
ſermones 48. ut ſuppoſititios videlicet ſermonem 9. 10. 11. 15. 18.
28. 33. 37. 38. 43. 47. 48. 51. 59. 63. 68. 77. 97. 99. 114. 115. 117. 118. 120.
121. 125. 128. 130. 132. 136. 137. 138. 156. 159. 161. 169. 176. 181. 183. 187.
207. 211. 224. 226. 228. 229. 241. 242. Et reliquos omnes exceptis
quadraginta ſeptem ſuſpectæ fidei eſſe dicunt. Nam ſolùm his no-
men Auguſtini additum eſt, videlicet 20. 23. 25. 26. 27. 303. 31. 32. 39.
40. 45. 46. 49. 50. 52. 72. 74. 94. 109. 110. 119. 139. 140. 141. 143. 144.
145. 146. 147. 148. 149. 151. 155. 160. 164. 186. 205. 212. 214. 220. 234.
235. 236. 237. 254. 256. Reliqui ergo quibus nomen Auguſtini non
additur, dubiæ ſunt authoritatis. Sic enim illi, *Reliquos aut non
ſatis diſcuſſos: aut ex judicio quorundam eruditorum dubiæ authoritatis in-
ter B. Auguſtini ſermones relinquimus, non tamen addito ejus nomine.* Sunt
ergo inter ſermones de tempore 145, authoritatis dubiæ, etiam judi-
cio

cio Pontificiorum: & 48. planè suppotititii, quod manifestiùs ap-
para ex specialibus Scholæ Lovaniensis censuris. Sermo 9. conti-
net plerasq; sententias ex homiliis *Bernardi* in Evangelium, Missus
est. Sermo 11. tribuitur *Maximo Episcopo* in descriptis codicibus, &
in lectionibus vigiliæ Epiphan, Sermo 15. tribuitur *Soveriano* in li-
bris quibusdam descriptis, in aliis *Fulgentio*. Sermo 18. est hominis
erudit. Sermo 33. *Leonis Papæ* VIII. Sermo 37. in descriptis libris
& impressis *D. Maximo* tribuitur 48 conflatus est ex 8. & 9 de ver-
bis Domini, ex *Hilario* in Matthæum & *Ambrosio* in 10 Lucæ 63. est
Leonis & sub ejus nomine imprimitur *Lovanii* anno 57. 68. non-
nullis videtur ex *Ambrosii* scriptis haustus 77 est inter Ambrosia-
nos 37. 117. ex *Ambrosio* in Lucam carptim desumtus est 1 8 in ma-
nuscriptis & impressis est *D. Maximi*. 120. multum discrepat à di-
ctione *D. Augustini*, quidam *Eusebio* inscribunt. 125 propè idem cum
Damasi Papæ Symbolo in Tom. 4. *Hieronymi*. 128. in manuscriptis &
impressis est *D. Maximi*. 130. in manuscriptis libris & impressis ad-
scribitur *Chrysostomo*. 136. est inter sermones *Eusebio* inscriptos 1 7.
ex Evangeliorum homiliâ *Gregorij* XII. & aliunde congestus est.
138 est inter Eusebianos. 156. est inter Eusebianos. 181. utitur verbis
Gregorii ex Moralibus & plura habet unde constat non esse *Augusti-
ni*. 195. Est idem prorsus cum explanatione Symboli ad Damasum,
quæ habetur Tom. 9 *Hieronymi*. 216 ex *Ambrosio* haustus est. 228.
eundem refert authorem quem præcedens 229. non discrepat à
præcedentibus. 241. *Lipsius* dubitat an sit phrasis *Severiani*. Hosce
sermones sic perstrinxerunt *Lovanienses*, & multo plures minus ve-
rè perstrinxissent, nominatim verò sermonem 103 qui verbatim su-
mitur ex Orig. homil. 1[illegible]. in cap 22 Num Sermonem 244. qui tan-
tâ spurcitie & stultitiâ refertus est, ut nemini nisi planè insanienti
videri possit *Augustini*; sic enim in illo sermone legimus: Velim scire
fratres, ille qui uxore suâ incontinenter utitur si quoties eum luxu-
riâ victum agnovit, toties suum agrum araverit, vel severit, qualem
messem colligere potest? Paulò post admonet mulieres, ut quan-
do maritos accipiunt, per tringinta dies in Ecclesiam intrare non
præsumant, quod etiam viri consimiliter observare deberent con-
cludens tandem. Qui in die Dominica aut aliâ qualibet solennitate

ſe continere noluerit, qui hinc concepti fuerint, aut Leproſi, aut Epileptici, aut etiam fortè dæmoniaci naſcentur. *Sermo 1. in vigilia Pentecoſtes*, qui eſt 181. de Tempore apud *Auguſtinum*, eſt imperiti cujuſdam hominis ſermo: Molanus de picturis cap. 16. impreſ. Lovan. 1670.

AUGUSITNI ſerm. 1. *de ſanctis* citatur à *Rhemenſibus* Annot. in Act. 7. adv. 60. in marg. & aliis, pro invocatione ſanctorum. Atque tàm apertè pro Pontificiis facere videtur, ut *Aloyſius Lypomanus* Epit. de vit. ſanct. part. 1. Ironicè interroget. *Quid hic dices hæretice?* Commendemus nos (ait Auguſtinus) orationibus S Stephani, &c. Hic ſermo neq; habet A. affixum in editione Eraſmi, neq; nomen Auguſtini in editione Lovanienſi. *Quædam M. S. Fulgentio tribuunt*, aiunt *Lovanienſes*. *Auguſtini* ſer. 13. de ſanctis, qui eſt 2. de Vincentio, citatur à *Bellarmino*, pro reliquiis c. 3. *Durandus* lib. 2. de ritib. Eccleſ. cap. 5. citat hunc ſermonem ſub nomine *Leonis*: & ſanè ſub ejus nomine excuſus eſt inter opera Lovanii 1577. cum hâc notâ in margine *D. Auguſtino* falsò adſcriptus ſermo. AUGUSTINI ſermo 15. de ſanctis, qui eſt *primus de cathedra S. Petri* legitur in *Breviario Rom. Eccleſiæ* Feb. 22. & citatur à *Rhemenſibus* Annot. in Matth. 16. & aliis, ut probent: Petrum eſſe petram, & fundamentum Eccleſiæ. *Baronius* dicit *hunc ſerm. nihil habere, quod Auguſtini eſſe impediat, ſed multa quæ perſuadeant*. Not. in Martyrol. Rom. Jun 18. Attamen *Lovanienſes* in Appendicem rejecerunt, ut certò deprehenſum non eſſe Auguſtini. *Auguſtini* de ſanctis Serm. 16. qui eſt *ſecundus in feſto Cathedræ S. Petri*, citatur à *Turriano*, ut probet: Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ. Conf. Aug. l. 1. cap. 9. Hic ſermo idem eſt per omnia cum ſerm. 47. in *Ambroſio*, & cum ſer. 35. in *Maximo*. Sermo 18. qui eſt *ſecundus in feſto Annunciationis*, citatur à *Rhemenſibus* Annot. in Act. 1. 14. & aliis, pro invocatione ſanctorum. *Ioh. à Daventria* in Exegeſi fol. 223. de eo dicit, quod omnium manifeſtiſſimè ſanctorum invocationem comprobat: quod in illo multò plura tribuuntur Virgini Mariæ, quam Catholici tribuere auderent, ſi non eſſent tanti viri authoritate animati. *Lovanienſes Baronius* not. in Martyr. R 25 monent hunc ſermonem à quibuſdam tribui *Fulgentio*. Et quidem *Rhemenſes* Annot. in Act. dubii ſunt (quod ex modo citationis patet)

num

num *Augustini* vel potius *Fulgentii* sit. Verum neutrius esse ex titulo constat. Nam habetur in festo Annunciationis Mariæ, ut ex titulo patet. Atqui temporibus *Augustini* & *Fulgentii* nullum fuit festum de Annunciatione Virginis Mariæ, nec per multa secula post. Nam *Conc. Moguntinum* celebratum Anno 813. festa enumerans, nullam facit mentionem Annunciationis Virg. Mar. imò nec Lugdunense (apud Gratian. de consec. dist.3. pronunciandum) quod celebratum fuit circa Annum 1271. Ser.19. qui est ser.3. de Annunciatione, citatur ab *Andradio* pro Invocatione sanctorum, & à *Costero* in Enchirid. cap.3. pro usu crucis. *Hic sermo non est Augustini, non convenit diei*, inquiunt *Lovanienses*, qui in Appendicem rejecerunt, nec immeritò. Nam & modus dicendi horridior est, quam *Augustini*, potentia imminorata, minorare, immitescunt, scrupulosius disputare, crux totum Mundum suâ Malaxatione est complexata, & multa ejus generis habentur ad verbum in ser 181. de Tempore, *quem imperiti cujusdam hominis esse* monuit *Molanus*, *Augustini* sermo 25. qui *primus est de Petro & Paulo*, citatur à *Bellarmino* de sanct. beatit. l.1. cap 13. pro religioso cultu sanctorum. In editione *Lovaniensi* nomen *Augustini* desideratur ergo spurius est, si non dubius. *Augustini* ser.26. qui est *secundus de Petro & Paulo*, citatur à *Rhemensibus* Annot. in Matth. 16. ut probent. Christum constituisse Petrum Ecclesiæ fundamentum. Est sermo 68. inter Ambrosianos, & rejicitur in Appendicem à *Lovaniensibus*. *Gregorius de Valentia* in analysi fid. lib.7. citat. sub nomine *Ambrosii*. Imò ipsi *Rhemenses* annotat. in Matth. 16.18. ad augendum numerum testimoniorum, uno & eodem loco citant sub nomine *Ambrosii* & *Augustini*, cum neutrius tamen sit, teste *Molano*. *Nam de authore hujus sermonis non satis constat: secundum verisimiliorem sententiam, nec Ambrosii est nec Augustini, quamvis in utriusque operibus habeatur*, inquit ille lib. de pict. c. 38. cujus censuræ æquitas ex eo patet, quod in hoc legamus: Petrum & Paulum nobis salutem effusione sanguinis sui peperisse, & sacratam hostiam pro nostrâ propitiatione Domino se obtulisse. Nam hoc apertè blasphemum est, ac idcirco nec ab *Ambrosio*, nec ab *Augustino* profectum. Sermo 27. de sanctis, qui est *serm.3. in festo Apostolorum Petri & Pauli* citatur à *Turriano* conf. Aug. l.1. cap. 9. ut probet: Petrum Romæ Episcopalem

Cathedram tenuisse. Hic sermo est sermo 66. inter sermones *Ambrosii*. Sermo 28. qui est 4. *de Petro & Paulo*, citatur à *Pighio* controversiâ 13. pro Invocatione sanctorum. Et à *Coccio* T.1.l.6. de sacr. script. artic.13. ut probet: Librum Tobiæ esse Canonicum. Atque *nota pondus testimonii*, inquit *Pighius*. *Hic sermo sine controversia est Augustin.* inquit *Iohann. à Daventria* in Exeg pag.222. *Non esse Augustini* putarunt *Lovanienses & Erasmus*, nam in Erasmi editione desideratur A ad caput sermonis: in Lovaniensi nomen *Augustini*. Sermo *29. qui est 5. de Petro & Paulo*, citatur à *Bellarmino* apol. ad Britan. Reg. cap.8. ut S. Petrum colendum esse doceat: imò eatenus & vincula. Ad caput hujus sermonis desideratur A. in Erasmi editione, in Lovaniensi nomen *Augustini*. Idque meritò. Nam & character. Augustini abest, & nec dum erant vivo Augustino reperta Petri vincula: Innotuerunt enim mundo circiter annum 439. ut testatur *Baronius* Annal. T.5. ad Ann.439. n.5. Sermo 30. qui est 1. de Laurentio, citatur à *Lindano* in Panopliâ pro invocatione sanctorum. Hic sermo idem est ser.71. inter Ambrosianos. Et reperitur etiam in *Maximo*, inter homilias hyemales & æstivales de sanctis, sub cujus nomine citatur à *Leonardo de Vtino* ser.48. de sanctis. *Erasmus & Lovanienses* non esse *Augustini*, ajunt. Serm. 35. qui est de Assumtione 2. citatur à Coloniensibus dial.6. pro invocatione sanctorum. Hic sermo non est Augustini. In eo enim allegatur cap 69. *Isiodori* de vitâ & obitu sanctorum; sed fortasse *Fulberti Carnotensis Episcopi*, cui in quibusdam exemplaribus tribuitur, inquit *Molanus* in Usuardi Martyrol. August.15. Serm.35. non est verè *Augustini*, quod inde apparet, quia citat *Isidorum Gregorio Magno* æqualem, inquit *Stapletonius* prompt. Cathol part.1. *Author 35. sermonis de sanctis, hactenus Augustini nomine latuit, sed falsò. Cum enim citatur ab eo Isidorus, alium ab Augustino authorem esse certum est* inquit *Baronius* T.1. Annal. ad Ann.48. n.17. Sermo 41. qui serm. 4 de commemoratione animarum, citatur à *Roffensi*, artic.37. adv. Luth. & *Alano* de purgatorio c 8. Et à *Lovaniensibus* inscribitur de igne Purgatorio. Hic sermo idem est cum Hom.1. de Eleemos. quæ *Cæsario Arelatensi* adscribitur. in editione Lovaniensi nomen Augustini non est additum. Præterea hic sermo habebatur in die commemorationis animarum. Atque dies Commemoratio-

nis

nis Animarum institutus est ab *Odilone Cluniacensi Abbate*, circa Ann. Dom. 1000. teste *Polydoro Virgilio* de Invent. rer. lib. 6. c. 9. *Augustini* ser. 47. citatur à *Canisio* Catech. de Reliq. sanct. q. 8. pro cultu sanctorum. Hic sermo tribuitur *Leoni*, ajunt *Lovanienses*: & habetur etiam in operibus *Leonis* excusis Lovanii An. 1577.

AUGUSTINUS ad *fratres in Eremo*, citatur à *Bauderio*, tit. 15. artic. 4. comp. Theol. pro auriculari Confessione. à *Turriano* conf. Aug. l. 4. c. 7. pro cælibatu sacerdotum: à *Roffensi*, & aliis, pro Purgatorio artic. 37. adv. Luther. *Sermones ad fratres in Eremo videntur magna ex parte conficti*, inquit *Bellarminus* lib. de script. Eccles. ad Ann. 420. *Inter sermones ad fratres in Eremo, multi sunt leves & fabulosi, ut est sermo 24. in quo narratur S. Hieronymum Cardinalem fuisse in Ecclesia S. Laurentij, & veste muliebri indutum irrisum à Romanis, quæ sunt omnia falsa & conficta* inquit idem ibidem; subjiciens: *Addo quod phrasis horum sermonum exceptis duobus de communi vitâ clericorum qui verè sunt Augustini est inepta, impropria, lutulenta, ut mirum sit, potuisse ejusmodi sermones S. Augustino ab aliquo viro prudente tribui.* *Baronius* verba faciens de his sermonibus, *sub Augustini falso nomine suppositos* esse dicit. *Atque authorem, impostorem, & frigidum fictorem* appellat, affirmans, *eum in illis sermonibus, multa delicta, vana & fabulosa, imprudenter effutijsse ac protentosa mendacia blaterasse*: Vide Annal. T. 4. ad Ann. 382. n. 26. & ad Ann. 385. n. 12. *Lovanienses satis constare* dicunt, in cens. ad Appendicem T. 10. *sub D. Augustini nomine à quodam semilatino exercitij gratiâ conscriptos esse: & à conservatore Apostolico Rhegij Ann. 1414. damnatos & reprobatos.* *Martinus Lypsius* suspicatur authorem fuisse Gallo-Flandrum. Qui plura desiderat, legat *Paul. Langium* in Chronico Citizensi, ad Ann. Christi 1259. & *Erasmi* Epistolam ad Archiepiscopum Toletan. Paris. 1531. & lib. 3. de methodo concionandi.

Credatne verò aliquis, *B. Augustinum* hujus Ecclesiæ Pontificiæ autoritate moveri potuisse, ut crederet Evangelio, quæ ab ea sententia de Evangelio recessit longissimè, quam ille à sui temporis Ecclesia imbibit: quæ ait, scripturas Evangelicas & universim sacras, *non ob id datas, ut formulam exactam & omnibus numeris absolutam nobis præscribant fidei, administrationis sacramentorum, aliorumque in Republ.*

Christia-

Christiana necessariorum: sed occasione quadam vel ad Iudæos & hæreticos confutandos, vel ad abusus quosdam tollendos, vel ad fideles consolandos à quibusdam scriptas & Ecclesiis missas, ut quidem scribit *Costerus Iesuita* Enchirid. c. 1. p. 44. *Staplet.* in Relect. Cont. 4. quæst. 1. art. 3. Concl. 6. quæ ait, *Apostolos non ex mandato Domini ad scribendum animum appulisse, nec scripturæ finem proprium & præcipuum fuisse, ut esset regula fidei, sed ut esset commonitorium quoddam utile ad conservandam & fovendam doctrinam ex prædicatione acceptam: uti docet Card. Bellarmin.* l. 4. de U. D. c. 4. §. 8. & c. 12. §. 8. & 10. *quæ eam vocat exiguum bibliorum libellum,* cum *Lindano Episcopo* Panopl. l. 2. cap. 13. init. & l. 5. cap. 7. *literulas atramento scriptas Lind.* l. 1. c. 20. init. *characteres mortuos, literam perituram. Lind.* l. 1. Strom. cap. 2. init. cap. 6. fin. *mortuam, occidentem.* Panopl. l. 1. cap. 22. fin. *mutam, inanimem, quæ nec sentit nec intelligit;* Panopl. l. 5. c. 4. *merum putamen* sine nucleo. l. 1. Strom. 6. fin. *testem, magistrum, judicem mutum, surdum, mortuum, qui nec litigantium utrinque rationes audire, nec sententiam ipse eloqui valeat Lind.* l. 1. c. 7. §. ostenso. *Baillus Iesuit.* in Catech. q. 6. ut *Canus* Episcop. l. 1. Loc. Th. cap. 7. *nasum quendam cereum, in omnem sensum flexibilem, quò quis vult.* *Can.* l. 3. c. 2. ut *Salmeron.* Jesuita Proleg. in Epist. Paul. l 1. p. 3. disput. 6. *gladium delphicum, qui ex altera parte serrare ex altera scindere poterat, regulam Lesbiam calceum utrique pedi aptum,* sylvam omnis alimenti, atramentum sutorium, folium Sibyllæ, Sphingis ænigmata, materiam litis, ut *Turrianus* Jesuita cont. Sadeel. p. 99. *lucum prædonum, officinam hæreticorum, Charron.* de 3. Verit. p. 220. *contrariis dogmatibus æquè accommodatam. Less.* Jesuita in Consult. rat. 11. pag. 127. Neminem puto facile adhibiturum fidem Evangelio propter autoritatem ejus Ecclesiæ, quæ talia de Evangelio contra ejus sanctitatem pronunciat. Certè haud unquam id faciet. AUGUSTINUS, qui augustiorem & sublimiorem ejus majestatem satis cognovit. Tandem existimabit ne quispiam, AUGUSTINUM crediturum autoritate ejus Ecclesiæ, quæ nō solum indepositi Evangeliis custodia malâ fide versatur, sed ita in suis libris ludit, ut quosdam tunc tanquam Augustinianos ad novas sententias firmandas producat, nunc tanquam spurios, adulterinos, falsos traducat, rejiciat, reprobet, adeoque nuspiam sibi constet?

Consideratio Octava.

OCTAVO consideramus, *si authoritas scripturæ ab authoritate Ecclesiæ Pontificiæ dependet, & Evangelio nemo debet credere, nisi autoritate Ecclesiæ motus, debuisse etiam illam cavere, ne corrumperentur tum libri SS. scripturæ universi, tum imprimis Evangeliorum & N.T. libri, præsertim ea lingua conscripti, qua primum in manus Ecclesiæ sunt traditi.* Quia enim suam auctoritatem se conferre libris sacris jactat Ecclesia Pontifica, rerum etiam à corruptionis macula libertatem custodire debuisset. Hoc tamen Ecclesia Pontificia non fecit. *Thomas Iamesius Anglus* bellum Papale Londini edidit, in quo demonstrat *Clementis & Sixti Paparum* repugnantiam in SS. scripturæ textu genuino edendo. Edidit etiam Epistolas duas *Fr. Lucas Brugensis* Canonicus, quarum *primam* præfixit *Romanæ Correctioni in Bibliis Latinis*, à Papis *Clemente & Sixto* adornatæ, *alteram* variis *Lectionibus Bibliorum* eorundem, ad uberiorem correctionem utilibus, quarum utrâque, ut & ipsis bibliis, ostendit, quot seculis Ecclesia Romana usa fuerit Bibliis Latinis corruptissimis & quam adhuc nondum ubique omnem sustulerit corruptionem. Unde, quantum autoritatis contulerit per multa secula Romana Ecclesia ipsi scripturæ, facile apparet. Prima Epistola ad Jac. *Blasæum Episcopum* Audomaropolitarum ita habet: *Vt inde ab ineunte ætate sacræ scripturæ lectione plurimũ sum delectatus*. R. me Præsul, idemque Amplissime Domine: *ita magnam mihi attulit voluptatem, quod vidi superioribus annis in lucem prodeuntia Latina veterũ vulgatæque versionũ Biblia, auctoritate summorum Pontificum nominatim SIXTI V. & qui hodie felicißimè sedet, CLEMENTIS VIII. à Notariorum mendis vitiisque diligentißimè expurgata. Verum quantam hæc res voluptatem, tantam è diverso tristitiam animo meo attulit metus, ne dum variis posthac locis hæc Biblia typis cudi recudique contingeret, foret, ut brevi in sublata jam vitia recideret: Quamvis enim ad hoc periculum evitandum, prudentißimè caverit summus Pontifex ne quivis Typographus ea posset excudere: ea tamen est, plerorumque qui Typographiis præsunt vel inscitia, ut non agnoscant, vel incuria, ut negligant, quod verum est, & inolitis vitiis postponant. Tale quid videmus in Romanis Missalibus & Breviariis*

accidisse, iis præsertim quæ extra hoc Belgium impressa sunt: simile quibusdam locis fieri captum est in his Bibliis. Dum igitur dispicio, quodnam efficacissimum remedium huic malo queat adhiberi, ne amplius ea loca corrumpantur, quæ iam dexterrime correcta sunt: visum est mihi, suffragante Moreto exactissimæ diligentiæ Typographo (quemadmodum Plantini hæredem decet) expediens fore, ut adhibito authographo Romano, quod ille ad me misit, colligerem præcipua atque insigniora, quæ in hâc Bibliorum editione à Romanis Patribus restituta sunt, loca: & indicatâ eâ quæ rejecta est, lectione, ita clarè distinguerem unam ab alterâ ut deinceps nemo non clarè intelligere posset, quæ proba sit lectio, quæ reproba; quæ textu expulsa, quæ in textum, summi Pontificis Ecclesiæ totius capitis auctoritate recepta; Nam quamvis, nec hoc quidem modo effici poterit, ne Typographi amplius errent: id tamen fiet, ut non errent, si velint, si velint inquam Correctorium hoc à nobis collectum consulere quod si nolint, nec vereantur negligentes relabi in vetera vitia, ut minimum potuerunt ex hoc libello negligentiæ argui, & quæ admiserint menda, dignosci atque auferri. Sic enim concinnatum à nobis est hoc correctorium, indicato ad singula loca nodo ipso difficultatis, adeoque puncto in quo varietas consistit, ut etiamsi contingeret typographicum vitium in hoc ipsum irrepere, facile esset ex circumstantiis deprehendere. Quocirca fiet hac ratione, ut non pereat Romanorum Patrum labor in Biblia veteris ac vulgatæ editionis Latinæ ab ipsis emendata, impensus est, ut in suo nitore permanere ac perseverare queant, & sarta tecta perpetuò conservari. Quamobrem, uti spero hanc operam meam ipsis gratam fore: ita gratiorem etiam fore confido, si R.P.T. quam illi nobis summo cum preconio Episcopum non ita pridem magno nostro bono præfecerunt subjectis calculis approbetur. Quod ut impetrare me posse sperem, facit eruditissima simul & sacrarum literarum studiosissima R.P.T. humanitas: quam ut Dominus Deus mihi & Ecclesiæ Audomaropolitanæ multis annis servet incolumem, continuis precibus obtinere contendo. Audomaropoli, anno secundo à sexcentesimo & millesimo III. Non. April. Altera ad eundem ita habet: *Sunt anni circiter quindecim, quod R.P.V. inscripserim & probandum obtulerim libellum, in quem congesseram loca insigniora, à Romanis Patribus summorum Pontificum Sixti V. & Clementis VIII. autoritate delegatis, correcta in Bibliis Latinis editionis vulgatæ: Qui libellus ut avidè fuit à plerisque expetitus, ita variis locis excusus hactenus, apud viros doctos & S. Scripturæ studiosos,*

virtute

virtute atque auspicio vestro tenet locum suum. Iam offero alterum libellum, in quem doctorum Theologorum hortatu, congessi alia loca notatu digna, ex veteribus editionis vulgatæ manuscriptis libris collecta, quæ hactenus non correcta, merito fortassis pleraque corrigi possent, summo Pontifice similiter committente. Quamvis enim priores illi Patres felicissimè laborarint, & plura vulgatæ editionis loca dexterrimè restituerint, ita ut omninò fatendum sit, editionem eorum cæteris omnibus, quæ ad hunc usq; diem prodierunt emendatiorem purioremque esse, quod non temerè habet præfatio, & ex priore illo nostro libello manifestum evadit: tamen quod etiam præfatio admittit, difficile sit affirmare, numeris omnibus esse absolutam. Ea est enim humana imbecillitas, ut non semel observet omnia, prætereat facilè hæc illa. nec ita rem conficiat, quin posterorum diligentiæ ac curæ aliquid relinquat. Nihil in hâc vitâ extat omni ex parte perfectum. Etiam in Vaticanâ eaque prima horum Bibliorum editione impressores non pauca errata admiserunt, quæ passim in priore libello notavimus. Scio quod Patres illi correctores, nonnulla quæ emendare potuissent, consultò qualia erant, reliquerint, ad offensionem populorum vitandam, veteri D. Hieronymi exemplo, in libris Regum præsertim & proverbiorum, è quibus multa fuerant auferenda, juxta fidem conspirantium manuscriptorum editionis vulgatæ: sed tamen & illa annotasse, & ne memoria eorum pereat, hoc libello indicasse expedit. Vt omittam quod de illis, celebris quidam S. Thelogiæ Professor ad me scripsit in hæc verba:

Et vero, quod de vitandâ eorum, qui secus assueti sint offensione allatum est, idque exemplo B. Hieronimi, non quidem planè negligendum est, in dies tamen minus minusq; retinet virium: quoniam per Notationes variarum lectionum hactenus à Catholicis & eruditis viris editas, jam prælusum est castigationi, ita ut novitate jam antea magna partem detritâ, vix quicquam offensionis pariat. quæ deinde subsequitur Bibliorũ legitimâ authoritate facta emendatio, sed reverentiam potius & animi gratitudinem. *Nam & ut idem aliàs me monuit, Heronymus versabatur, in corrigendis erratis interpretum, quorum versiones in usum plurium Ecclesiarum receptæ jam fuerant: hic laboratur, non in corrigendo interprete, sed in versione Interpretis emendandá ex ejusdem versionis exemplaris, hoc est in Notariorum erratis auferendis; quâ re minus facilè quis potest offendi. Sive autem consultò sive fortuitò, sint omissa hujusmodi loca, quæ in melius fortè*

mutari potuerant: utile tamen est, quod dicebam, ea annotasse & scripto tradidisse, ne memoriâ notitiâque doctorum hominum, qui sacræ scripturæ evolvendæ diligentius incumbunt, elabantur. Sed accusent me fortè multi temeritatis & arrogantiæ, quod post præclaros illos, à sede Apostolicâ delegatos, ausim mutare aliquid in Bibliis, & judicium meum illorum judicio præferre. Respondeo, quod mea mens non sit mutare aliquid aut præferre: sed quod eas varias lectiones, quas in Latinis vulgatæ editionis codicibus & tractatoribus inveni, & verisimilitudinem habere videntur, in medium proferam judicio suæ Sanctitati iisque, quos illa iterum committere possit, relicto, an sint præferendæ, aliisque surrogandæ. Non facilè quidem ineuntur & resumuntur hujusmodi examina (scio) sed si instituantur aliquando, serviet libellus iste noster ad sublevandos deputatorum labores, sin minus, ad lucem multorum sacræ Scripturæ locorum. In quam sententiam respondit mihi Illustrissimus Cardinalis Bellarminus, literis datis Romæ die primo Novemb. 1610. postquam acceperat libellum Notatum ad varias lectiones Græcas & Latinas in quatuor Evangeliis occurrentes, quem ipsi dedicâram: Si videro textum ipsum certò in melius alicubi posse mutari, significabo id summo Pontifici, & Cardinalibus deputatis. Sed tu ipse planè vides, non facilè hujusmodi mutationes in sacro textu esse faciendas: quamvis utilissimum sit, ut viri docti, tum de variis lectionibus, tum de judicio peritorum hominum, tui similium, admoneantur. *Qui & aliis literis Capuæ datis die 6. Decembris 1603. postquam accepisset libellum illum Correctionum Romanarum, scripsit ad me quod huc apprimè facit:* De libello ad me misso gratias ago: sed scias velim, Biblia vulgata non esse à nobis accuratissimè castigata, multa enim de industria justis de causis pertransivimus, quæ correctione indigere videbantur. Variæ lectiones quæ in Bibliis Lovaniensibus habentur, & in quas tu librum utilissimum scripsisti, mihi videbantur omninò addendæ: quippe quæ instar bibliothecæ mihi esse videntur: sed non placuit aliis, ut in primâ editione apponerentur. *Hæc ille, quibus significat, & se unum fuisse è numero Correctorum (quâ re multum utilitatis dignitatisque operi accessit.) & posse aliquando fieri, ut accuratior castigatio adhibeatur. Similia scripsit Iohannes Baptista Bodinus Præfectus Typographiæ Vaticanæ, literis jussu Illustrissimi Card. Baronij ad Moretum Romæ datis, pridie Calend. Augusti Anno 1604.*

no 1604. In Bibliorum editione *inquit*, laudo diligentiam vestrorum Theologorum, qui accuratè multa annotàrunt. Ea D. Card. Baronius mihi tradidit, ut inspicerem, & de iis responderem, ut feci semel & iterum. Fateor in Bibliis nonnulla adhuc superesse, quæ in melius mutari possent: quædam etiam nescio quæ pacto sic impressa reperiuntur, ut exempli gratia 1. Reg. c. 2. v. 17. retrahebant homines à sacrificio, cum libri omnes & impressi & manuscripti habeant, detrahebant homines sacrificio, & cætera plura in hanc rem. *Priori itaque libello meo, recensui loca præcipua quæ adhuc corrigi possent, meo aliorumque judicio, &c.*

ISIDORUS CLARIUS *Episcopus Fulginensis* in præfatione ad Biblia Latina à se edita testatur, se quanquam summâ moderatione Biblia vulgata Latinæ editionis tractârit octo tamen millia loca à se annotata emendavisse. ANDREAS MASIUS *Pontificius* in commentariis suis ad Josuam *sæpissimè vulgatum interpretem*, quem tot annis venerata est Romana Ecclesia, & per Concilii Tridentini decretum inviolabilem fecit, *perstringit*, sed ob id à *Bernhardo Sandovalio Archiep. Toletano* in Indice Expurg. Hispanico illa loca expungi jubentur. nim. pag. 30. & 31. lin. 4. pag. 43. lin. 19. p. 32. lin. 35. p. 56. lin. 19. p 71 lin. 14 pag. 227. lin. 9. p. 229. l. 14. p. 231. lin. 34. p. 236. lin. 38. p. 241. l. 36. Et tamen *Franc. Ximenius Archiepisc. Toletan. & Hispan. Primas* in opere Biblico Compluti edito, vulgatam editionem tam sanctam existimat, *ut eam tanquam medium Iesum inter duos Latrones Hebræum & Græcum textum* collocaverit. Ita enim loquitur in præfatione suâ ad illud opus, quam in Acad. Jenensis Bibliothecæ vidi. Nihil jam de Hebræo textu V. T. dicam, quem implacabili odio in Christianos Judæi dicuntur corrupisse à *Leone Castrio Hispano*, de quo *Possevinus* l. 2. Bibl. sanct. c. 15. Debuissent sanè Pontifices cum Cardinalibus cavisse, ne corrumperetur V. T. sanctissimum depositum, quod purum à Christo & Apostolis est traditum, si ipsorum est, Scripturæ conferre authoritatem, uti quidem Augustinum interpretantur. Tradit & *Salmeron Iesuita* Tom. 1. Comment p. 29. Judæos aliquot post annos abassumto in cœlum Christo editionem LXX. interpretum malignè depravasse: *Tertiò præmittendum*, inquit, *Judæos post aliquot annos ab assumpto in cœlum Christo,*

ut nobis adversarentur, primum LXX. interpretum editionem in multis locis vitiasse: cui rei testimonio sunt veteres Patres, & præsertim D. Hieronymus, qui ad novam ex Hebræo proferendam editionem ob eam causam excitatus fuit: & quia videbat in odium LXX. interpretum Aquilam, Symmachum, & Theodotionem *novas ac planè Judaicas ex Hebræo protulisse editiones. Quod verò etiam neque sacris Hebræis fontibus pepercerint, præsertim ex quo illa Hieronymi editio ex Hebræo in Latinum sermonem in manus omnium venire cœpit, multis modis demonstrari potest. Principio quia si integra sunt volumina Hebræorum, & sincera, necessariò confitendum est, editiones, tum LXX. Græcam, tum Hieronymi Latinam, quæ cum illis non conveniunt, falsas esse, ac depravatas: at hoc quid aliud esset quam dicere populum reprobatum & excæcatum habere puras & germanas Scripturas, populo vero electo ac sanctificato tribuere falsas ac vitiatas interpretationes? Qui autem hoc assereret, & divinam providentiam, quæ illos deseruit, & eorum libros, & nos, atque Scripturas nostras assumsit negaret, & Judæorum Synagogam, veram Dei Ecclesiam efficeret, populum autem Dei, & Christi nomen profitentem extra Ecclesiam collocaret, quia veris & germanis Dei Scripturis destitutum redderet.* Secundò, *idem videntur Prophetæ insinuasse. Nam Hieremias in eos, qui Scripturarum notitiam & legis scientiam jactabant, invehitur dicens:* Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? Verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum. *Hæc ille, Scribas & Pharisæos perstringens, quibus, cum legis & Scripturarum scientiam elati jactarent, Dominus opponit ignorantiam legis, & malignitatem, quâ textus Scripturæ vitiaturos prævidebat. Nam more Prophetico præteritum pro futuro positum est: Operatus est, pro operaturus est. Atque huic sensui serviunt & quæ antecedunt, & quæ consequuntur. Meminerat enim paulò ante milvi, ciconiæ & hirundinis, quæ cum tempus suum mutandi loca agnoscant, Israël tamen rei maxime salutaris, hoc est, adventûs Meßiæ ignorantiâ teneretur. At hoc quid est aliud, quam quod Dominus apud Lucam ait:* Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, Nimbus venit, & ita fit: & cum Austrum flantem, dicitis. Quia æstus erit, & fit: Hypocritæ, faciem cæli & terræ nostis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis? *Post hæc subjungit Propheta,* A minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur. *Insigne avaritiæ verbum fuit:* Si dimittimus eum sic, omnes credent

credent in eum: & venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem. *Si ergo & quæ præcedunt, & quæ ſequuntur tempora Chriſti attingunt; ergo & intermedia illa de ſtylo ſcribarum operantium mendacium, ad eadem tempora ſunt referenda. Adde quod ipſemet Hieremias, quaſi explicans, quæ dixerat, cum loqueretur de Prophetis, hoc eſt Doctoribus falſa docentibus, & furantibus verbum Domini,* Et pervertiſtis, *inquit*, verba DEI viventis, Domini exercitum Dei noſtri; *vel ut habent Hebræa*, verba Deorum viventium. *Vt igitur Judæi ſeipſos à Meſſiæ fide & cognitione ſubtraxerunt, & ſeipſos perdiderunt, ac depravarunt, ita etiam interdum ſuas Scripturas corruperunt. Atque ut Pilato auferri ac deleri petierunt titulum deſuper ſcriptam:* Jeſus Nazarenus Rex Judæorum, *& mutari in alium, revera ſi in ſuâ poteſtate poſitum fuiſſet, declarârunt quid facerent; nam deleviſſent titulum, & mutaſſent: ita ſanè quid fecerint poſt ejus mortem in Scripturis quæ penes eos erant, ſatis inſinuarunt. Locos enim multos, quibus peculiariter Jeſus Rex Judæorum promittitur venturus, illi depravarunt, vel de medio ſuſtulerunt, ut illud:* Donec veniat, qui mittendus eſt, *id eſt Chriſtus Rex & Meſſias: & illud etiã corruperunt:* Regnavit à ligno Deus: *ut infra dicturi ſumus. Multa quoque alia ab eis deleta ſunt, addiderunt alia, permulta quoque permutarunt. Et ut mendacium de Chriſto ſublato per diſcipulos cuſtodibus dormientibus pecunia ſcienter redemerunt, ut reſurrectionis veritatem negarent: ita revera mendaciis & corruptionibus Scripturas LXX. interpretum quaſi clarè concionantes reſurrectionem Chriſti, mortem & fructum ejus repleverunt, etiamſi minimè ignorarent ſe ſtudioſè mentiri, ut Chriſtianis imponerent. Quorſum quæſo bene Lector, tantoperè Dominus caviſſet per Moſen;* Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo? *& iterum:* Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quicquam nec minuas. *Et per Salomonem:* Omnis ſermo Dei ignitus (*hoc eſt, igne à Deo purgatus*) clypeus eſt omnibus ſperantibus in ſe: Nec addas quicquam verbis illius, & arguaris, inveniariſque mendax: *Quorſum inquam, Deus hæc præcepiſſet, niſi quia noverat, hanc Scripturarum depravationem per Judæos aliquando futuram, ut nos Sacris literis aliquando ſpoliarent? Verius ipſi eis ſpoliati de quibus Dominus dixit:* Auferetur à nobis regnum Dei (*id eſt ſacrarum literarum intelligentia*) & dabitur Genti facienti fructus ejus: *Et explicans alio loco quale illud ſit regnum, dixit:* Væ vobis, Scribæ & Phari-

Pharisæi, hypocritæ: quia clauditis regnum cœlorum ante homines: vos autem non intratis nec introeuntes sinitis intrare: *quia detortis nimirum sensibus & falsis occluserunt ostium fidei in Christum, & vitiatis & corruptis Scripturis nobiscum decertant. Explico apertius, qualis fuerit illa corruptio: non quidem universalis ab illorum majoribus in unum congregatis in odium Christianorum facta, quæ apud nullos historicos legitur, & quæ fieri non poterat, propter aditionem LXX. interpretum, quæ per trecentos annos ante Christi adventum facta fuit, & per multas orbis partes dispersa, nam statim fraus fuisset detecta & agnita: neque reverà facta est, cum ipsi Hebræi codices hodie extent, eandem habentes lectionem quam nos habemus in Græcis & Latinis codicibus, præter quam in nonnullis, qui merito existimantur depravati. Quare generalis corruptio non fuit, sed particularis: nec tantum illa, quæ accidit casu injuria temporum, aut negligentiâ scribarum, sed etiam ea, quæ potuit malitiâ & fraude ab aliquot Rabinis perfici, quo nobis in quibusdam locis veritatem de Christo eriperent. Etenim naturâ comparatum est omnibus Hæreticis, ut post acerbas contentiones & protervas disputationes, libros Sacros, aut quædam eorum fragmenta vel Canonicos denegent, aut detruncent, aut corrumpant, ut fecit Marcion, & alii veteres Hæretici, ut testis est Tertullianus, quid ergò non ausos fuisse Iudæos dicemus, qui Cristum aperto odio prosequuntur, & ut* Hieronymus *testis est, suis quotidianis precibus, maledicta & convicia Christo ingerunt, & pro abolitione regni ejus Deum deprecantur? Quare illorum excæcatio, & protervia longè illam Hæreticorum superat, quæ potuit illos inducere ad corruptionem nonnullorum locorum Scripturæ. Et certè incredibile mihi sit, Iudæos excæcatos & à Meßiâ omnino alienos, & fractos tanquam ramos bonæ arboris, maiori privilegio potiri in suis libris tuendis à corruptione, quam Dei Ecclesiam in Evangeliis & Epistolis* Pauli *propugnandis. Nam Hæreticos patitur, qri libros Canonicos inficiantur, aut illos vitiant & depravant; pravè quoque intelligunt, & depravatis explanationibus interpretantur. Quidni ergo peiora peccasse dicamus Iudæos?* Hucusque *Salmeron.*

Ubi diligenter observandum, quod fateatur *Salmeron*, si integra sunt volumina Hebræa confitendum esse, editiones tam LXX. Græcam tum Latinam falsas esse, adeoque Romanam Ecclesiam scripturam falsam hucusq; habuisse. Cum autem certissimum

sit,

ſit, volumina Hebræa eſſe integra, fatente id *Pagnino*, *Aria Montano* præf. ad Bibl Reg. & probante exemplorum collatione, quam eruditiſſimè in Philol. ſacra inſtituit Cl. Dn D. *Glaſſius*, amicus meus honoratiſſimus, evincente inſuper *Maſorâ*, cujus incredibili diligentiâ omnes literæ ſunt numeratæ, ut ne jota quidem amitti aut loco moveri potuerit, ſanè falſas habuiſſe ſcripturas Romam Eccleſiam ſequetur. Ubi ergo authoritas, quam ſcripturis confert?

De N. T. Græca editione ita loquitur *Bellarm.* l. II. de V. C. c. 7. p. 35. *Iam verò quod attinet ad autoritatem, dubium eſſe non poteſt, quin editio Apoſtolica ſummæ ſit authoritatis, niſi fortè conſtet eam eſſe corruptam. De quâ re ita ſentiendum cenſeo, ut ſupra de Hebraicis diximus, videlicet, non eſſe Græcos codices corruptos generaliter: nec tamen eſſe fontes puriſſimos ut neceſſariò quicquid ab eis diſſentit corrigendum ſit, ut falsò exiſtimant Calvinus, Maior, Kemnitius cæterique hujus temporis hæretici. Et verò, non eſſe Græcos Codices in univerſum atque omnino corruptos facilè demonſtrari poteſt: nam etſi multa depravare conati ſint hæretici: tamen nunquam defuerunt Catholici, eorum corruptelas detexerint, & non permiſerint libros ſacros corrumpi. Plurima ex toto* N. *Teſt. abſtulit, mutavitq́ Marcion, ut teſtatur* Tertullianus lib. 5. cont. Marcion. *ſed illa omnia notavit ferè* Epiphaphanius hæres 42. *& in noſtris codicibus Græcis habentur rectè. Ariani quoque abſtulerant ex Evangelio* Joh. 4. Spiritus eſt Deus, *ſed indicavit & notavit* B. Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto c. 11. *& noſtri codices Græci omnes hoc teſtimonium habent. Quod autem non ſint ubique incorrupti, ſed aliqui interdum errores irrepſerint, ſaltem negligentiâ librariorum, & non ſit tutum ſemper Latina ad Græca corrigere: aliquot exemplis planum fiet. Certè* 1. Cor. 15. *legendum eſt*: Primus homo de terrâ terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis, *ut non ſolùm noſtra Latina verſio habet, ſed etiam Calvinus probat* cap. 7. Inſtit. §. 12. *At Græci conſtanter legunt, ſecundus homo Dominus de cœlo,* ὁ δεύτερος ἄνθρωπος κύριος ἐξ οὐρανοῦ. *Quam depravationem manſiſſe vitio ſcriptorum ex corruptionibus.* Marcionis, *patet ex* Tertulliano lib 5. in Marc. *Præterea* 1. Cor 7. *ubi nos habemus.* Qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt de iis quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori & diviſus eſt, mulier innupta & virgo, cogitat quæ Domini ſunt &c. *Græci codices longè aliter habeant, nam ibud,* diviſus eſt, *conjungunt cum ſequentibus ſic,* μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος *diviſa eſt*

& virgo. Quam lectionem B Hieronymus in lib. 1. contra Jovian. affirmat, nõ esse Apostolicæ veritatis. Rom. 12. ubi nos legimus: Domino servientes: Græci non habent κυρίῳ sed καιρῷ δουλεύοντες, id est tempori servientes. Et tamen nostram lectionem esse verissimam, patet tum ex Hieronymo in epist ad Marcellam quæ incipit Post priorem epistolam: ubi dicit, in emendatis Græcis codicibus haberi non καιρῷ, sed κυρίῳ, tum ex Origine, Chrysostomo, Theophylacto, & aliis Græcis Patribus, qui sic legerunt, & explicaverunt in suis Commentariis. Denique constat in plurimis Græcis deesse multas veræ scripturæ partes, ut historiam adulteræ Ioh. 8. Vltimum caput Marci; testimonium pulcerrimum Trinitatis 1. Iohan. & alia de quibus supra disseruimus, constat etiam, quædam in omnibus Græcis Codicibus inveniri, quæ non sunt partes divinæ Scripturæ. ut Matth 6. orationi Dominicæ additur. Quia tuum est regnum, & potentia & gloria in secula: quæ verba non esse de textu, sed addita? Græcis, ex duobus intelligi potest. Primo ex eo, quod Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus orationem Dominicam exponunt, & tamen nullam horum verborum mentionem faciunt, cum omnes isti Græcè benè noverint. Secundò, ex eo, quod Græci in sua liturgià, recitant quidem hæc verba, sed non continuant cum oratione Dominicâ.

HUNTLÆUS Jesuita ulterius progreditur & ita ait Controv. 1. de V. D. c. 12. p. 42 Quod attinet ad N. Testamenti Græcum textum, qui jam circumfertur ab adversariis, in quo etiam illi singulare suum perfugium collocant, dubium non est, quin ille in variis locis sit corruptus, partim incuriá librariorum, partim fraude antiquorum hæreticorum, & consequenter non adeò idoneus est ille textus ad gignendam fidem, ut existimant adversarii, nisi accedat Ecclesiæ authoritas. Id quod his argumentis probatur. Primum sumitur ex antiquis Patribus, etiam ex illis, qui proximi fuerunt Christo. Hi enim sæpius conqueruntur Græcum textum Novi testam. suâ jam ætate fuisse depravatũ, quare multò magis nunc nostra ætate erit ille corruptus. De hac enim corruptela conqueruntur S. Jrenæus lib. 1. c. 29. Tertull. lib. 5. cont Marcion. Orig in cap. ult ad Rom. ad vers. 25. Dionysius Corinthiorum Episcopus, & alii apud Euseb lib. 4. hist. Eccles. c. 22. & 23. & lib. 5. cap. ult. Denique unus Theodoretus scribit, se meminisse in suo Episcopatu plusquam ducentos libros corruptos ab hæreticis, quos tamen Catholici existimabant incorruptos, vid. Theod. l. 1. de hæres, in cap. de Tatiano. Secundum

argu-

argumentum. *ApudGræcos ortæ ſunt omnes ferè antiquæ hæreſes,ut Manichæorum, Valentinianorum, Arianorum, Macedonianorum, Neſtorianorum &c. Qui omnes conabantur variis artibus pervertere ſcripturas,præſertim Novi Teſt. ut Teſtantur Patres citati.*

Hanc confert Eccleſia Romana ſcripturæ & Evangelio authoritatẽ ut Evangeliorum in Græco ſermone ab Apoſtolis & Evangeliſtis editorum puritatem nunquam vindicaverit. Ut neque V.neq; N.T. editionem ſive Hebræam, ſive Græcam, ſive Latinam conſervaverit ab impoſturis corruptelisque hæretiorum, neque unquam operam dederit, ut extaret ſive Hebræus ſive Græcus, ſive Latinus textus purus ſatis & incorruptus? Quid igitur profuerunt incredibiles ſumtus,quos in Apparatum Operis Biblici Hebraici, Chaldaici,Græci, Syri, Latini impendit Hiſpaniarum Rex, ſi neq; Hebræa, neque Chaldæa, neq; Græca, neq; Syra neque Latina ibi pura ſunt? At pura non eſſe, Jameſius,Brugenſis Bellarminus,Baronius, Salmeron, Huntlæus partim probant, partim aſſerunt.

Videamus quid ſequi dicat SALMERON Tom. 1. prol. 33. pag. 417. ſi dicatur corruptum eſſe Novum Teſtam. *Hoc*, inquit, *maximè Eccleſia à Chriſto promeruit,cum quâ ſe perpetuò permanſurum promiſit, ut ejus Scripturæ eſſent intactæ & incorruptæ. Nam ſine Scripturis veris & germanis Eccleſia nequaquam commodè poſſet conſiſtere. Corruptas ſiquidem & vitiatas in rebus ad fidem ſpectantibus illas habere, perinde eſt, atq; Scripturas non habere at ſine illis Eccleſia eſſe vix poſſet, per quas in fide neceſſariò eruditur, & in moribus inſtruitur.* Unde Auguſtinus prædicto libro 33. c. 6. in fine *ſic diſputat contra Fauſtum* : Quis tandem tanto furore cæcatur, niſi dæmoniorum mendaci loquorum malitiâ, atque fallaciâ, conſentiendo ſubverſus ſit, qui dicat hoc mereri non potuiſſe Apoſtolorum Eccleſiam, tàm fidam, tam numeroſam fratrum concordiam, ut eorum ſcripta fideliter ad poſteros trajicerent cum eorum Cathedras uſq; ad præſentes Epiſcopos certiſſimâ ſucceſſione ſervârint, cum hoc qualiumcunq; hominum ſcriptis, ſive extra Eccleſiam ſive in ipsâ Eccleſiâ tantâ felicitate proveniat. *Hactenus ille. Præterea ſi vel minimus aliquis error in Scriptura Novi Teſtam. admittatur, profectò omnis inſtrumenti Novi fides, & autoritas adi-*

meretur: quia si de unius partis corruptione suspicari est liberum, licebit etiam de cæteris. Quare ad B Hieronymum Augustinus *Epist.8 c.3. sapienter scripsit* : Mihi videtur exitiosissimè credi, aliquod in libris sanctis esse mendacium: id est, eos homines, per quos nobis illa Scriptura ministrata est, atq; conscripta, aliquid in libris suis fuisse mentitos. Admissò enim semel in tantum authoritatis fastigium officiosa aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis autoris consilium officiumque referatur. *Hucusque Augustinus: quæ tamen confirmari possunt Pauli testimonio, qui* hominis confirmatum testamentum neminem posse rejicere, aut superordinare *testatur. Ac ut minimum mendacium testamenti humani fidem labefactat, multò magis fides Novi Test. per ejusmodi mendacia ac corruptelas periret. Cæterum, si vitiata essent Novi Test. volumina, eadem ratione fides adimeretur non solùm cæteris sacris libris, sed etiam omnes omnium gentium Scripturæ de autoribus suis, ac de rebus in eis exaratis dubiæ, & incertæ redderentur. Quod confirmat* Augustinus *in eodem illo libro contra Faustum cap.6. dicens* : Quæ unquam literæ ullum habebunt pondus autoritatis, si Evangelicæ, si Apostolicæ, non habebunt? De quo libro certum erit, cujus sit, si literæ quas Apostolorum dicit & tenet Ecclesia, ab ipsis Apostolis propagata, & per omnes gentes tantâ eminẽtiâ declarata, utrum Apostolorum sint, incertum est? *Insuper probatur, Evangelium scriptum apud nos esse incorruptum, omnique ex parte integrum. Nam si pro sua libidine cuiq; licet probare vel rejicere librum* Novi *Test. non solùm Scripturæ omnes divinæ & humanæ, sed omnis nostræ fides penitus subverteretur. Fides enim nostra non erit amplius fides captivans intellectum nostrum in obsequium verbi divini, & autoritatis Ecclesiæ, sed inanis, quædam nostræ phantasiæ conjectura & opinio. Ex quo* Augustinus *lib.32. contra Faust.c.19. hanc deformitatem & ineptiam obiicit Manichæis*: Videtisne, *inquit*, id vos agere, ut omnis de medio Scripturarum auferatur authoritas, & suus cuiq; animus author sit, quid in quaque Scripturâ probet, quid improbet: id est ut non authoritati Scripturarum subjiciatur ad fidem, sed sibi Scripturas ipse subjiciat: non ut ideò illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi authoritate scriptum legitur, sed ideò rectè scriptũ videtur, quia

hoc

hoc illi placuit. *Postremò, hic maximus error, pestilentissimaque hæresis dici potest. Nam cum omnes aliæ hæreses ex sacris literis confutari possint, sola hæc armis Scripturarum revinci nequit: quia objicietur, nec à Christo, nec ab Apostolis dictum, sed ab hæreticis corruptum, quod allegatur, atque ita non tantùm fides Catholica, sed etiam omnes hæreses per hunc errorem jugulantur. Si enim* teste Augustino, *ut volunt Manichæi, libri Evangelici depravati sunt, à Christi tempore usq; modò tantâ diligentiâ custoditi, quomodo furtivi Hæreticorum codices & in antris eorum latitantes modò excusi, ullam fidem apud homines invenire poterunt? Rursus acutè, & disertè in eos agens, ait:* Quod ergo eum (*sc. Spir. sanctum, de quo ibi est controversia*) Christus miserit, hoc probate: unde asseritis personam vestri autoris, vel potius deceptoris? Respondetis ex Evangelio nos probare. Ex quo Evangelio? Quod non totum accipitis, quod falsatum esse vos dicitis. Quis ergo testem suum prius ipse dicat falsitate esse corruptum, & tunc producat ad testimonium? Si enim quod vultis ei credimus, & quod non vultis, ei non credimus, jam non illi, sed vobis credimus. Si autem vobis credere vellemus, testem à vobis non exigeremus. Ita ergo aut cogimini veraces illos codices confiteri & continuò evertent hæresim vestram: aut si fallaces eos dixeritis, eorum autoritate Paracletum non poteritis asserere, & vos evertitis hæresim vestram. *Hæc ille doctissimus Pater.*

Quia igitur Ecclesia Romana neq; Vetus neq; Novum Test. custodivit in incorruptâ suâ libertate, sed Hebræum, Græcum, Latinum pariter corrumpi passa est, in omnia Salmeroniana absurda incidit, adeoq; autoritatem conferre Evangelio nequit.

Unde tantoperè invehitur SALMERON l.c. in Novatores, quos vocat, quorum tamen tres sine dubio sunt Pontificii, penultimus Episcopus ultimus Cardinalis. p.416. *Nostri seculi*, inquit, *novatores, editionem Latinam Novi Test. depravatam, atq; fædè vitiatam esse deblaterant, illamq; esse ad fidem Græcorum codicum revocandam & castigandam. Inter quos primus fuit* Laur. Valla: *secundus* Erasmus, *tertius* Jacobus Faber Stapulensis, *quartus* Cajetanus: *quos innumeri penè alij secuti sunt, eandem cantilenam cantantes, & hanc nostram editionem non esse à* B. Hieronymo *confectam asserentes. Nam* Erasmus *in præfatione, quam suæ editioni præposuit, ad septem capita refert lapsus, erroresque vulgatæ editionis:*

nis: in quorum primo inexcusabiles solœcismos per interpretem nostrum admissos recenset: in secundo, omnes ferè locos obscuros, in quibus magni nominis interpretes facilè lapsi sunt, collocat: in tertio loco manifestè depravatos disponit: in quarto, locos in editione nostrâ redundantes: in quinto textus in editione nostrâ deficientes opponit: in sexto & septimo locos ab interprete immutatos ac perperam inversos subjicit. Ex quibus facile cognoscere possis, quot mendis, solœcismis, barbarismis, amphibologiis, hyperbatis milleq́ aliis erroribus & corruptelis nostra Novi Test. editio sit referta. Liberet ergò sese Pontificum schola à tantorum Virorum justissimis querelis, aut non asserat sibi Prætoriam illam & Dictatoriam in scripturas autoritatem.

Consideratio Nona.

NONO consideranda *disputatio* NICOLAI DE CLEMANGIS *Archidiaconi Bajocensis* (*viri*, ut Trittenhemius Abbas Spanheimensis *in lib. de Eccles. script.* loquitur, *in divinis scripturis eruditi, & in secularibus literis nobiliter docti metro exellentis & prosâ, qui in Gymnasio Parisiensi magisterium sacræ paginæ consecutus, magnam eruditionis suæ evidentiam dedit, scripsitque utroque stylo multa præclara volumina, quibus luculentissimi ingenii sui memoriam reliquit*) *habita per scriptum super materia Concilii Generalis*, cum quodam Scholastico Parisiensi, in quâ non incommodè contra Pontificios Augustinus explicatur. *Disputatio sic habet*: Ob eam rem dixi, multis posse videri efficacius, aliunde acta Concilii, quam per ipsum Concilium fuisse probanda, quia reverà non convenientissimum mihi videbatur (quod cum pace authoris velim esse edictum) acta Concilii, apud Concilium per ipsummet probare Concilium. Aut enim aliunde suberat probatio, aut non suberat. Si aliunde opportuna suppetebat, non te mihi negaturum arbitror congruentius extitisse, hoc fieri. Quid enim si coram illis sermo fiebat, qui res egerant ac digesserant? cum rectius atq; commodius, si ad alienos sermo fuisset, vernacula adhiberetur probatio quam apud illos, qui egerāt. Si autem nihil aptum ad confirmationem illarum cōstitutionum, vel ex Scripturæ authoritate, vel ex sacris Canonibus præcedentium Conciliorum trahi poterat, nescio si utilius fuisset restitutâ primum pace,

tanta

tanta nova condere decreta, quæ nullis prioribus edita Conciliis invenirentur, cũ periculosæ nimis sint novitates temporibus schismatum, multaq; aliàs scandala pepererint, & præsertim cum de actis Pisani Concilii multos etiam nunc ambigere audiamus, quo non tàm schisma sublatum vidimus, quam auctum & corroboratum. Nam quod ait autoritatem Ecclesiæ omni præstantiorem esse ratione, nonne per authoritatem Ecclesiæ fuisset facta probatio, si per Scripturam divinam, vel per aliarum statuta Synodorum fuisset in testimonium majoris certitudinis illa confirmata? Licet autem Ecclesiæ militantis authoritas sit maxima, quæ fundata super firmam petram convelli non potest, & adversus quam portæ inferni nunquam prævalere potuerunt, non illi tamen nos oportet, (ut videtur) triumphantis Ecclesiæ titulos adscribere, ut infallibilis sit, aut impeccabilis, quæ sæpè (ut nosti) & fallit, & fallitur, non dico in his quæ fidei sunt; cum Christus ad mortem properans de illâ ad Petrum dixerit: Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Sed in aliis, quæ vel facti sunt vel morum, vel judiciorum, in quibus propter circumstantiarum infinitam varietatem ac multitudinem, perdifficile est optimè medium semper attingere. Si igitur aut moralia sint, aut judicialia ista Concilii acta, cum in talibus falli possit Ecclesia, non absurdum videtur fuisse, si ad argumẽtum majoris firmitatis aliqua similium exempla, vel de Scripturis Canonicis proferantur, vel de antiquis ac probatissimis Conciliis, quæ inconcussæ sunt authoritatis. Si autem omnia illa acta Concilii fidei diffinitiones sunt, cum nonnulli (ut fama vulgavit) multa ex adverso producant sanctorum Patrum ac synodalium sanctionum decreta: vide quale fuerit pendente adhuc schismate in tantarum rerum opinionumq; varietate doctissimorumq; hominum controversiâ, tot fidei constituere articulos, ubi non solùm conveniens, sed necessarium mihi fuisse videtur, alias saltem cõstitutiones vel determinationes, quæ ab aliis in contrarium adduci dicuntur, in partem veritatis & fidei interpretari oportuisse, & non istis contraria esse debuisse ostendi, ne aliàs in materiâ fidei ipsa errasse videretur Ecclesia, contraria determinando. Quod enim dicis, patrum decreta rationi non inniti solere, certè cum tuâ bonâ veniâ, si fidei negotium est vel ma-

teria

teria contentiosa, rationibus maximè ex Scripturâ ductis: vel ex S. Patrum definitionibus inniti consueverunt à quorum vestigiis, nisi legitimâ gravissimâque ratione adducti, non solent discedere quam (si contraria eos contingat statuere) explicare non omittunt, ne gratis & voluntariè in rebus arduissimis locuti videantur, sanctorumq; Patrum Decreta sine causa mutasse. Sed jam venio ad verbum *Augustini*, quod commemorasti, quo Ecclesiastica videtur authoritas maximè extolli atq; fulciri: *Evangelio* (inquit ille) *non crederem, nisi me authoritas Ecclesiæ compelleret.* Mirum sanè primâ specie satis videtur, quod authoritatem peregrinantis in terra Ecclesiæ, authoritati videtur Evangelii anteponere, cum in multis illa falli possit illud omnino nequaquam possit, & cum ipsius Ecclesiæ authoritas, quantum ad ipsius radicem & fundamentum maximè ex Evangelio constet, imò ipsius institutio, potestas, ædificatio, non aliunde tàm expressè & certudinaliter, quam ex ipso habeatur Evangelio. Non certius autem (ut existimo) videre possumus de Ecclesiâ atq; Evangelio, quod altero excellentioris sit authoritatis, quam si demus fieri posse, ut aliquid Evangelio contrarium Ecclesia statuat. Quod utiq; scio fieri non posse, sed fingamus gratiâ melius enucleandæ veritatis fieri posse. Putasne in casu illo *Augustinum* pro Ecclesiastico statuto fidem fuisse Evangelii rejecturum? Equidem non facilè crediderim doctorem illum acutissimum atque excellentissimum hoc fuisse facturum, aut per illa hæc verba sensisse, præsertim cum de fide Evangelii *Paulus* dicit: *Si quis etiam angelus de cœlo aliud vobis Evangelizaverit, anathema fit*, aliud inquam, id est contrarium, Scripta quippe sunt ab *Augustino* verba illa, nisi me fallit memoria, in libro cujus titulus est; *contra Epistolam fundamenti Manichæorum* (quem ante non multa tempora ad integrum perlegi) Manichęi autem, contra quos ibi agitur, Scripturas sacras pro arbitrio suo, non pro Ecclesiæ Catholicæ ordinatione vel acceptandas ducebant, vel repudiandas. Vetus pro majori parte Test. non admittebant, Evangelio credi volebant, Epistolas Pauli Apostoli multis adjectis & detractis à falsariis quibusdam corruptas dicebant, multaq; similia deliramenta sine ratione, sed solâ voluntatis suæ perversitate de Scripturis confingebant. Ut igitur docere *Augustinus* non ex voluntatis arbitrio, sed

cano-

canonicâ institutione canonicas scripturas recipi oportere, illa verba mihi videtur, quantum recordari valeo, posuisse: *Evangelio non crederem, nisi me authoritas Ecclesiæ compelleret*: hoc est: Evangelio tanquam Scripturæ Canonicæ non crederem, nisi Ecclesiæ authoritas ad hoc me compelleret, quæ illud intra corpus canonis habendum censuit, & cui soli est illa authoritas attributa, ut Scripturas possit canonicas facere, cuiq; à quolibet fideli in hoc credi debet atq; obediri. Scripta sunt à plerisq; sub aliquorum Apostolorum aliorumq; fidelibus nominibus multa Evangelia, de quib. etiam meminit Lucas in prologo sui Evangelii, sed tùm propter authorum incertitudinem, tùm quia non usquequaque vera erat illorum narratio, non immeritò inter Apocrypha per Ecclesiam deputata sunt, illis ergo non est credendum, quia non sunt per Ecclesiam pro canonicis approbata, sed à canonicâ catholicaq; autoritate prorsus exclusa. Deinde, quod postea addis, certiorem esse habitum fidei, quam rationis, & si non evidétiorem, fateor apud fideles veros verum esse, quod dicis, Captivantes (ut ait Apostolus) omnem intellectum in obsequium Christi ac suæ fidei: Qui profectò prius dicederent à ratione, quam à fidei authoritate, si utraque invicem concordare non possent. Sed non omnia, quæ Ecclesia constituit, fidei diffinitio sunt, & plerunq; etiam cum fidei sunt, à ratione non discrepant. Illud quoque, quod ex Lactantio adducis, ea quæ divinæ authoritatis sunt, cum ratione probante tradi nõ oportuisse, ne per inductam minueretur dicentis authoritas, similem habet responsionem. Non enim tanquam fidei articuli sunt amplectenda, quæcunq; Ecclesia determinat, utpote quæ aliquotiens contraria determinavit, quod in fidei materia non esset conveniens. Denique non ignotum tibi est, tum Christum ipsum legiferum nostrum, tum suos Apostolos in suæ legis ac fidei traditione sæpè tale genus probationis, quale dicebam ex sacris Scripturis Veteris Test. dictisq; Patrum & Prophetarum, in dictorum suorum confirmationem adhibuisse, quo nullum nobis ad imitationem certius possumus exemplum proponere, cum illius actio & vitæ nostræ & morum nostrorum atq; actionum certissima atq; infallibilis sit instructio. Nec illud præterea te fugit, quod credo ex fonte illo imitationis Christi derivatum, quod nostri Scholastici

ſtici Theologi, etiam ad illa, quæ fidei ſunt, rationes & naturales & morales quotidie adducunt, vel propter illos, qui non fundatiſſime ſunt fidei, ſed ductu rationis in principio ad illam indigent attrahi, vel ne naturæ rationique contraria videatur fides imperare, ac per hoc ab illa, velut à re irrationabili atq; ineptâ puſilli pleriq; ac ſenſibus dediti, ad itelligibiliaq; ac ſpiritualia non facilè valétes aſſurgere refugiant. Vides in Johannis Evangelio ad ſermonem mulieris ad Samaritanæ plurimos ex civitate Samariæ ad Chriſtum veniſſe in eumque credidiſſe, qui poſtea in fide corroborati dicunt: Jam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audivimus & ſcimus, quia hic eſt verè Salvator mundi. Figurat autem (ut ajunt Doctores) mulier iſta Samaritana rationem vel ſimilitudinem naturalem. Samaria quippe conjuncta Domino interpretatur, per naturalem vero rationem anima incipit Domino per fidem conjungi, quæ ratio rudes & novellos primùm ad fidem ducit atque allicit, cum verò in ſacramentis fidei plenè imbuti fuerint atq; edocti, non jam propter illam credunt, nec illius ductu indigent, ſed illam potius tanquam viæ periti, nec ducem ulterius requirentes repudiant, ſicque ſuæ fidei non evacuatur meritum, cui jam non humana ratio præbet experimentum, licet fortaſſis in principio præbuerit incitamentum. Non fuiſſet autem tàm neceſſarium facta Concilii vel per authoritatem Scripturarum, præcedentiumq; conciliorum corroborari, vel eorum ſaltem rationem reddi, ſi non aliqua, ſaltem per doctos homines diceretur opponi, vel ſi omnes illi quos reſpiciunt, aut ad quos ventura ſunt ita eſſent humanâ ac divinâ ſapiétiâ præditi, ſicut illi qui ea ediderunt. Sed cum iſta reſpiciant univerſam Eccleſiam & multa alia ſtatuta nonnullis iſtorum, quorundam fortè opinione, videantur adverſari; credo utiliſſimum fuiſſe ac conſultiſſimum, ſi rationes fuiſſent dictorum adjectæ, ut omni poſcenti ſuper his rationem in promtu iviſſent, juxta doctrinam atq; admonitionem B. Petri Apoſtoli; Qui vult nos ſemper paratos eſſe ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de eâ, quæ in nobis eſt, fide. Non rectum eſſe arbitrabatur princeps ille Apoſtolici ordinis, nos in eorum quę fidei ſunt tractatione aut determinatione, abſq; ratione & pro arbitrio loqui, qui omnibus fidei noſtræ rationem defiderantibus

rantibus jubet esse paratam. Non sibi debent solis sapere qui in Synodo universali Ecclesiam repræsentant, sed ipsi tot Ecclesiæ: & ita debent suas determinationes clarè atq; enucleatè explicare, ut nullum de pulsis, qui in Christo credunt, possint sua obscuritate aut dubietate scandalizare. Ratio autem in facto aliquo aut dicto adjecta, obscuritatem atque ambiguitatem, ac per hoc scandali occasionem, ab illo aufert, quam rationem si non poterant in specie unicuiq; postulanti reddere, poterant saltem in genere ad satisfactionem universalis Ecclesiæ suis constitutionibus addere. Non debent insuper, ut videtur, qui Concilium agunt, pro fiduciâ ac libertate agendi quæcunq; libuerint, nimis illi inniti æstimationi, Generale Concilium sumus, fidenter agamus, errare non possumus. Sanxerunt ac diffinierunt, qui Pisano interfuerunt Concilio, atq; ita promulgari fecerunt per novam electionem, ad quorundam ambitiosorum instantiam propterea factam, schisma sese ex Ecclesia sustulisse, pacemq; reddidisse. Et quis in totâ Ecclesiâ tam cæcus fuit, qui non rerum experientiâ palàm viderit, quantum & ipsosmet & universam Ecclesiam illa opinio fefellit? Nihil profectò deterius, nihil Ecclesiæ funestius, unioniq; capitalius agi potest, quam ante omnia benè pacatâ pro securoq; pacis tractatu composita & concordata ad novam procedere electionem, quæ res & schisma à principio fecit, & in tantam vetustatem perduxit, & sanctam Dei Ecclesiam incredibiliter attrivit, quod quamdiu beneficiorum aviditate fiet, nunquam sumus Ecclesiæ visuri unionem, &c.

Ut igitur in summam contrahamus, quod hucusq; *novem considerationibus* proposuimus, facile elucere existimo, *quia* Pontificii Patrum authoritatem in rebus maximi momenti susque deque habent, & *nunc* laudant, *nunc* hæreticæ pravitatis nota insigniunt: *quia* ipsi Patres & nominatissimus inter eos *Augustinus* supremam autoritatem divinæ veritatis in ipsam scripturam collocant: *quia Augustinus* in pronunciato suo non causam suæ fidei, *ut jam Catholicus est*, sed occasionem, qua *à Manichæismo* ad divinarum scripturarum amorem pervenerit, explicat: *quia* etiam Ecclesia est *quidem aliquod commovens principium* ad fidem divinarum literarum accipiendam, *non tamen unicum*, cum plura & maxima alia sint, *neq; apud omnes efficax*,

cum

cum iis qui Ecclesiam ignorant non prosit & iis etiam qui eam noverunt, non omnibus profuerit aut acceptum sit, quod in Indis, Japoniis, Brasiliensibus, Judæis. Turcis apparet: *quia* etiam id, quod de Ecclesia dixit *Augustinus*, in primitivam Ecclesiam potissimum quadrat *quia* Pontificia Ecclesia à primitivæ consensu defecit: *quia Pontificia Ecclesia* ante Lutherum *non sola* fuit, sed *ante* se primitivâm, Orientalem & Occidentalem habuit, *secum* Græcam, Ægyptiacam, Armenicam, Æthyopicam, Syriacam, Ruthenicam, *intra se* Waldensem & alias ex Confessoribus & Martyribus, Imperatoribus, Ducibus, Principibus Eruditis collectas: *quia*, quamvis Papalis Ecclesia *ad testimonium de libris sacris* admittatur, non tamen idcircò necessariò *ad dogmatum ipsorum constitutionem* admittenda est: *quia* eadem Papalis Ecclesia non habet ea dogmata, quæ cum libris sacis à Catholica Ecclesia accepit Augustinus, & aliàs pessima fide ludit in *dictis* Augustini & *libris* eidem *vel* tribuendis *vel* supponendis: *quia* & in N. & in V. Testamento custodiendo in sua integritate Ecclesia Papalis non fecit suum officium, sed passa est Hebræos, Græcos, Chaldæos, Syros, Latinos Codices corrumpi, ut ipsa ait, & nondum eosdem suo nitori restituit, nec testatur, quinam puri sint: *quia* demum ipse *Clemangius* è veteribus Ecclesiæ scriptoribus hoc dictum non aliter explicat, quam ut circa Canonem custodiendi & testificandi dignitatem Ecclesiæ tribuat: non poterit Augustini dictum trahi ad supremam illam & dictatoriam irrefragabilemq; autoritatem, quam Papalis Ecclesia in libros & dogmata sacra sibi vendicat. Id quod erat demonstrandum.

FINIS.





EXERCITATIO
Ad
ΔΙΑΤΥΠΩΣΙΝ
CONCILII NICAENI
de
SACRA SYNAXI
COENÆ DOMINICÆ
à
GELASIO CYZICENO
commemoratam.

SECTIO I.

Concilij Nicæni elogia & circumstantias enumerat.

THESES. I.



Agna, post S. literarum θεόδοτον καὶ θεόπεμπτον thesaurum, semper Concilii Nicæni fuit celebritas. Athanasius *Tom. 1. in Ep. de Synodis Arimini & Seleuc. p. 678.* vocat μεγάλην σύνοδον. Conf. *Ep. ad Africanos pag. 719.* οἰκουμενικὴν. *ibid. p. 718. 719.* Et *disp. contra Ar. in Nic. Syn. p. 115. & orat. 1. contra Arr. p. 133. & orat. 2. p. 139. & in decret. Syn. Nicæn. contra Arr. p. 403. p. 423. & de Synodis Arimini & Seleuc. p. 673. 680. 685. 699. Et in Ep. ad Afric. p. 717. 718.* Idem *in Ep. ad Antiochenses p. 749.* inquit, *Sanctã Synodũ, quæ Sardis convenit, Synodo Nicæna se contentam esse, declarasse, ut cui nihil deesset, & in qua integra & solida pietas contineretur, neq; edendam aliã esse professionem Fidei, ne illa, quæ Nicææ scripta est, suos numeros non habere videatur, ne ve illis, quibus libido est, semper nova statuere, occasio suppeditaretur, ut iterum atq; iterum de fide definiant.* Idem *in Epist. de Synodis Ari-*

Resp. Georg. Christophoro Hochaichero Augustano

Concilij Nicæni elogia ex Athanasio.

mini & Saleuciæ, recitat Synodi Ariminiensis verba in Ep. ad Constantium Imp. ubi ita de Synodo Nicæna loquuntur: Indecens & nefarium est, aliquid ex rectè & justè decretis, & ex rebus Nicææ publicè cum Illustrißimo Principe Constantino Patre tuo per accuratam deliberationem constitutis, immutare velle, in quibus tanta doctrina est & prudentia, ut ea ubiq; deprædicata ad omnium aures animosq; pervenerit, quæ sola hostis & interfectrix Arianæ hæreseos, & per quam non illa sola, sed & reliquæ hæreses sublatæ sunt, in qua certè & addere aliquid temerarium est, & auferre periculosum. Idem de ijsdem Ariminensibus Episcopis in Ep. ad Afric. pag. 719. Episcopi Arimini, legitimi Christi servi, & recta fide præditi numero fere ducenti, dicebant, sufficere Concilij Nicæni dogmata, nec plus aut minus aut quærendam aut credendum esse. Idem Orat. de divinit. Christi pag. 337. Vincant, inquit, & robur suum habeant, quæ Nicææ Patrum Confeßionibus constituta sunt: recta n. fides est, quæ sufficiat exterere omnes impias hæreses &c. Idem Epist. ad Epictetum Episcop. Corinth. p. 453. Ego, inquit, arbitrabar, omnium, quotquot unquam fuere, hæreticorum inanem garrulitatem Nicæno Concilio sedatam esse. Nam fides, quæ inibi à Patribus secundum S. Scripturas tradita & confeßionibus confirmata est, satis mihi idonea efficaxq; videbatur ad omnem impietatem evertendam, & pietatem eius, quæ in Christo est, fidei constituendam. Et post. Nulla est in Ecclesia Catholica Synodus existimanda præter unicam Nicænam, quæ omnium hæresium profligatarum ac inprimis Arrianæ trophæum est habenda. Idem in Epist. ad Afric. p. 718. Plenum est, inquit, hoc Concilium pietatis, & universum jam orbem adimplevit. Hoc & norunt Indi & quotquot apud alios barbaros sunt Christiani. Et post pag. 719. Nicæni Patres Scripturas spirant ac redolent. Idem Orat. 1. contra Arianos pag. 132. Author, inquit, adhortatorq; sum, ut gestantes in manibus vestris fidem Nicææ à Patribus traditam, ejusq; cum magna alacritate fiduciaq; in Dominum vindices specimen exemplarq; omnibus, qui ubiq; sunt, præbeatis. &c. Et pag. 121. disp. 1. contra Arian. Denuncio vobis, inquit, ut quisq; caveat, ne ab Arianis decipiatur, aut furtum sui patiatur, sed potius ac si Iudaica Impietas Christianam fidem invaderet, Zelum Domini Zelate, retenta Patrum fide, quam Patres, qui Nicæa convenerant, scripto profeßi sunt. Ne sustinueritis eos, qui contra eam novis rebus student, etiamsi dictiones ex Sacris literis scribant: ne sustinueritis hoc genus scriptorum, etsi voces orthodoxæ fidei loquantur &c. Idem Epist. ad Epictet. pag. 453. Anathemate, inquit, persequor eos, qui Confeßionem fidei Nicææ

vili-

vilipendunt. Et rursus. *Omnem hæresin Anathematizo incedens secundum Nicænam fidem. Et in Epist. ad Iovin. de fide pag. 399. Nos*, inquit, *conspectis Arianæ blasphemiæ in populum* DEI *calamitatibus, necessario tibi fidem Nicææ Patrum confeßionibus confirmatam porrigere studuimus, ut tua Pietas & ea quæ ibi exactißimè scripta, & quantum errent illi, qui aliter sentiunt, intelligeret. Cognosce igitur, religiosißime Auguste, hanc esse, quæ à condito ævo prædicata fuit, & quam Nicææ Patres congregati agnoverunt, cujusq; suffragatrices esse omnibus in locis omnes Ecclesias, sive in Hispania sint, sive Britannia, Gallia universa, Italia, Dalmatia, Dacia, Mysia, Macedonia, sive universa Græcia, universa Africa, Sardinia, Cypro, Creta, Pamphilia, Lycia, Isauria, AEgypto, Lybia, Ponto, Cappadocia. Itidem quotquot nobis vicinæ sunt, nec non & Orientis Ecclesias &c.* Hilarius *lib. contra* Hilar *Constantium Augustum pag. 283.* ita eum alloquitur pro Concilio Nicæno! *Audi verborum Sanctam intelligentiam! Audi Ecclesiæ inperturbatam constitutionem! Audi Patris Tui professam fidem! Audi humanæ spei confidentem securitatem! Audi hæreticæ damnationis publicum sensum! & intellige, Te divinæ religionis hostem, & inimicum memorijs sanctorum & paternæ hæreditatis rebellem hæredem.* Idem lib. de Synod. adv. Arian p. 332. vocat *religiosè conscriptam fidem* Symbolum Nicænum.

Eusebius Cæsareensis de vita Constantini (si modo Eusebius librorum istorum author est, quod quidem asseverat Pho- §. 2. tius *in Bibliothec. Cod. 127. pag. 164.* Socrates lib. 1. Hist. Eccl. cap. 4. & recepta apud omnes ferè habet opinio: quos tamen illi non assignant alij. Hieronymus *in Catalogo* inter Eusebiana non Eusebio. commemorat, quod & Possevinus *in Apparatu suo* agnoscit. Et miratur hoc factum Gerhardus Vossius *lib. 2. de Historijs Græcis c. 17. pag. 248.* Jacobus Gothofredus alterius alicujus Eusebij, non autem Cæsareensis, esse vitam Constantini inter hujus opera repertam, disertè scribit *dissert. in Philostorg. lib. 7. cap. 3. p. 273. Author vitæ Constantini alius omnino ab Eusebio Cæsareensi, qui etiam velut Iconomachorum patronus in Concil. Nicæno II. repudiatus fuit.* Et sic passim sine nomine Eusebij adducit *in Philostorg. lib. 1. cap. 6. p. 18. 20. cap. 7. p. 23. & lib. 2. c. 5. p. 57. 58. Et c. 18. p. 93. lib. 3. c. 2. p. 99. & alibi.*) *lib. 3. copiosè* de isto Concilio agit. c. 6. enumerat, quomodo Imperator Constantinus *Concilium generale tanquam quendam* DEI *exercitum instruens coëgerit, Nicææ Episcopos per literas honorificè scriptas, ut*

eò maturarent, acciverit, nonnullis potestatem fecerit equis publicè ad iter celeriter conficiendum dispositis utendi, aliis per magnum jumentorum instratorum, quibus veherentur, numerum suppeditaverit, quomodo omnes summa animorum alacritate, tanquam è carceribus ad cursum emissi, propere advolaverint, cum non solum qui in animorum dissensione erant, sed etiam qui corporibus, regionibus, locis, gentibus longissimè disiuncti, unum in locum aggregarentur, atq; una civitas eos omnes tanquam maximam sacerdotum coronam ex multiplici nitidorum flosculorum varietate contextam exciperet. Ex omnibus namq; Ecclesiis (narrat cap. 7.) *quæ frequentes in tota Europa, Africa & Asia extiterunt DEI ministri, qui facile primas ferre putabantur, in unum convocati. Templum etiam Nicææ velut DEI nutu amplificatum, intra parietes suos Syros pariter & Cilices, Phœnices, Arabes & Palæstinos, Ægyptios, porrò Thebanos, Afros aliosq; ex Mesopotamia profectos recepit. Aderat etiam unà in Concilio Persidis Episcopus, nec ab hoc choro Scytha abfuit. Pontus item, Galatia, Pamphilia, Cappadocia, Asia & Phrygia, viros apud se lectissimos suppeditarunt; Quin etiam Thraces, Macedones, Achæi Epirotæ, & quorum domicilia multo longiore locorum intervallo distabant, eò adventarunt. Ex ipsis Hispanis unus nominis & famæ celebritate insignis cum multis aliis in consessu illo adfuit. Et quanquam urbis illius, penes quem imperium est, Episcopus ingravescente ætate præpeditus abfuit, ejus tamen Presbyteri, qui aderant, illius locum suppleverunt.* cap. 9. recenset, *ducentos quinquaginta & amplius Nicææ fuisse Episcopos. Presbyterorum, Diaconorum, Acoluthorum & aliorum, qui istos comitabantur turbam ne enumerari quidem potuisse,* (ubi obiter notanda venit Johannis Christophorsoni Cicestrensis Episcopi in translatione Eusebii temeritas, qua, ubi in Græco est, ἑπομένων δὲ τούτοις πρεσβυτέρων καὶ διακόνων, ἀκολούθων δὲ πλείστων, ὅσων δ' ἑτέρων οὐδ' ἦν ἀριθμὸς εἰς κατάληψιν, vertit: *Presbyterorum autem, Diaconorum, acoluthorum & cæterorum qui illos comitabantur turba, ne numerari quidē potest.* Cum revera sit, *sequentium autem* (sc. Episcopos) *istos Presbyterorum & Diaconorum itemq; comitum sive pedisequorum* (ἀκόλουθος enim *pedisequum, comitem, assentatorem* esse manifestum est. Demosth. *contra Midiam*: ἀκολούθους τρεῖς ἢ τετάρας αὐτοὺς ἔχων. Lucianus *in Nigrino*: φορτικὸς ἀκολούθων ὄχλῳ oneratus comitum turba. Xenophon *Hell.* 3. τοὺς τῶν ἑλλήνων ἀκολούθους εἰς ἁρπαγὴν) *plurimorum, sed & in universum cæterorum ne numerus quidem iniri poterat.* At quia Christophorsono in mente fuit pro

Christophorsonus notatur.

Acolu-

Acoluthis, quos è numero ordinum Ecclesiasticorum commemorant, ubivis locorum conciliare testimonia, & hic ἀκολούθων occurrit mentio, Acoluthorum nomen placuit in versione præsentare. Fatetur autem ingenuè Petrus Arcudius Corcyræus *de concordia Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ in sacramentis lib. 6. cap. 9. p. 464.* Antiquos Patres, qui prope tempora Apostolorum floruerunt, Acoluthi nullam prorsus mentionem facere, Clementem, Ignatium, Epiphanium. Imò Isidorum *lib. 2. de Eccles. Offic.* & authorem istius Epistolę ad Rusticum Narbonensem apud Hieronymum , qui ex instituto de omnibus ordinibus disserunt, de Acolutho nihil habere. Dicere quidem nonullos, Ignatium *in Ep. ad Antiochenos* sub finem comemorare istud nominis. Sed ibi Ignatiũ de suis Diaconis loqui, cũ, *salutant vos*, inquit, *Philon & Agathopus Diaconi, & συνακόλουθοι μου, Mei comites seu socij, qui me insequuntur.* Sic & Ludovic. Cellotius *lib. 6. de Hierarchia c. 15.* de Acoluthatu ait: *Notatum est , istud ordinis & ministerij Ecclesiastici nomen in S. Ignatij catalogo locum non habere, ut neq; in constitutionibus. Certum tamen* (ita sine teste loquitur) *ex Concilio Tridentino, ab ipso Ecclesiæ initio cum cæteris in usu fuisse.* Contradicit Urbanus Papa *capit. Nullus. dist. 60.* cum ait: *Sacros ordines dicimus, Diaconatum & Presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse.* Quæ verba in Jurisprud. Theologa lib. 1. Sect. 2. c. 5. art. 6. §. 3. vindicavimus à corruptelis interpretantium) c. 10. recenset, quo modo *universo ministrorum DEI conventu decenter collocato Imperator tanquam quidam cœlestis DEI Angelus purpureo vestitu & nitido , velut claro luminis fulgore splendescens corruscantibusq; illius radijs illustratus, & conspicuo auri lapidumq; pretiosorum nitore pulchrè exornatus intraverit.* cap. 12. quod ad Concilium peroraverit de seponendis affectibus & studio concordiæ consectando. cap. 13. memorat, quod Imperator tandem *controvertentes inter se Ecclesiasticos in omnibus rebus , quæ in quæstionem aliquando venerunt, tum conspirantes animis, tum opinionibus adeò consentientes reddiderit, ut non modo concors fides inter eos vigeret, sed etiam unum idemq; tempus in salutari festo Paschatis celebrando observandum ob omnibus concederetur.* Cap. 14. Quomodo Imperator epulo eos exceperit. cap. 15. quantis muneribus eos honoraverit. c. 16. recitat literas ad Ecclesias, quarum argumentum; se Imperatorem tranquil-

lata Repub. de fide & cultu divino conservando & uniendo curasse: hoc cum non posse effici videret, nisi vel omnes Episcopi, vel maxima eorum pars judicium suum interponeret, se Concilium congregasse, ei velut unum ex Episcoporum numero interfuisse: Controversias eousque deductas esse, ut sententia omniscio DEO gratia pronunciaretur. Paschale festum ab omnibus uno die celebrandum. Hæc & alia ibi in Concilii laudem commemorantur. Sic de Concilio Nicæno Eusebius. Aliorum elogia vide apud Franc. Longũ à Coriolano in sũma Conc. p. *207.*

§.3. *Concilij Nicæni tempus.*

In authore vitæ Constantini *primo* occurrit *TEMPUS Concilii celebrati.* Id indicatur *cap. 14. lib. 3.* cum ait: *Eodem tempore vigesimus ejus regni annus completus est &c..* Et cap. 40. l. 4. cum ait: *Cum triginta ipse Constantinus annos in Imperio complevisset, Filij ejus numero tres Cæsares diversis creabantur temporibus. Primus, qui Patris erat cognominis, decimo paterni imperij anno honorem hunc adeptus est. Secundus Avi nomine appellatus Constantius vicesimo ferè imperij paterni anno, quando publicus solennisq; omnium hominum conventus agebatur, renunciatus est &c.* Et cap. 47. *Nicænus conventus triumphi nomine vicesimo imperij anno constitutus in ipsa urbe Nicæa νίκην, id est, præclaram de hostibus reportabat victoriam.* Etiam Socrates *H. E. lib. 1. c. 12.* finem Concilij celebrati in annum XX. Constantini collocat, qui & *lib. 1. c. 9.* ait: *Quod autem ad tempus Concilij attinet, coactum fuit, sicut ex Annalium commentarijs constat, Paulino & Iuliano Coss. XI. Calend. Iun. Anno 636. post regnum Alexandri Regis Macedonum.* Accedit Sozomenus *lib. 1. c. 24.* Josephus Scaliger *de emend. Temp. lib. 5. §. de consessu Nicæno pag. 507.* notat pariter, tempus dimissionis Concilij incidisse in vicennalia Constantini. Existimat a. annum Alexandreum Syro Macedonum *636.* esse primum annum consessus Nicæni, illumque cæpisse Anno Chri. 324. Calend. Octob. quo orditur annus Antiochenus Anno 4. Olymp. 275. Anno Constantini 18. ineunte, vel ut Author Anonymus apud Photium habet, A. 17. Dimissum autem fuisse Concilium Anno 3. currente, postquam convocatum fuit, sc. anno Alexandreo *638.* Nec unus Scaliger triennium durasse Concilium asserit. Did. Convarruvias Episcopus Segobiens. consentit *lib. 4. var. resolut. cap. 15. Tom. 2. oper. pag. 329.* Et Bellarminus *lib. 1. de Concilijs cap. 1. §. Item inchoatum.* Et Gilb. Genebrar-

nebrardus *Chronolog. l.3. A. Chri. 338. pag. 416.* Notat Scaligerum & Covarruviam propterea Baronius *Tom.3. ad An. Chr.325. ſ. 6.* & refert, incertum authorem apud Metaphraſtem *Tom. 6. Aloyſij Lypomanni* profiteri, perduraſſe Conciliũ ſex etiam menſes ultra triennium. Ita etiam dicere Nicephorum lib. 8. cap. 26. & Acta Alexandri & Metrophanis apud Photium Cod. 216. Baronius *ſect.1.* ex Concilij Chalced. Act. 2. oſtendit, Conſulatu Paulini & Juliani, Virorum Clariſſ. COSS. Anno poſt Alexandrum 636. menſis Deſij, Concilium cœptum & eodem anno finitum, cum in illum ipſum annum vicennalia Conſtantini inciderent. Hinc & Caſſiodorum notat, qui Concilium collocat in Conſulatum Januarii & Juſti, ann. Conſtantini 23. Stat contra Scaligerum à partibus Baronii Dionyſius Petavius *doctrin. temp. lib. 11. cap. 41.* ubi aliorum etiam confutat ſententias. Accedit Sethus Calviſius Chronolog. pag 391. Sed hæc hic excutere noſtri inſtituti non eſt.

Occurrit deinde mentio eorum, qui Concilio interfuerunt, & quidem tum ratione *locorum*, tum ratione *numeri*. Illâ notat ex omnibus partibus orbis terrarum adfuiſſe Præſules. Ubi illud præcipuè obſervandum, quod de urbis rerum Dominæ Epiſcopo notat, illum non interfuiſſe Concilio niſi per Legatos. *Quis fuerit Romanus Epiſcopus*, non indicatur. Couvarruvias, Baronius & Petavius notant Sozomenum, *lib. 1. cap. 16.* & qui eum ſequitur, Nicephorum *lib. 8. c. 14.* quod aſſerant, *Iulium fuiſſe illum*, qui ætate ingraveſcente præpeditus ad Concilium ipſe accedere non potuit. Baronius conjicit, Sozomenum per Epiſtolam Julij, quam Athanaſius habet *Apol.2.* deceptum fuiſſe, quia ſcribit, *noſtri Presbyteri, qui tum in Nicæno Concilio aderant, de ipſius recta fide conteſtabantur.* Rectè v. monet, illud *noſtri Presbyteri*, non ad perſonam Julij, ſed ad Eccleſiam Romanam pertinere. Quanquam ijsdem verbis perſuaſi Centuriatores *T.4. c. 9. §. 630. col. 2.* ſub Julio, non Sylveſtro Synodum celebratam tradant. Retinet tamen communem opinionem Oſiander *in Epitome.* Helvicus *in Theatro Chronol.* Sethus Calviſius in *Chronol.* Jacobus Davay Cardinal. Perronius Sozomeni lectionem corrigere auſus eſt, atque pro πολιὸς quod eſt Senex, librarios Ἰούλιος ſcripſiſſe. §. 4. *Aſſeſſores.*

Sed

Sed præterquam quod iſtam correctionem conſuetudo Græci ſermonis, & ἀκολουθία reſpuit, ut πολιὸς ſimpliciter abruptèque ponatur, uti notat Petavius loc. cit. ſatis clarè Perronius videre potuiſſet, poſt Sozomenum etiam Nicephorum, quem ſecutum fuiſſe tam turpiter errantem Sozomenum, ait Baronius, credidiſſe Julio Pontifice Romano Nicænam Synodum celebratam. Sic. n. lib. 8. cap. 4. τῶν ἀποστολικῶν θρόνων ἐκοινόνουν, Ἀλέξανδρος μὲν ὁ Ἀλεξανδρείας τῆς πρὸς τῇ Μαρείᾳ λίμνῃ κειμένης. Εὐστάθιος τε ἤδη τὴν πρὸς τῷ Ὀρόντῃ ἐπιτετραπεὶς Ἀντιόχειαν, Φιλογονίου γὰρ ἄρτι τὰ πρὸς θεὸν στειλαμένου καὶ τὸν ἀμείνω βίον μετελειχότος. Τοῦτον οἱ τῆς ἐπαρχείας ἀρχιερεῖς τε καὶ ἱερεῖς, ἔτι καὶ κοινὸς τοῦ κυρίου λαὸς βίαν πλείστην ἐπαγογόντες, ἐκ Βεῤῥοίας ἐπὶ τὸν θρόνον ἐπείλκυσαν, ἔπι πλείστην ἀπαγορεύοντα. ὁ Φερώνυμος τε τῶν Ἱεροσολύμων Μακάριος. Ἰουλιὸς δε, ὁ Ῥώμης, καὶ ὁ τῆς Κονσταντίνου Μητροφάνης. ὁ μεν ὁ Ῥώμης διὰ γῆρας βαθύ, ὁ δε διὰ πολλὴν ἀσθενείαν ἀπελείθησαν. Ἀντ' αὐτῶν δὲ κατὰ δύο πρεσβύτεροι διεπέμφθησαν. Ῥωμαῖοι μὲν Βίτων καὶ Βικέντιος. ἐκ δὲ Μητροφάνους ἕτεροι βίῳ καὶ λόγῳ πολλῷ διαφέροντες. *Apoſtolicas ſedes tum tenuere, Alexandriæ ad lacum Mareoticum ſitæ, Alexander, Antiochiæ ad Orontem Eccleſia jam tum Euſtathio commiſſa fuerat. Philogonio non ita pridem ad DEVM recepto & ad meliorem vitam tranſlato. Hunc Euſtathium provinciales Epiſcopi, Sacerdotes, communisq; populus ex Berrhœa ad eum thronum pertraxerunt, invitum admodum & reluctantem, vi plurima illata. Hieroſolymis Epiſcopatum geſſit ſuo reſpondens nomini Macarius: Romæ Iulius, Conſtantinopoli Alexander. Et Romanus Antiſtes propter ætatem decrepitam; Conſtantinopolitanus verò propter multam imbecillitatem in ſedibus ſuis remanſere, ſed eorum nomine bini presbyteri miſſi ſunt, à Iulio quidem, Vitus & Vincentius, ab Alexandro autem duo alij & vitâ & eruditione plurimum excellentes.* Sic Nicephorus, apud quem, ut pro Ἰούλιος ſcribatur πολιὸς, nulla ratio admittit. Julium interfuiſſe Synodo Germanus Patriarcha Byzantinus l. de Synodis M S C. tradit, apud Seldenum loco mox citando. Similia ſcribit Nicetas Choniata Theſaur. Orthod. lib. 5. cap. 6. pag. 444.

§. 5. Notat idem Baronius Photium, *quod l. de 7. Synod.* Concilium partim

partim ſub Sylveſtro, partim ſub Julio Pontificibus celebratum ſcribat. *At*, inquit, *quare non ſub Marco etiam, qui medius interceßit inter Sylveſtrum & Iulium?* Platina *in Sylveſtro* Concilium Nicænum ſub Sylveſtrum, in Agathone ſub Iulium collocat, *Edit Colon.* Etiam vetuſtus Scriptor Græcus coætaneus Synodi Calcedonenſis, *ἀνέκδοτος* in collectione & expoſitione ſua Synodorum, quem citat Jan. Seldenus *In Eutychij Originibus com. pag. 89.* Sylveſtrum & Iulium inter illuſtriores Synodi hujus viros commemorat.

§. 6. *Subſcriptiones Concilij cujus auctoritatis?*

Ipſe Baronius, ut probet ſub Sylveſtro Concilium Nicænum fuiſſe celebratum, *ſubſcriptionem Legatorum Romani Pontificis* urget. Sed ſubſcriptiones illæ non ſunt magnæ authoritatis, de quibus paulo poſt: nunc id tantum adſcribendum, quod in editione Conciliorum P. Crabbe Ann. 1538. Colon. ſubnotatur: *certè condonãdum eſt Collectori, ſi forte in aßignatione aut conſcriptione tam Epiſcoporum quam Epiſcopatuum præmiſſorum error invenitur commiſſus, maximè circa illos, qui citra Europam deſignantur, potißimùm quod, etſi fuerunt exemplaria vetuſtißima quatuor, ex quibus collectio præſens ſumpta eſt, erant tamen omnia adeo & ſingula depravata, ut Collectorem tædeat ineptæ ac multiplicis variationis, Nullius enim illorum cum altero convenientia fuit.* Mirandum eſt, tantum Annalium Eccleſiaſticorum molitorem non aliis machinis ingens opprobrium muniviſſe. Rob. Bellarminus *l. c. Incidiſſe*, inquit, *Concilij tempus in Sylveſtri Pontificatum, non Sylveſtri & Iulij, ut Photius docet* in lib. de 7. Synodis, *vel Iulij ſolius, ut Sozomenus ſcribit* lib. 1. cap. 16. *& ex Sozomeno Calvinus* lib. 4. Inſtit. cap. 7. §. 1. *Et Ioachimus Camerarius* in Hiſt. Syn. Nicæn. *ubi ſe diligentißimum ſcriptorum veterum Lectorem fuiſſe affirmat, facile demonſtrari poteſt. Nam An. 20. Conſtantini finis concilio impoſitus eſt, quod etiam fatetur Camerarius lib. cit. Sylveſter autem creatus eſt Pontifex Anno 6. Conſtantini, ut ex Chronico Euſebij & Hieronymi patet. Et ſedit in Apoſtolica ſede ſupra viginti annos, ut Damaſus, Onuphrius & omnes omnino Scriptores teſtantur. Igitur annus 20. Conſtantini & finis Nicæni Concilij in Sylveſtri Pontificatum neceſſariò incidit. Præterea Melchiades Sylveſtri præceſſor ſedit eodem Conſtantino imperante, ut teſtatur Optatus* lib. 1. contra Parmen. *& Auguſtin.* Epiſt. 162. & 165. *ipſe etiam Conſtantinus apud Euſebium* lib. 10. Hiſt. cap. 5. *Non igitur potuit Sylveſter niſi poſt inchoatum Conſtantini imperium Apoſtolicam ſedem adipiſci. Tenuit autem*

eundem omnium consensu supra XX. annos. Ergo XX. anno Constantini, qui fuit postremus Concilij Nicæni, non Iulius sed Sylvester Apostolicam sedem moderabatur. Quare recte Damasus (non est Damasus sed Anastasius Bibliothecarius) *in Pontificali, Hieronymus in Chronico, Theodoretus* lib. 1. Hist. c. 3. *sexta Synodus* Act. 18 *Et Concilium Florentinum* sess. 3. *alijq; per multi authores Nicænam Synodum Sylvestri Papæ temporibus factam esse scripserunt.* Sic Bellarminus, fundamentis nixus probabilioribus. Mart. Crusius *in Turco Græcia lib. 1. p. 48.* ex MSC. græco barbara lingua exarato, cui nomen *αὖθος*, hæc recitat latinè reddita. *Prima Sacra Synodus nono Anno Imperij Constantini M. acta est in oppido Nicæa. Aderant Patres trecenti octodecim. Papa tunc Romæ erat S. Sylvester, Metrophanes Episcopus Byzantij, quæ nunc Constantinopolis dicitur, Patriarchæ erant, Alexander Alexandriæ, Eustathius Antiochiæ, Hierosolymæ Macarius. Celebrata fuit adversus Arij in Deum logon blasphemiam dicentis esse Creaturam & diversæ à Patre naturæ. Item fuisse tempus, quando non esset DEVS. Et alia nonnulla contumeliosè blaterabat impius. Ideò è piorum cœtu ejecerunt eum. Acta sunt A. Chr. 318. Ideò nec plures 318. Patribus eò vocati fuerunt.* Sic *αὖθος* pro Sylvestro. Facile autem apparet, quam fidem in cœteris mereatur.

§. 7. *An ex Britannia aliqui in Concilio fuerint.*

Dixit author vitæ Constantini ex omnibus Ecclesiis Europæ, Africæ & Asiæ confluxisse Episcopos ad Synodum Nicænã. *An ex Britannia aliqui interfuerint?* disquirit Selden. *in Eutych Orig. p. 117.* & affirmat. I. Quia non est credibile nullum fuisse ex Britannia Nicææ Episcopum, cum in Concilio Arelatensi, quod decennio aut minus ante Concilium Nicænum celebratum fuit, non defuit. Testatur enim subscriptio apud Binium & anteriores ed. Restitutum Episcopum adfuisse. Ita enim habet. *Ex Provincia Britanniæ, civitate Londinensi Restitutus Episcopus.* In edit. Conciliorum Gallicanorum Sirmundi, est exemplar Concilii Arelatensis ex Veteri codice Corbejensi, ubi locis præponuntur, contra quam in cæteris, Episcoporum nomina, & Britanniæ hi scribuntur Episcopi. *Eborius Episcopus de civitate Eboracensi, Provincia Britanniæ. Restitutus Episcopus de civitate Londinensi, Provincia supradicta, Adelphius Episcopus de civitate Colonia Londinensium, exinde Sacerdos Presbyter, Arminius Diaconus.* Ubi monet, legendum *Colonia Camaloduni*, quæ celeerbrima fuit Romano vigente imperio, cujus me-

jus me-

jus meminit Tacitus Ann. 12. & 14. Plinius lib. 2, c. 75. Dio. l. 60. Nummus Tiberii Claudii Cæſaris, cum inſcriptione: COL. CAMALODON AUG. Et Saxi veteris ſcriptura apud Onuphrium à Lipſio & Grutero deſcripta, ubi dicitur *Colonia Victricenſis, quæ in Britannia Camaloduni.* Ubi Colonia Camaloduni ſita, in Brigantibus, an Trinobantibus, vid. Ortel. *in theſ.* Lips. *ad XII. Annal.* Cambdenum *in Britann. pag. 322.* Richard. Vit. *Hiſt. Britan. lib. 4. not. 31. 36.* II. Quia Britanniæ Epiſcopi non abfuerunt à Sardicenſi Concilio non longè poſt Nicænum celebrato. Athanaſius *Apol. 2. de fuga ſua T. I. pag. 560. edit. Comm.* τῆς ἐπαρχίας Βρεττανίων disertè mentionem facit inter eas, ex quibus ad Synodum Epiſcopi confluxerunt. *Reſtituti Epiſcopi* mentionem facit in enumeratione Patrum Sardicenſium *ead. Apol. pag. 560.* Rurſus *in epiſt. ad Solitariam vitam agentes pag. 640.* inter eos qui cum Athanaſio fuerunt, plures quam quadringentos, etiam eos, recenſet, qui ex *Britannia* adfuerunt. Hinc depravatæ ſubſcriptiones Synodi Arelatenſis corrigi poſſunt, ut Biniana, cum poſt Reſtitutum Londinenſem Epiſcopum ait, *ex Provincia Bizacena civitatis Tubernicenſis Eburius Epiſcopus,* cum debeat legi, *Provincia Britannia civitatis Eboracenſis.* Et rurſus: *Ex Provincia eadem, civitate Culucitana Adelphius,* cum debeat eſſe *Camaloduni Colonia.* Et in veteri collectione Iſidoriana, *ex Britannia Eburius Epiſcopus, ex civitate Culina, Adelfius.* Sic nomina locorum variata ſunt plurimum. Imprimis, nomina Ægyptiaca, Africana & alia, quæ originis non ſunt Latinæ aut Græcæ, quam plurimum à nominibus Græcè & Latinè uſitatis diſſident. Addi poteſt, quod ex Athanaſij ad Jovinianum Imperat. epiſtola annotatum eſt, ſuffragatricem Nicænæ fidei vocari etiam Britanniam.

§. 8. Habet Selden. *Orig. Eutychij pag. 90. & ſeqq.* ex MSC. Arabico nomina perſonarum & locorum Concilij Nicæni, multum à ſubſcriptionibus communibus diſcrepantia. Ita enim habent. *Hæc ſunt nomina Patrum Sanctorum trecentorum octodecim, qui congregati ſunt in urbe Nicæna, in prætorio Conſtantini Imp. Aug. & Fidelis, qui profeſſus eſt religionem Chriſtianam (Filius S. Helenæ Rheavienſis, à Deo O. M. adjutus.) juxta quod ſtatuere de Religione illa primarij illorum,* Sylveſter Romanus & Alexander Alexandrinus 1. Sylveſter Romanus

Subſcriptiones Concilij Nicæni ex MSC. Arabico.

2. & Alexander Alexandrinus 3. & Alexander Constantinopolitanus 4. & Achitonius Antiochenus 5. & Macarius Hierosolymitanus Episcopus 6. & Menophotus (Menophantus) Ephesius, 7. & Paphnutius Ægyptius, 8. & Agapius (Agapetus) Seleuciensis, 9. Et Philippus Babaxensis, 10. Andreas Sarianus, 11. Agathias Æmonensis, 12. Abias Aspendius, 13. Abron Axiatas, 14. Dioscorus Ambensis, 15. Lasis Berenicius, 16. Petrus (Phædrius) Heracleensis, 17. Gennadius Sebastenus, 18. Zepherinus Phiseranus, 19. Petrus Panacrensis, 20. Paulus & Maxarinus Chabareni, 21. Æsius Bithynus, 22. Damianus Besciensis, 23. Petrus Aniensis, 24. Antiochus Capitoliadis, 25. Athenodorus Dorilæus, 26. Olsobius Raphaneensis, 27. Felicianus.... 28. Pipperius Samosatenus, 29. Meletius Chorepiscopus, 30. Paulus Neocæsarensis, 31. Hajulon Chorepiscopus, 32. Licinius Cabalites, 33. Antiochus Dittamiensis, 34. Hellanicus Tripolitanus 35. Abavelulius Vasatensis, 36. Pholoscelus Abarpitanus, 37. Phenodorus Abiratenus, 38. Johannes Persa, 39. Vito Presbyter Romanus, 40. Et Vincentius Presbyter etiam Roma missus, 41. Osius Cordubensis, 42. Pegasius Ariacatanus, 43. Lucinius Phalonita, 44. legi non potest 55. Dacus Macedoniæ, 46. Eusebius Turtutanus, 47. Thronius Tharassensis 48. Cleonicus Petaliensis, 49. Alexander Thessalonicensis, 50. Thavias Edessenus, 51. Antonius Abnon, 52. Marcellus Asuaon, 53. Nestus Neban, 54. Arthemas Sardicensis, 55. Andreas Chorepiscopus, 56. Elphænon Aniphanias 57. Paraxius Arnissensis, 58. Nicelas Budiates, 59. Moyses Castabolenus, 60. Ælius Claudiopolitanus, 61. Sylvanus Metropolitanus, 62. Antonius Antiochenus, 63. Aphrodisius Matthanensis, 64. Euphrasius Chorepiscopus, 65. Elidamas Chorepiscopus 66. Rhodon Chorepiscopus, 67. Alirodorus Argusensis, 68. Rhothymus Chorepiscopus 69. Phytotæus Tybartartenus, 70. Aurelius Sebastenus, 71. Sylvanus Aphitenus, 72. Aeæoras Tagannitensis, 73. Paulus Maximinopolitanus, 74. Patrophanes Axiopolitanus, 75. Marinus Phœnicius, 76. Phanes Damascenus, 77. Theodorus Sidonius, 78. Stephanus Cyzicenus, 79. Eustathius..... 80. Nestor Suodunensis, 81. Theodorus Vasensis

sensis 82. Paulus Aradensis, 83. Cyrillus. ..... 84. Ammonius Aphrodisiensis 85. Agennadius Abulobiensis, 86. Leptoris Chasirates, 87. Eusebius Miletopolitanus, 88. Paulinus Atabon, 89. Macedonius Muzucensis, 90. Menichius Epiphaniensis, 91. Mancus Gegirensis, 92. Maran Mismathon, 93. Rhochisius Belgidensis, 94. Severinus..... 95. Mendesius Biatianus, 96. Acharitius..... 97. Gennadius Valistensis, 98. Savin seu Severinus Tutomaon, 99. Zurites..... 100. Theodulus Adachenus, 101. Zosimus Getatensis, 102. Socrates Elartensis, 103. Adelphius Macrianensis, 104. Epiphanius & Apollinarius Rhaphabanenses, seu Rhaphaneenses, ut n. 26. 105. Eustathius Ariosensis 106. Sergius Berensis 107. Enphilus Rheaphiensis 108. Cæcilius Carthaginiensis 109. Alexander Thessalonicensis (etiam n. 49. ejus nominis est.) 110. Tagus Titiensis, 111. Decilius Serbiensis 112. Nestorius Aschonius 113. Ferax Edebessius, 114. Astropus..... 115. Miaulus..... 116. Facinus Babaunisbas 117. Eusebius..... 118. Aetius Messadensis 119. Paraxius Pharanensis & Paulus & Basianus Chorepiscopi 120. Chœrilus Iconiensis, 121. Gelasius Salaminius, 122. Aquilas Chorepiscopus, 123. Timotheus Beresensis, 124. Marinus Chalcedonensis, 125. Cyrillus Chabrensis, 126. Eutychius Pamiensis, 127. Gregorius Abulensis, 128. Abitius Chorepiscopus, 129. Maneas Chorepiscopus, 130. Tragodenatus Beronensis, 131. Eulalius Chorepiscopus, 132. Theophilus Zebelensis, 133. Dacius Basianensis, 134. Magasius Sardicensis, 135. Chritonus à templo denominatus, 136. Zeuxinus Alexandrinus, 137. Adamantus Cinobiarius, 138. Eldafus & Canus Romani. 139. Jotames Beritius, 140. Syrianus Bablathensis, 141. Alypius Menasiensis, 142. Philippus Syriensis, 143. Athanasius..... 144. Abialus Tatuensis, 145. Jacobus..... 146. Caranus Nabalensis, 147. Titus Baratthenus, 148. Clerodianus Basasaliensis, 149. Timon Banubensis, 150. Aphlasius Taitensis, 151. Theophilus Genetopolitanus, 152. Chasimius, Biroaschensis, 153. Achytabolus Chasburensis, 154. Sergius Palmisensis, 155. Cyriacus Abarimnitensis. 156. Theodorus Tarsensis, 157. Eliniptan Aegogenesius, 158. Dorotheus Talusparensis, 159. Avenadius Euthychianus, 160. Tiranus

Esinebensis, 161. Pelusianus Bacharensis, 162. Pirus Aristobulensis, 163. Domitianus Pisanus, 164. Asilon Hydensis, 165. Serapion Aziniensis, 166. Romanus Ticinensis, 167. Eusebius Constantinopolitanus, 168 Arnechinus Ascalonita, 169. Macrinus .... 170. Pythodorus Rabuliensis, 171. Papadius Achitoniensis, 172. Esquilinus Acriensis, 173. Procopius Sibidensis, 174. Felicius Membachius, 175. Zenobius Seleuciensis, 176. Salomonus Germanitianus, 177. Arsibalaus Tocasius, 178. Jasolair & Pegmatus & Seleucus Horensis, 179. Agathus Chorepiscopus, 180. Petrus Cytheræus, 181. Theutotates Cajoluensis, 182. Saserus Esdomensis, 183. Abias Canopensis, 184. Anatolius Amesensis, 185. Balachus Thelhuiensis, 186. Merlaus Pelecensis, 187. Zeho Patarensis, 188. Chiron Valiachius, & Marius Chalcedonensis, 189. Eugenius Nicænus, 190. Eusebius Nicomediensis, 191. Moses Cathelaunensis, 192. Jacobus Pameensis, 193. Paulus Chorepiscopus, 194. Bauhicus Alexandrinus, 195. Eudæmon Achæniensis, 196. Lajus Cæsariensis, 197. Tzomis Tærensis, 198. Marcellus Ancyranus, 199. Eutychius .... .200. Timotheus Chius, 201. Menas Chichosius, 202. Apolalius Sebastenus. 203. Timotheus Chelosiensis, 204. Elchibasten Aphcariensis, 205. Colonius & Roxanes Cæsariensis, 206. Procopius Melesensis, 207. Ambason Boatius, 208. Polycarpus Baropolitanus, 209. Anthidoron Ardæensis, 210. Romanus Seleuciensis, 211. Batrachius Maximianopolitanus, 212. Anthidoron & Agamogenus, 213. Philippinus Ancyranus, 214. Anichas Apollonopolitanus, 215. Atychius Chorepiscopus, 216. Antonius Barbalesius, 217. Abramius Macedo, 218. Aquilius Zabulonita, 219. Amphilus Tænita, 220. Erisius Diusbodensis, 221. Heraclius Aetensis, 222. Lupercus Neocæsariensis, 223. Eraphisius Coloniensis. fortassis est Euphrates Coloniensis, 224. Amerosus Macrensis, 225. Ateratophilus Binolutensis, 226. Eusianus Basianensis, 227. Eutychius Masiensis, 228. Arsacion Achrisiensis, 229. Eunibion Abraliensis, 230. Eulalius Sabbatiensis, 231. Antiochus ..... 232. Arthasus Suchatensis, 233. Pollio Beroensis, 234. Meliphonicus Chironensis, 235. Timotheus Achalensis, 236. Eranopus Chatabunensis, 237. Gregorius Chorepiscopus, 238. Eunisius Ta-

raten-

ratenſis. 239. Euniſianus Hermenſis, 240. Bætulius Barſanenſis, 241. Ælianus Chorepiſcopus, 242. Eunubius Adrianopolitanus, 243. Chronius Taratenſis, 244. Gregorius Anulobiatenſis, 245. Antonius Neo Cæſarienſis, 246. Theophanes Epiphaneenſis, 247. Eulalius Pameenſis, 248. Jonas Cyricienſis, 249. Arnon Palæopolitanus, 250. Eutychius Armenus, 251. Euniſianus Bergemenſis, 252. Paulus Baſenſis, 253. Evagrianus Dotſanenſis, 254. Bonifacius Fabrenſis, 255. Paſius Adelfiates, 256. Taraſius Pameenſis, 257. Auranius..... 258. Oſius Seleucienſis, 259. Alcibitius Nablæenſis, 260. Belamochus Adrianopolitanus, 261. Eulalius Cous, 262. Paulus Pameenſis, 163. Philadelphus Populenſis, 264. Patronius Biopolitanus, 265. Domnus Trapezuntius, 266. Petratrapelus Chaſabobotius, 267. Oniſius Ameſtridenſis, 268. Chirerius Asnotenus, 269. Etigenes Gamenſis. 270. Grægeus Chianenſis, 271. Abianus Gangirenſis, 272. Philadetes Bantenſis, 273. Mathænon..... 274. Academius..... 275. Echlamaſon Maſtenſis, 276. Raphchiſius 277. Chiſanus Seleucienſis, 278. Proxianus Chorepiſcopus, 279. Iſus Chorepiſcopus 280. Samirleſanus Abupillinapolitanus, 281. Felix Tubienſis, 282. Physcon Adia..... 283. Eugenius Anchribenſis, 284. Aphroſius Rhodeſius, 285. Heliodorus Char..... 286. Stephanus Baratenſis, 287. Æneas Chornenſis, 288. Fabianus & Athanaſius, 289. Antonius Seleucienſis, 290. Chorœbus Varaſienſis, 291. Botanius Abro..... 292. Saconotius Acropolitanus, 293. Dorotheus Siopienſis, 284. Auraſius Semeſenſis, 295. Callæcus Barachæcius, 296. Eudemus Patarenus, 297. Theodorus Ratolenſis, 298. Prochytas Beroenſis, 299. Cleobulus..... 300. Aeaſymton Cæſarienſis, 301. Anthonius Chulaſarphenſis, 302. Mecaronius Chil... 303. Bidelus Bianenſis 304. Cyriacus Baſenſis. 305. Nicolaus Meridenſis, 306. Gregorius ex Armenia majori, 307. Oneſianus Adrianopolitanus. *Abſolvuntur nomina Patrum Sanctorum 318. qui congregati ſunt in urbe Nicæna tempore Conſtantini Imp. Gloria ſit S. Trinitati.* Amen. Sunt autem 318. ſi ex ſeptem paribus n. 20. 104. 138. 188. 205. 212. 288. ſeptem, & ex trinis n. 119. 178. quatuor demas, & 307. adjicias. Eſt v. Codex ille Oxonienſis, ex quo iſta deſcripta ſunt, Joſephi Ægyptii, qui in Ægypto floruit,

ruit, ibique ſcripſit ſub annum Hegiræ 790. h.e. Chriſti 1400. qui profitetur, ſe ex actis Concilij tum exſtantibus illa excerpſiſſe. Sed qua fide, parum conſtat. Apparet v. maxima inter Arabicum hunc Catologum & illum, qui in Tomis Conciliorum circumfertur, diſcrepantia. Nec concordat illud fragmentum, in quo aliquot Patrum Synodi Nicænæ nomina, charta Niliaca deſcripta, reliquis per tineas abſumptis, ſuperſunt, quod è Bibliothecæ Oxon. MSC. exhibuit Seldenus pag. 125. nec malè judicavit, Concilii Nicæni I. ſubſcriptiones illas eſſe neminem crediturum, qui illas introſpexerit.

§.9. *An ſoli Epiſcopi ad ſuffragiũ deciſivum admiſſi in Conc. Nicæno.*

Quod Euſebius memorat, *Conſtantinum Imp. Epiſcopos per literas honorificè ſcriptas acciviſſe ex omnibus locis*, & rurſus. *Ducentos quinquaginta & amplius Nicææ fuiſſe Epiſcopos.* Et rurſus. *Concilium congregaſſe, quia vidit, unionem Eccleſiæ fieri non poſſe, niſi vel omnes Epiſcopi, vel maxima eorum pars ſuum judicium interponeret*, exinde concluditur à nonnullis, *ſolos Prælatos majores eosq; omnes, id eſt, Epiſcopos, in Concilijs generalibus & provincialibus habere jus ſuffragij deciſivi ordinariè, ex privilegio autem & conſuetudine etiam Cardinales, Abbates & Generales ordinum, licet Epiſcopi non ſint; Ex presbyteris autem & alijs Clericis minoribus tantum vocari aliquos viros doctos, qui juvent in diſputando, vel alijs Miniſterijs.* Corroborat hoc Bellarminus *ex Concilijs hactenus celebratis.* Nam, inquit, *omnium Conciliorum decreta ab Epiſcopis ſolis facta eſſe patet ex ſubſcriptionibus. Vbiq; enim inveniuntur ſoli Epiſcopi ſubſcripſiſſe, exceptis paucis generalibus, quibus etiam Imperator ſubſcripſit, ſed alia forma, quam Epiſcopi; Epiſcopi n. definiendo, ut judices, Imperatores conſentiendo ſubſcripſerunt. Et quibusdam etiam pauciſſimis, ut Florentino, Lateranenſi, & Tridentino, quibus ſubſcripſerunt Abbates & Generales Ordinum; cæteri, quamvis optimi eſſent, & doctiſſimi, nunquam ſunt admiſſi, niſi ad conſultandum, excepto Concilio Baſileenſi, ubi Presbyteri admiſſi ſunt ad ſuffragium deciſivum, ſed perperam & contra morem omnis Antiquitatis.* At quod ad ſubſcriptiones attinet (inprimis Concilii Nicæni noſtri,) ſunt illæ confuſæ & incertæ. Neque tamen ex ſubſcriptionibus, quas habemus, apparet, ſolos Epiſcopos ſubſcripſiſſe. Tam Græca & Latina, quam Arabica habet Chorepiſcopos. Tradit autem Mauritius ab Alzedo Gantaber *de præcellentia Epiſcopalis dignitatis part. 1. cap. 3. n. 47.* Chorepiſcopos *ex antiqua Eccleſiæ conſtitutione nihil aliud fuiſſe quam Presbyteros, quibus res* tempo-

Bell. de Conc. l. 1. cap. 15. §. At Catholicorum.

Chorepiſcopi qui in ſubſcriptionibus inveniuntur, quinam?

temporales credebantur, & cura pauperum & Eleemosynarum & alia ministeria, velut Ordines minores conferre (inter quos tum Subdiaconatus connumerabatur. Cap. Erubescant:32. dist. C. Miramur. de servis non ordinandis.) *Et tandem eorum contumacia crescente gerebant se pro Episcopis, suoque officio non contenti audebant majores Ordines conferre & Episcopos consecrare, & ideo à Pontifice Damaso in Matritano oppido nato ad totius Ecclesiæ utilitatem meritò eorum officiũ damnatum est.* c. Chorepiscopi 68. dist. Illescas *in hist. Pontif. lib. 2. c. 6. in vita Damasi I. ibi.* habo en la primitiva Iglesia una manere de Sacerdotes, que sirvian en las aldeas como aconpagnados de los Obispos, y por esto sellamavan Chorepiscopos, porque chore en griego, quiere decir aldea, y en aquella fason parecio, cosa necessaria que los hubiesse, porquez uno de los principalos civitados de los Obispos era proueer a los poures de lo necessario y repartit entre ellos los biennes de la Iglesia, remediando los enfermos y necessidos, y era menester, qui en los ajudate, porque uno solo nebassava estos Chorepiscopos aunque de suio noteniam mas orden ni dignidad que los otros Sacerdotes commensaron sobervo certe. Et ibi. y por publico decreto y determinacion de la Iglesia se mando, que non habiesse mas estos Chorepiscopos, a tento que Christo nuestro Segnor solamente tubo Apostolos, que son los Obispos, y discipulos, que representan los Sacerdotes. *Villegas* in vita D. Damasi fol. 405. *Barbosa* in Pastorali c. 6. num. 22. tit. 1. *Iohann. Morenus Bletensis* de Patriarcharum & primatum origine. exerc. 11. in fin. Sic Alzedius, qui ex isto capite refutat Petr. a Soto, qui *in lect. de Instit. Sacerd. Lect. 2.* dicit, *Episcopos titulares successisse in locum Chorepiscoporum. Si,* inquit, *Episcopos titulares in locum Chorepiscoporum successisse diceremus, sequebatur, fatendum, illos non esse Episcopos, & inutiliter & contra Ecclesiæ statuta ordinem Episcopalem exercere, neque illorum exercitium cum istorum convenit. Ergo falsum est dicere, quod loco illorum successerunt. Quia illi instituti fuerunt, ut in distributione eleemosynæ & alijs ministerijs inferioribus Episcopos adjuvarent. Et ideò non constituebantur nisi in villis, neque dissimili habitu utebantur, quam alij Sacerdotes, neque aliquam consecrationem recipiebant, seu ordinem, præter Sacerdotalem. Episcopi vero titulares non constituebantur in villis, neque alia de causa, nisi ut Episcopos impeditos seu absentes adjuvent tam in ordinum collatione, quam in Sacramento-*

rum administratione, ac in omnibus ad jus Episcopale attinentibus, & ad hoc consecrantur sicut cæteri Episcopi, & eodem vestimento ac ornatu utuntur, tractantur etiam eadem veneratione & cultu, & sic valde ab illis differunt. Sunt veri Episcopi & hodie non sine magna causa & ratione creantur, ut alios, qui vel morte, vel negotijs, vel ætate confecti sunt, adjuvent, & Ecclesiis ab infidelibus recuperatis Episcopi sint. Quos si inspiraret Deus, ut Ecclesias, quarum Episcopi appellantur, adirent, Evangelium prædicaturi, id ex officio (ut inquit Grysaldus in decis. fid. Cathol. verbo, Episcopus. object. 10.) *ardenti animo & sancto Zelo facerent, tanquam veri Apostolorum successores & imitatores egregij.* Hæc ille.

Lis de Chorepiscopis inter Blondellum Gallum & Hammondum Anglum.

§. 10. D. Blondellus *in Apologia pro sententia Hieronymi de Episcopis & Prebyteris sect. 2. p. 10. & sect. 3. p. 93. & seqq.* pluribus de Chorepiscopis differit. Observat, Clementem Romanum in Ep. ad Corinthios ex persona Romanæ Ecclesiæ missa dicere, κατὰ χώρας καὶ πόλεις ab Apostolis constitutos Episcopos & Diaconos. Unde colligit *1. Nondum Clementis seculo cuiquam in mentem venisse, quod Anno D. 347. à Sardicensi occidentalium Synodo primum decretum est, licentiam non dandam ordinandi Episcopum, aut in vico aliquo, aut in modica civitatula, ne vilescat nomen Episcopi: nec dedignatos Apostolos vicanorum regionariorumque saluti eandem, qua urbibus urbanisque providebant, curam impendere. 2. Nullam tum fuisse Chorepiscoporum sub urbanis Episcopis ὑποταγὴν, sed alta omnium mente repostum (quod postea Hieronymus inculcavit) mansisse, ubicunque sit Episcopus, ejusdem & meriti & sacerdotij, æquè successorem Apostolorum esse. 3. Apostolos primitijs suis, id est primis, ad fidem vocatis (si modo probabiles essent,) Ecclesiastica munera demandare solitos. 4. Binos tantum Cleri gradus, Episcoporum nimirum & Diaconorum, ab Apostolorum discipulis agnitos, recensitosque in Episcopis presbyteros fuisse* &c. *Augescente fidelium cœtu & Rectorum numero, ætate primis tacito reliquorum consensu primæ cathedræ jus delatum: Inde nova sub seculi tertij finem parœciarum & diœcesium distributione facta, constitutum, ut urbis cujusque simul sumti tituli omnes Ecclesiam principalem ac matricem vicorum adjacentium, clerus populusque minus principalia ejusdem membra constituerent: Presbyteri urbani omnes præposito suo, Episcopo καθ᾽ ἐξοχὴν dicto, subijcerentur, Regionarijs autem præferrentur, qui ob id non Presbyteri simpliciter, sed ἐπιχώειοι, οἱ ἐν χώραις regionarij, corregionales, forastici, ruris, agrorum Prebyteri vocarentur. Factum etiam porro, ut supra regionarios ejusdem tractus Sacerdotes vel*

tes vel ætate profectior, vel dotibus ornatior, vel in frequentiore vico collocatus, urbano quidem cum suo synedrio & Episcopo pareret, cæteris vero regionarijs presbyteris præsideret, at Chorepiscopus, id est, villanus, ruralis, vicanus, rusticæ plebis Episcopus diceretur. Hac occasione etiam factum, ut Latinorum nec incelebres, nec nostrorum temporum nonnulli, Episcoporum vicarios Chorepiscopos ubiq; interpretentur. e. g. *ubi prisca Græcorum concilia his phrasibus utuntur,* χωρεπισκόπους μὴ ἐξεῖναι &c. οἱ δὲ χωρεπίσκοποι εἰσὶ μὲν εἰς τύπον &c. τοὺς δὲ ἀνεπιλήπτους χωρεπισκόπους &c. τοὺς καλουμένους χωρεπισκόπους &c. Vetus interpres sequentes substituit, *vicarijs Episcoporum, quos Græci Chorepiscopos vocant, non licere &c. Vicarij autem Episcoporum, quos Græci Chorepiscopos vocant, constituti sunt ad exemplum &c. Vicarijs vero Episcopi, qui à Græcis Chorepiscopi vocantur &c.* Ejusdemque exemplo Ferrandus Diaconus Breviario c. 79. hæc habet: *ut Chorepiscopi, id est, vicarij Episcoporum &c.* & c. 80. *ut vicarijs Episcoporum liceat formatas facere* & Crisconius brev. c. 96. *de Chorepiscopo, id est, vicario Episcopi.* Et Isidorus de offic. lib. 2. c. 6. *Chorepiscopi, id est, Vicarij.* Et Rabanus de Inst. Cleric. lib. 1. c. 1. *Chorepiscopi, qui vicarij sunt Episcoporum.* Licet n. vox Chorepiscopus non potestate ab Episcopo delegatâ utentem propriè significet, sed in vico seu regione Superintendentem, quia tamen quotquot quarto quintoq; seculis ἐπιχωρίοις Presbyteris extra urbes præerant, ab urbanorum Præsulum nutu adeò pendebant, ut quicquid potestatis in vicanum Clerum haberent, ab ijsdem mutuarentur, eorum quodammodo nomine officio fungerentur, essetque tota eorum ἐπισκοπὴ urbanæ simulacrum, hinc factum, ut à Latinis rectè vicarijs accenserentur. Carolus M. *Capitularis Aquisgrani Anno 789. editi, c. 9.* Isaacus Lingonensis *Capit. tit. 11. c. 30, 31. Capitulare* à Ludovico Pio *A. D. 828. promulgatum*, cujus *tit. 5.* inter ministerij Episcopalis coadjutores, cum Archipresbytero, Archidiacono, vice Domino, & presbyteris recensentur. Concilium Aquisgrani *A. D. 386.* congregatum: a quo *c. 4.* Ministri Episcoporum dicuntur. Zacharias Papa, qui *Capitularis A. D. 747. c. 4.* eosdem Episcopo & Presbyteris Cardinalibus subjicit: Capitulare à Carolo M. *A. D. 800.* editum, & Concilium Meldis *A. D. 845.* celebratum *c. 44.* Chorepiscopos Cathedralibus, titulatis, Canonicè & legitimè ordinatis opponendos consuerunt.

§ 11. *Hammondus notatur.* Impugnat Blondellum Hammondus Anglus *dissert. 3. de Iur. Episcopat. c. 8. p. 168.* & dicit, *Clementem non dixisse, quod Apostoli in χώραις, quarum meminit, etiam Episcopos constituerint, non negasse, quòd in urbibus tantum Episcopos ordinaverint.* Imò aut istud dicit & hoc negat, aut cum dicit, quod Apostoli κτ χώρας καὶ πόλεις κηρύσσοντες καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς ἀυτῶν δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν, hoc vult, Episcopos in urbibus constituisse eos, in Regione vero seu vicis Diaconos. Certe hoc non dicit, quod in primariis regionum urbibus duntaxat constituerint Episcopos, in minoribus verò urbibus & vicis Diaconos ordinaverint. Hoc autem Blondellus tantum vult, totum sacrum ministerium temporibus Apostolorum fuisse Episcopis & Diaconis definitum, Chorepiscopos aut Presbyteros inter Episcopos & Diaconos nullos fuisse. Cætera ferè prætermittit aut confitetur Hammondus. Quæ vero de Concilij Ancyrani & Neo. Cæsariensis Canonibus Chorepiscopos concernentibus disputat cum Blondello, nunc excutere institutum non permittit. Addatur quod Salmasius *de Prim. P. c. 1. & 21.* & contra eum Petavius *de Hierarchia lib. 2. c. 11. & 12.* disputant. Illud nobis satis est, Chorepiscopos tempore Concilij Nicæni praxi seculi non fuisse Episcopos.

§. 12. Fuerunt autem in Concilio hoc, ut subscriptio Latina habet, Chorepiscopi ex Provincia Syriæ Cœles Palladius & Seleucus; ex Provincia Ciliciæ Eudæmon Chorepiscopus; ex Cappadocia Gregorius, Stephanus, Euphronius, Rhodon, Theophanes; ex Isauria Hesychius, Anatolius, Quintus, Aquila; ex Bythinia Theophanes, Eulalius &c. In Arabicis subscriptionibus Chorepiscopi nominantur Meletius *n. 29.* Andreas *n. 55.* Euphrasius *n. 64.* Elidamas *n. 65.* Rhodon *n. 66.* Rothymus *n. 68.* Paulus & Basianus *n. 119.* Abinus *n. 128.* Maneas *129.* Eulalius (qui in latina subscriptione inter Bythinos numeratur,) *n. 131.* Agathus *n. 179.* Paulus *n. 193.* Atychius *n. 215.* Gregorius *n. 237.* Ælianus. *n. 241.* Proxianus *278.*

§. 13. Habent insuper subscriptiones plures ex uno loco. Si subscriptiones Arabicas intueamur *n. 20.* subscripserunt Paulus & Maximus Chabareni *n. 104.* Epiphanius & Apollinarius Raphabanenses *n. 178.* Jasoalir & Pegmatus & Seleucus Horenses *n. 250.*

Colonius & Roxanes Cæſarienſis *n. 212.* Anthidoron & Agathogenus *n. 288.* Fabianus & Athanaſius Acharnenſes. In vulgaribus Latinis ſubſcriptionibus ex provincia Ægypti apud Dominicum Nicolinum interfuiſſe ſynodo dicitur Paphnutius, & additur, *qui tamen Epiſcopus non erat.* Id tamen omittit Severinus Binius. Collocatur v. Paphnutius in Arab. *n. 7. & Paphnutius Aegyptius.* è provincia Palæſtinæ adfuiſſe dicitur Macarius Hieroſolymitanus cum Euſebio poſtea Cæſareenſi. Tempore Concilij Nicæni plures unius civitatis Epiſcopos fuiſſe, Pontificij non concedent, Hinc cum R. Bellarm. urgetur ex *Phil. c. 1.* ubi ſanctis cum Epiſcopis & Diaconis ſalus optatur, unde conſequitur; Philippis plures fuiſſe Epiſcopos, adeoque inter Epiſcopos & Presbyteros, eo tempore diſcrimen nullum fuiſſe, ipſe *lib. 1. de Cler. c. 15.* variis rationibus ſe extricare conatur, ut obtineat unum tantum Philippenſium fuiſſe Epiſcopum. Proponit. 1. reſponſionem Epiphanij, *qui hær 75. dicit, Paulum ita ſcribere ſolitum, quod eo tempore ob miniſtrorum penuriam multis in locis non eſſent Presbyteri ulli, ſed Epiſcopi ſoli cum Diaconis. Poſſunt enim etiam Epiſcopi presbyterorum officio fungi.* Sed nō placet reſponſio Bellarmino. *Hæc,* inquit, *Epiphanij reſponſio tum haberet locū, ſi Paulus diceret* cum Epiſcopo & Diaconis: *aut ſi nō ad unam civitatem ſed ad multas ſimul ſcriberet. Sed cum ipſe ad unam urbem Philippenſem ſcribat, & dicat, ſe ſcribere ad Epiſcopos & Diaconos, quomodo quæſo illa explicatio locum habere queat.* 2. Theodoreti, *Is,* inquit, *comm. h. l. & fuſius c. 3. 1. ad. Tim. ſcribit Apoſtolorum tempore veros Epiſcopos non Epiſcopos ſed Apoſtolos dici ſolitos: Presbyteros autem Epiſcopi nomine tunc appellari conſueviſſe. Nam Rom. 16. Paulus Andronicum Apoſtolum vocat. & Phil. 2. Epaphroditum Apoſtolum Philippenſium appellat, qui vid. Epiſcopi erant. Poſtea tamen omiſſo Apoſtoli nomine Epiſcopos ſolùm Epiſcopos, Presbyteros autem ſolùm Presbyteros appellari cæpiſſe.* Non ſatisfacit & hic Bellarmino. Addit tamen, *ſi iſta obſervatio Theodoreti vera ſit, non ſolum obiectioni ex hoc loco, ſed etiam ex omnibus alijs locis deſumptæ ſatisfacit. Semper enim dicere poterimus, Paulum nomine Epiſcoporum Presbyteros intellexiſſe.* Animadvertit autem, ſic in N. T. Epiſcoporum nomen à verè ab ipſis dictis Epiſcopis avulſum iri. 3. *S.* Johann. Chryſoſtomi. *Is,* inquit, *docet, Apoſtolorum tempore nomina illa* Epiſcopus & Presbyter *communia fuiſſe omnib. Sacerdotibus, tam maioribus, quos*

Locus Phil. 1, 1. expenditur.

nunc Episcopos vocamus, quam minoribus, quos Presbyteros appellamus, licet res ipsæ & potestates distinctæ essent. Itaq; Paulum nomine Episcoporum complexum esse omnes Sacerdotes. Sed non animadvertit Bellarm. difficultatē, quæ in hoc comment. latet, sc. supponi res & potestates distinctas, quæ majoribus & minoribus Sacerdotibus insint, de quibus controversia est. Ipse Bellarminus bello additamento omnia expedire conatur; sc. quod *videatur B. Apostolus universum Clerum salutare voluisse, sed ne cogeretur singulos ordines numerare, fecerit id generatim. Omnes n. ordines ad duo primaria genera revocari, ad Sacerdotes & ministros, quorum illud subdividatur in duas species analogas, in summos Sacerdotes & simplices Sacerdotes. Istud vero in sex alias species, in Diaconos, Subdiaconos, Acoluthos, Lectores, Exorcistas & Ostiarios. Quamvis a. nunc nomen Episcopi tantum principali analogato, id est, summo Sacerdoti, tribui soleat, & nomen Diaconi tantum principali ministro, tamen suo modo convenire nomen Episcopi minoribus etiam Sacerdotibus. Nam & illos superintendere & regere populum saltem in foro conscientiæ, & ex delegatione Episcopi, & nomen Diaconi convenire, suo modo etiam Ordinibus inferioribus, cum omnes ministrent Sacerdoti.* Sed non attendit Cardinalis, in hac explicatione principium peti, nec solido aliquo fundamento commentum superstrui.

§. 14. Hammondus *dissert. 4. de jur. Episc. c. 10.* etiam in hac sententia est, nunquam in uno cœtu fuisse plures Episcopos, putat tamen, ne contrarietur salutatio Philippensium, dici posse, *in eadem civitate potuisse duos disterminatos esse cœtus, à duobus Apostolis ad fidem adductos, diversis forsan dialectis & ritibus utentes, quibus duo itidem Episcopi seorsim & divisis κλήροις præsiderent.* De facto ita contigisse Hammondus probat *dissert. 5. c. 1. n. 7. & seqq.* ex Epiphanio qui adversus Carpocratem scribit, ἐν Ρώμῃ γεγόνασι Πέτρος καὶ Παῦλος, οἱ Ἀπόστολοι αὐτοὶ καὶ Ἐπίσκοποι: ex Eusebio, qui *lib. 2. H. E. c. κε.* id confirmat per cœmiteriorum inscriptionem adhuc suo tempore permanentem, ex Cajo Ecclesiastico viro, Zepherini Episcopi coætaneo, qui monumenta Petri & Pauli vocat τρόπαια τῶν ταυτὴν ἱδρυσαμένων ἐκκλησίαν, apud Eusebium *l. c.* Ex Dionysio Corinthiorum Episcopo, qui in *Ep. ad Rom.* Petrum & Paulum Romanam æquè ac Corinthiorum Ecclesiam plantasse *l. c.* apud Eusebium scribit. Ex authore *Ep. ad Antiochenos* inter Ignatij Epp. ubi etiam Antio-

chena

chena Eccleſia à Paulo & Petro fundata dicitur, Petro quidem Judæorum, Paulo Gentilium converſorum Eccleſiam gubernante. Ex Authore conſtit. Apoſt. ſub nomine Clementis R. edito, ubi Evodius & Ignatius unà Antiochiæ Epiſcopi fuiſſe dicuntur, ut & Epheſi Timotheus à Paulo ordinatus cum Johanne Apoſtolo, eodem aſſerente. Sed Hammondus vim ſalutationis Apoſtolicæ non attendit. Hoc ex illa elicitur, diverſis Epiſcopis diſtinctis cœtibus in una civitate præfectis ſubjectos & gradu inferiores Presbyteros non adfuiſſe, quia Epiſcoporum & Diaconorum tantum fit mentio. Aut enim nulli Philippis fuerunt Presbyteri, ſed tantum duo vel plures Epiſcopi cum ſuis Diaconis, quod incredibile eſt, aut Presbyteros Epiſcopoſque unum idemque fuiſſe. De unius civitatis ſc. Romæ, Antiochiæ &c. Eccleſiis à Petro & Paulo plantatis exempla prolata, huc non quadrant. Vocentur enim illi Apoſtoli Epiſcopi, non ſanè tales ſunt, quales nos quærimus & de quibus controvertitur. Conſtitutionum Apoſtol. Author non dicit, Evodium & Ignatium unà fuiſſe ordinatos Epiſcopos, ſed hoc tantum, quod à Petro Antiochiæ Evodius, à Paulo Ignatius fuerit ordinatus *lib. 7. c. 46.* Hinc Turrianus reddit: *Evodius Epiſcopus à me Petro Epiſcopus ordinatus, cui ſucceßit Ignatius à Paulo ordinatus.* Hinc, quæ Ignatio tribuitur Epiſtola ad Antiochenos: *Mementote dignè beatißimi Evodij Paſtoris veſtri, qui primus vobis ab Apoſtolis Antiſtes ordinatus eſt.* Neque idem dicit, Timotheum & Johannem unà Epheſi fuiſſe Epiſcopos, ſed ita introducit Apoſtolos loquentes, *Epheſi Timotheus à Paulo Epiſcopus ordinatus, Iohannes à me Iohanne.* Ita vertit Carolus Bovius Oſtunenſis. Fran. Turrianus ita. *Timotheus Epheſi Epiſcopus ordinatus à Paulo, cui ſucceßit Iohannes à me Iohanne ordinatus.* Græca inſpicere non licuit. 2. Hammondus dilemma facit contra eos, qui ſalutationem Philippenſium Epiſcoporum & Diaconorum adhibent ad evertendum diſcrimen juris divini inter Epiſcopos & Presbyteros. *Axioma illud de unico in qualibet civitate Epiſcopo aut ad iſta Paulina tempora pertinuit, aut poſt illa demum tempora ab Eccleſia introductum ad Paulina non pertinuit. Si prius verum, tum ſtatim ſequetur, eo ipſo Apoſtolorum ævo tales in Eccleſia Chriſti Epiſcopos fuiſſe, quales in eadem civitate plures eſſe nõ licebat, id eſt, ſingulares planè, quos cõtra Presbyteranæ*

ἰσοτι-

ἰσοτιμίας assertores propugnamus Episcopos. At si posterius affirmetur, tum nihil ex hoc axiomate (temporibus Paulinis verbisq; Paulinis hisce perperam adoptato) rectè contra nos concludi poterit; non enim ex posteriorum seculorum Constitutionibus de Paulino seculo pronunciari permittimus. Sed nō attendit Hammondꝰ, axioma illud ex opinione Prelaticorũ assumi. Si n. juris divini est, unum Episcopum cum discrimine potestatis præesse cæteris presbyteris præcipuè in una civitate, uti Prælatici Angli contendunt, oporteret ita etiam in Philippensium Ecclesia constitutum fuisse. At ex Apostoli Pauli pronunciato patet, non ita constitutum fuisse, cum is plures Episcopos in illa Ecclesia & civitate salutet cum Diaconis conjunctim. E. non est juris divini, unum Episcopum cum discrimine potestatis præesse cæteris presbyteris, uti Prælatici Angli contendunt.

§. 15. Sed 3. pergit Hammondus ad aliud diverticulum, quo plures, Philippis existentes, Episcopos ita constituat, ut unus tamen suæ diœcesi maneat. Dicit *Φιλιππησίες Provinciam fuisse, in qua plures civitates fuerunt & Episcopi. Philippos quippe πρώτην τῆς μερίδος Μακεδονίας πόλιν unius Provinciæ in Macedonia primam aut Principalem civitatem Act. 16.12. ideoq; Metropolin fuisse. Hinc S. Pauli Epistolam Philippensibus datam, ut etiam Polycarpi alteram τῇ Ἐκκλησίᾳ παροικούσῃ φιλίπποις inscriptam, ad totam παροικίαν & μερίδα, universum sc. civitatum confinium (quarum Metropolis Philippi) in quibus plures absq; dubio Episcopi fuere, nulliq; adhuc, quos hodie dicimus, Presbyteri, missam esse, nec temere igitur ἐπισκόπων æquè ac διακόνων in plurali mentionem fieri.* Rursus non attendit Hammondus, etiamsi obtineat, quod de Philippis attulit, argumenti vim nondum sublatam esse. Nam aut in tota illa Provincia, cujus Metropolin constituit Philippos, ministerium sacrum ex Episcopis & Diaconis tantum conflatum fuit, nullique fuerunt infra Episcopos constituti supraque Diaconos Presbyteri tales, quales etiam Prælatici Angli volunt, aut fuerunt etiam tales. Si prius dicat, quæro quando ergo tales in Ecclesiam introducti? aut si in alijs Ecclesiis inter Episcopos & Diaconos presbyteri fuerunt, quæso cur in provincia Philippensium nulli fuerunt? Si fuerunt tales, qui supra Diaconos fuerunt, quæro cur Diaconis salutatis ipsi non salutabantur? Manet ergò contra Hammondi opinionem illa difficultas. Sed id nondum etiam probavit, quod

de Phi-

de Philippis dixit. Solvit objectionem, quod Philippi in hypothesi Epistolæ commentarijs Theophylacti præmissæ, vocentur *parva civitas sub Metropoli Thessalonica sita,* hoc modo; *Illam Philipporum definitionem ex Geographo antiquo petitam, ad ædificatam à Philippo civitatem (prius κρηνῖδας dictam, deinde Δάτον, ob auri fodinam celebrem) non autem ad sequiora Romanorum tempora accommodandam esse.* Hinc *factas esse Metropoles, quæ prius non fuerunt. Lucam non tantum* πρώτην πόλιν, *id est, Metropolin appellare, sed etiam* κωλονίαν, *&, ut ex v. 21. apparet, quidem Romanorum. Quamvis autem Præsides Romani consessus suos non tantum in Colonijs aut municipijs instituerint, sed quandoq; in foris (ut dicebantur) Livij, Iulij, Appij, Licinij, &c. Colonias tamen inprimis ab eis electas esse, ad quas reliquarum confinia propter judicia aggregarentur. Imò Philippos totius Macedoniæ in Evangelij prædicatione primitias fuisse, Act. 16, 9, 10, 11. 12 ut & 1. Thess. 2. 2. unde clarum est, Paulum Philippis exorsum,* προπαθόντα καὶ ὑβρισθέντα ἐν φιλίπποις, *Thessalonicā postea progressum esse. Ecclesiasticarum etiam divisionum rationem sæpè ex* πρωτοκλησίᾳ *petitam: Hinc* πρωτοτόκια *olim Antiochiæ data, & primitijs cujusvis Regionis solenniter assignata* πρωτεῖα. *Hinc Philippi non metropolis tantum, aut* πρώτη unius μερίδος πόλις, *sed & totius Macedoniæ prima metropolis censenda erit, sic ut ei Thessalonica, non ut matri, à qua fidem acceperit, filia, sed ut primogenitæ in fide soror ætate minor (ad fidem Christi* δευτεροκληθεῖσα*) cessura sit, eamq; non ut metropolim civitas ei subjecta, sed ut metropolim primam, metropolis quidem, sed posterius ad fidem conversa vel secundaria agnitura. Porrò, liberalem Philippensium* κοινωνίαν *Phil. 4. 16· qualem ab alia nulla Ecclesia se recepisse profitetur Apostolus, fratribus Macedonicis in commune imputari, patet ex 2. Cor. 11. 9. Et cum Polycarpus Paulum ad Philippenses Epistolas scripsisse affirmavit, unicæ autem Philippensibus* ἰδίως *inscriptæ* παράδοσις *Ecclesiæ meminerit, eas intelligi affirmarunt viri docti, quas ad Thessalonicenses aliam Macedoniæ metropolim, scriptas habemus, ex hac Philipporum & Thessalonicæ cognatione æquè ad Philippensium Ecclesiam pertinentes, ac quæ ad Corinthios mittebantur, ad alias omnes Achaiæ Ecclesias pertinebant* 2. Cor. 1. 1. Sic Hammondus. At 1. quis credat, hypothesin apud Theophylactum, qui vixit seculo undecimo post Christum, depromptam esse ex Geographo ante S. Pauli tempora florente? 2. Philippi vocantur πρώτη πόλις. At non est hæc statim metropolis. Sic Ulpianus *de officio Proconsulis l. 4. §. 4.* dicit τῶν μητροπόλεων *Ephesum primam à Pro Consule accedendam.*

dam. Eritne Ephesus metropolis Metropolium? Syrus Philippos vocat *Principium Macedoniæ*. Urbs fuit sita in confinio Thraciæ & Macedoniæ, hanc ingredientibus primum obvia. Neapolis sita est in ipso sinu Strymonico. Philippi introrsum. Ita Ptolomæus. Vult itaque Lucas dicere. *Venienti à sinu Strymonico primam urbem, quæ sit Colonia, esse Philippos.* Celsus *in l. Colonia D. de censibus. Colonia Philippensis juris Italici est. Vlpianus* l. In Lusitania D. eod. *In Provincia Macedonia, Dyrracheni, Cassandrenses, Philippenses, Dienses, Stobenses, juris Italici sunt.* Pausanias *in Eliac. l. 6. p. 324. vocat civitatem Macedoniæ recentissimam, cui à Philippo Amyntæ filio nomen.* 3. Si, uti Suidas definit, Metropoles sunt ὅσαι πόλεις ἀποικίας ἔστειλαν, Philippi ipsæ non sunt Metropolis, sunt enim Colonia. Paulus autem propter frequentiam & gentium varietatem libenter Colonias sequebatur. 4. Quomodo autem sequitur: *Philippis prius S. Paulus seminavit Ecclesiam, quam Thessalonicæ: E. est Metropolis, & quidem senior.* Num enim πρωτοκκλησία necessariò constituit Ecclesiasticam Metropolin? Denique 5. per Episcopos intelligi non tantum Philippenses, sed & alios in Macedonia, quibus Epistola communicabatur, quo fundamento dicemus? Epistola secunda ad Corinthios in ipsa inscriptione, non ad Corinthios solum, sed ad universos Sanctos in Achaia dirigebatur *2. Cor. 1. 1.* Inscribitur namque *DEi Ecclesiæ, quæ est in Corintho, cum omnibus sanctis, qui sunt in universa Achaia.* Non ita Paulus ad Philippenses scribit, *Omnibus Sanctis in Christo Iesu, qui sunt in Philippis cum Episcopis & Diaconis, qui sunt in universa Macedonia.* Esto, communicaverint Ecclesiæ invicem Apostolicas Epistolas, aliud tamen est, quod habetur ex inscriptione, aliud quod ex communicatione. Quod Polycarpus de pluribus Epistolis à Paulo ad Philippenses scriptis meminit in sua ad Philippenses Epistola, non suadet, ut ad Thessalonicensibus inscriptas Epistolas extendamus. Potuit fieri, ut non unam ad Philippenses scripserit Paulus, & tamen una tantum in Canonem referretur Epistola. Sed quicquid sit de temporibus Apostolicis, id Bellarmino certum est, tempore Constantini M. gradu distinctum fuisse à Presbytero Episcopum ita, ut plures uno Episcopo in una civitate non reperirentur, aut nomine illius alicui Synodo interessent. Unde concluditur, non solis Episcopis suffragij jus in Concilio Nicæno datum.

§. 16.

Quod itaque Euſebius *de vita Conſtant. lib. 3. c. 6.* ait: *Conſtantinum Epiſcopos per literas acciviſſe*; & c. 16. *Conſtantinum judicaſſe, non niſi omnium aut maximæ partis Epiſcoporum judicio interpoſito controverſiam finiri poſſe.* Et c. 18. πᾶν, εἴπ' ἂν ἐν τοῖς ἁγίοις τῶν ἐπισκόπων συνεδρίοις πράττεται, τοῦτο πρὸς τὴν θείαν βούλησιν ἔχει τὴν ἀναφοράν. Et c. 20. *Conſtantinum ſermonem ad Epiſcopos ſub finem Concilij habuiſſe*: & quæ ſunt ſimilia, nequaquam excludit eos, qui Epiſcopi non ſunt, à jure ſuffragij. Nominantur enim Epiſcopi non propter jus ſuffragij ab ipſis ſolis uſurpatum, ſed propter dignitatis quandam ſuperioritatem. Hinc & Euſebius dicit, per convocationem ſynodicam maximam ſacerdotum coronam ex multiplici nitidorum floſculorum varietate Nicææ contextam fuiſſe. *c. 6.* Et licet *c. 7.* dicat τῶν τοῦ θεοῦ λειτουργῶν ἀκροθίνια Nicææ conveniſſe, id non ad dignitatem ordinis Epiſcopalis tamen referendum eſt, ſed ad alias qualitates, de quibus, Epiſcopis & Presbyteris commemoratis, *c. 9.* ait: *Ex his DEi miniſtris alij prudenter & diſertè dicendo, alij vitæ gravitate, ac conſtanti rerum arduarum perpeſſione, nonnulli quaſi media inter iſtos interjecta vivendi conſuetudine eximij, præclara laudis inſignia adepti ſunt. Erant inter hos etiam non pauci, qui propter longinquum temporis ſpatium, quo vixerant, multum honorati fuerunt: multi qui in ipſo ætatis flore propter ingeniorum acumen magnum ſplendorem conſecuti ſunt, &c.* Hæc ſunt illa τῶν τοῦ θεοῦ λειτουργῶν ἀκροθίνια. Interim apud Euſebium *c. 10. univerſus miniſtrorum Dei conventus* factus dicitur. Sic etiam intelligendus eſt Socrates, cum *lib. 1. H. E. c. 5.* ſcribit, *Conſtantinum generale Concilium congregaſſe, & Epiſcopos undiq; per literas accerſiviſſe.* Non enim ad ſuffragia excluſis cæteris accerſivit, ſed quia ipſi dirigebant clerum, & quæ pro Eccleſiæ ſalute ſuſcipienda denunciabant. Quod adeò liquidum eſt, ut paulò poſt Socrates ſcribat, *Aderant etiam unà Laici complures, diſſerendi ſcientia valde periti, qui erãt ad patrociniũ alterutrius partis ſuſcipiendũ parati.* Referuntur autem omnia ad Epiſcopos tanquam capita Provinciarum aut civitatum, ſub quibus ſunt Presbyteri cæterique. Theodoretus *lib. 1. H. E. c. 7.* inquit: *Conſtantinus celebre Nicænum Concilium cogit, & publicos aſinos, mulas & mulos, quin etiam equos Epiſcopis & comitibus ſuis ad iter faciendum utendos dat. Simul autem atq; in unum congregati fuere omnes, qui itineris moleſtias ferre poterant, Imperator quoq;* §. 16.

venit Nicæam, tum quod Episcoporum cupiebat videre multitudinem, tum quod inter eos concordiam constituere desiderabat, atque statim res omnes necessarias illis suppeditari jubet. Trecenti decem & octo Episcopi in unũ convenerant. Episcopus autem Romanus propter ætatem admodum ingravescentem abfuit. Verum duos ille misit presbyteros, potestate illis concessa actis illius Concilij assentiendi &c. Neque tamen divinus iste & venerandus cœtus hostibus Dei caruit, sed aderant quidam, licet pauci numero, ijque veteratores, qui maris brevia imitati calliditatem suam occultarunt, & Arij blasphemijs, quamvis non palam & apertè, occultè tamen patrocinati sunt. Et post: *Quanquam maxima pars Concilij Constantini verbis obtemperavit, & mutuam concordiam doctrinamque sanam amplexata est, tamen pauci quidam, quorum supra feci mentionem, & præter eos Menophantus Ephesius, Patrophilus Scythopolitanus, Theogonius ipsius Nicææ Episcopus, Narcissus Episcopus Neroniadis (est autem Neronias minoris Ciliciæ urbs, quam Irenopolim jam vocamus) & cum his unà Theonas Marmaricanus & Ptolemaidis Ægyptiorum Secundus, Arij patrocino suscepto, doctrinæ Apostolicæ contradixerunt. Quin etiam fidei formulã, quam composuerant, Concilio proposuerunt: quæ, ut primum perlecta fuit, quoniam omnes eam adulterinam & commentitiam esse vociferabantur, illico discerpta est. Ac cum ingens tumultus esset contra eos concitatus, & omnes eos ut pietatis proditores insimularent, metu perculsi exsurrexere, atque ipsi primi omnes unà, solis Secundo & Theona exceptis, sententiam excommunicationis contra Arium pronunciavere.* Quod Theodoretus de 318. Episcopis dicit, non eo referendum, quasi illi tantum ad sententiam contra Arium pronunciandam congregati essent, sed quod illi præcipuè, Presbyteris sub Episcoporũ censu tamen non prætermissis. Sic & Ruffinus *lib. 1. H. E. c. 2.* testis est, *in Concilio Nicæno magnum numerũ fuisse Confessorum & Sacerdotum, qui omnes Arij novitatibus adversati erant, præter trecentos decem & octo Episcopos in eo residentes.*

§. 17. *Numerus Episcoporum Nicænorum. Eutychij, Iosephi, Is-*

Numerum Episcoporum Eusebius constituit 250. & amplius. Memorat autem Seldenus ex Eutychio *comm. in Origines Eccl. p. 71.* numerum Episcoporum Nicææ congregatorum fuisse 2048. Verba Eutychij ex Arabico expressa sunt hæc. *Et congregati sunt in Vrbe Nicæna post annum & binos menses bis mille & quadraginta octo Episcopi judicio & persuasione invicem dissidentes. Vnanimes vero trecentos & octodecim de Christi divinitate pronunciasse, à reliquis sententia-*

rum discrimine multiplici distractis frustra impugnatos. Adfert hujus *maelis nu-*
numeri assertorem etiam *Iosephum Presbyterum Aegyptium, qui in præf.* *merus*
Concil. Arabic. MSC. *Bibl. Oxon.* subscribit, cujus verba ex Arabico *2048.*
versa sunt hæc: *Convenerunt ex eis Nicææ multitudo numerosa sc. ad bis mille & quadraginta octo Episcopos. Atq; evenit hoc anno 636. Alexandri, qui fuit annus æræ Antiochenæ 373. die 9. mensis Haziram* (qui mensis est Syrorum æstivus.) *Et jussit Imperator, ut fides, quam descripserat ei Episcopus Hierosolymorum, legeretur in Synodo Episcoporum. Et amplexati sunt eam ex eis 318. Episcopi, qui fuerunt instar Angelorum Dei propter excellentiam & virtutem, atq; velut sydera cœli propter lucem & splendorem.* Et post. *Reliqui vero præter illos trecentos & octodecim variatim dissensere, nec quidem inter se concordes, nec in fide sua.* Producit ejusdem numeri assertorem *Ismaelem Ibn Ali Mahumedanum in hist. Arab.* MSC. *Bibl. Oxon.* qui ait: *Exeunte anno 20. jam memorati Constantini Augusti congregati sunt Episcopi 4048. Tunc selegit ex eis 318. Et anathemate feriebant Arium Alexandrinũ, eò quod Christum assereret esse creaturam. Et consensere Episcopi jam memorati Constantino, & religionem Christianam publicarunt aliter* (ita Mahumedanus loquitur) *atq; se antea habuerat. Princeps autem Patriarcharum sive Episcoporum horum erat Patriarcha Alexandrinus.* Unde liquet apud Christianos & Mahumedanos Arabes hunc numerum Episcoporum valde receptum fuisse. Monet vero Seldenus *p. 83.* tantum numerum non debere portentosum videri ex eo, quoniam notitijs Episcopatuum, quibus utimur, quas habet Aubertus Miræus & Carolus à S. Paulo *in Geograph. sacra,* adeò sit dispar. Nam de veteris Ecclesiæ Christianæ nondum in rempub. aliquam seu Imperium civile receptæ, nec ad ejusdem formulam in præfecturis qualibuscunque dispositis rebus ac personis, judicium non esse ferendum ex eis & eorum norma, quę post ejusmodi præfecturarum sacrarum dispositionem in usu, ubi ne partem quidem dimidiam numeri Eutychiani reperimus. Seculis illis vetustioribus seu Constantino coævis contractiores procul dubio fuisse multò, adeoq; multò numerosiores parœcias, diœceses, seu Ecclesias, quas pro re nata atque ut res ea ferebat, sive ex persuasione sive ex compromisso curabant Episcopi, limites sortiti, quos nunc plane nescimus. Constantinum *in Ep. ad Chrestum Syracusanorum Episcopum apud Euseb. lib. 10, c. 5.* dicere, se

alias in Arelatenſem ſynodum convocari mandaſſe πλείστους ἐκ διαφόρων καὶ ἀμυθήτων τόπων ἐπισκόπους, *plurimos Epiſcopos ex locis diverſis ac prope infinitis*. Idem dicere eundem *apud Socratem lib. 1. c. 6. ſc. ſe convocaſſe in Vrbem Nicænam* τοὺς πλείστους τῶν ἐπισκόπων. Non eſſe autem veriſimile, Epiſcoporum Eccleſiæ Chriſtianæ numerum tum temporis intra 318. aut quadringentorum cancellos conſtitiſſe. Ante illud, ut ex actis Metrophanis & Alexandri *apud Photium Cod. 250.* patet, in Ægypto & Africa ſolum fuiſſe Epiſcopos prope centum. Conſentire Scriptores, Nicæam ex toto orbe Chriſtiano accerſitos fuiſſe Epiſcopos. Epiphanium *Hær. 69.* notare, *urbes multas plures habuiſſe Epiſcopos*. Juxta Catholicos & Hæreticos in urbibus aut diœceſibus ſuos habuiſſe Epiſcopos, quod in Concilijs Africanis maximè apparet, & deducit Johan. Fileſacus *de Epiſcop. authorit. c. 10. §. 5.* Neque abſonum eſſe, ut etiam tempore Nicæni Concilij morem illum obtinuiſſe credamus, cum Meletiani, Ariani, alij diverſæ invicem perſuaſionis adeò ſcaterent. Deniq; non ſolum Eutychium illum numerum tradere, ſed etiam alios. Fuiſſe tamen Eutychium Patriarcham Alexandrinum Orthodoxum, hoſtem Arianæ hæreſeως infenſiſſimum, nec non rerum veterum, maxime Eccleſiæ ſuæ, indagatorem diligentiſſimum. Itaque abſonum adeò non eſſe, credere, eum de ſynodo Nicæna, cujus primaria, etiam fermè ſola, Alexandriæ nata eſt cauſa, ſive ex Eccleſiæ ſuæ archivis, ſive ex alijs Orientis, quæ temporis injuria nobis invidit, monumentis, tum cognoviſſe nonnulla, quę Græci, qui ad nos pervenerunt, prætermiſere, tum vera de eis narraſſe. Acta Synodi ipſa unde hæc plenius dignoſci potuiſſent, ante multa ſecula perijſſe. Tantam tunc temporis Epiſcoporum ſegetem in orbe terrarum fuiſſe mirari deſiturum, quisquis crediderit, quod de B. Patricio Hybernenſi Antoninus & Vincentius tradunt, eum ſc. ſolum Eccleſias fundaſſe 365. totidemque Epiſcopos ordinaſſe, præter presbyterorum tria millia: Qua de re Jacobus Uſſerius ArchieEpiſcopus Armacanus *in Britannicis Eccleſiæ antiquit. p. 950.* Sozomenus *lib. 1. c. 16.* Epiſcopos adfuiſſe ſcribit ὑπὲρ ἀμφιτριακοσίους εἴκοσι circa trecentos viginti aut plures. Conſtantinus Imperator ad Eccleſiam Alexandrinam apud Socratem lib. 1. cap. 6. ſcribens amplius trecentos fuiſſe Epi-

ſcopos

ſcopos memorat. Communiſſima ſententia habet, Epiſcopos adfuiſſe numero 318. Eam habet Athanaſius, quem *in ep. ad Iovinianum Imp. & in diſputat. adverſ. Arium ſcripta* dicere, *trecentos octodecim ſynodo interfuiſſe*, nimis confidenter ſcribit Card. Baronius *A. Chr. 325. n. 18.* Indefinitè quidem loquitur, *in Ep. de Synodi Nicænæ decretis contra Arium T. 1. ed. Commel. p. 402* cum ait: οἱ δὲ συνελθόντες Ἐπίσκοποι ἦσαν πλέον ἢ ἔλασσον τριακόσιοι. Et ad ſolitariam vitam agentes p. 660. οἱ μὲν οὖν πατέρες ἡμῶν οἰκουμενικὴν σύνοδον πεποιήκασι, καὶ τριακοσίων πλέον ἢ ἔλαττον συνελθόντες κατέκριναν τὴν ἀρειανὴν αἵρεσιν. Et *in ead. Ep. p. 661.* τριακοσίων ὅλων σύνοδον Ἐπισκόπων ἀναιρεῖ. Interpres: *Synodum pluſquam trecentorum Epiſcoporum abrogat.* Tamen *in Ep. ad Africanos T. eod. p. 718.* Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ἡ οἰκουμενικὴ σύνοδος τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ συνελθόντων Ἐπισκόπων περὶ τῆς πίστεως διὰ τὴν Ἀρειανὴν ἀσέβειαν &c. Interpres abit. *Siquidem Oecumenica Nicææ Synodus celebrata fuit, à trecentis & ſeptendecim Epiſcopis, ut de fide agerent, convenientib.* quæ verſio & alijs & Centur. Magd. 4. c. n. col. 629. l. 57. impoſuit. Ita Athanaſius αὐτόπτης. Talis a. fuit Euſebius quoque. Quid igitur de illo? Facile ſe expedit, qui negat, libros de vita Conſtantini non eſſe illius Euſebij. Alij textum Euſebij corruptum dicunt. Dominic. Nicolinus ex Græco Vaticano notat, ibi legi *trecentos*, non *ducentos quinquaginta*. Græca a. Roberti Stephani ſunt: ἐπισκόπων μὲν πληθὺς ἦν πεντήκοντα καὶ διακοσίων ἀριθμὸν ὑπεραχοντίζουσα. Sed pro Vaticano eſt Gelaſius Cyzicenus, qui *act. Conc. Nic. lib. 2. c. 5.* legit, Ἐπισκόπων μὲν πληθὺς ἦν τριακοσίων ἀριθμὸν ὑπερακοντίζουσα, cum ipſiſſima Euſebij verba reddidit. Sic & legit, cum verba Euſebij deſcribit, Nicephorus Calliſtus *l. 8. c. 14.* Et ſic etiam Euſebij verba retulit Socrates ſeculo uno poſt Concilium & Euſebium, novem ferè ſeculis ante Nicephorum. Sic & Caſſiodorus Socratem & Euſebium expreſſit: & *in tripartita lib. 2. c. 21. Multitudo erat Epiſcoporum numerum trecentorum excedens.* Utique E. Euſtathij Antiocheni epiſtola emendanda, cum apud Theodoretum *lib. 1. c. 8.* legitur: σύνοδος εἰς τὴν Νικαίων ἀφικνεῖται μεγίστη διακοσίων μήτιγε καὶ ἑβδομήκοντα τὸν ἀριθμὸν ὅμοσε συναχθέντων. Theodoretus enim non fuiſſet auſurus contradicere Euſtathio magnæ in Synodo authoritatis viro & ſcribere c. 7. ὀκτὼ καὶ δέκα δὲ καὶ τριακόσιοι συνῆλθον ἀρχιερεῖς. Hilarius Pictav. Epiſcopus *contra Conſtantium Auguſtum p. 283.*

Athanaſij interpres notatur.

Anathema

Anathema tibi trecenti decem & octo convenientes apud Nicæam Episcopi sunt. Gregorius Nazianzenus *Orat. 5. quæ est secunda de Filio, ad numerum 318.* alludit, cum ait, *Christum esse Melchisedecum ut matre carentem, illius ratione, quod supra nos, ut patre carentem, ratione naturæ nostræ, ut majorum seriem nullam habentem, respectu ortus superi ut Regem Salem, ut Regem justitiæ, ut decimas à summis illis Patribus accipientẽ adversus potestates sceleratas præclarissimè se gerentibus.* Intelligit pugnam contra hæresin Arij in Synodo Nicæna. Episcopos confert militibus 318. Abrahæ. Ita interpretatur Nazianzenum Elias Cretensis *p. 169. Sicut Abraham cum expeditis vernis domus suæ CCCXVIII. sub Melchisedeco exteros in fugam egit, sic sub Christo verè ipsius domi natæ vernæ CCCXIIX. illi summi Patres in urbe Nicæa instructi Apostolicis armis hæreses terga dare coegerunt.* Epiphanius *hær. 69. p. 612. Rex convocavit Concilium Vniversale 318. Episcoporum, quorum etiam nomina usq; in hunc diem servantur,* (exstitit tum adhuc συνοδικὸν Athanasij, cujus etiam meminit Socrates *lib. 1. c. 9.* in quo omnia Episcoporum nomina erant designata, quod perijt jamdudum.) *& reprobant ac execrantur Arij fidem in Nicæa urbe.* Ambrosius *præf. lib. 1. de fide ad Gratianum Augustum T. 2. p. 40. De Concilijs id potissimum sequar, quod 318. Sacerdotes tanquam Abrahæ electi judicio consona fidei virtute victores velut trophæum toto urbe subactis perfidis extulerunt.* Sequuntur Hieronymus, Ruffinus & plurimi alij. Et palàm in seqq. Concilijs trecentorum octodecim Nicænorum Patrum fit mentio. Synodus Romana sub Julio *in præfat.: Oportet ut fidem trecentorum decem & octo Patrum in Nicæna Synodo corroboratam primo ponamus.* Constantinopolitanum I. *cap. 1. statuerunt, qui Constantinopoli convenerunt Patres s. trecentorum decem & octo Patrum, qui Nicææ convenerunt, fidem non abrogari &c.* In Ephesina Synodo Juvenalis Hierosolymorum Episcopos dixit: *Fides, quam 318 Patres & Episcopi Nicææ quondam coacti exposuerunt, recitetur.* In Synodo Chalcedonensi *Act. 1. in princ.* Martianus Imperat. ad Synodi Patres ita loquitur. *De cætero audeat nemo de nativitate Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi aliud disputare, præter quod Apostolicum procemium CCCXIIX. SS. patrum consonans huic doctrinæ tradidisse noscitur &c.* Eutyches *in libello Confessionis, qui recitatur in Actis Concilij Chalcedonensis Act. 1. fol. 410. fac. 6. Cum jussus fuissem per meipsum fidei confessionem dicere, & dixissem sapere sicut 318. S. Patres, qui in Nicæa sanxerunt &c.* eadem

Act. I.

Act. 1. f. 418. Episcopus Demetriadis Thessaliæ dixit: *Metropolita
quidem meus ægritudine detentus adhuc in Helenopoli est. Ego tamen secun-
dum fidem 318 sapio &c.* Et post *fol. 418. fac. b. Ethericus Episcopus Smyr-
næ dixit, si quis non credit sicut 318. & in Epheso, anathema sit.* Ibidem
ex actione 5. Constantinopolitani Concilij lecta Ephesi, sed re-
lecta Chalcedone fol. 422. ed. Crabb. *Trecentorum decem & octo
est expositio.* Et *fol. 423. fac. b.* recitantur verba Imperatoris per
Magnum Silentiarium. *Custodiri volumus rectam, Deo inspirante præ-
dicatam, fidem à S. Patribus, qui in Nicæa congregati sunt trecentis decem &
octo &c.* Et fol. 430. fac A. *Libellum porrigebat, in quo fides trecentorum
decem & octo Patrum continebatur &c.*

Sic in Concilijs numerus ille pro certo allegatur. Nec §. 18.
multum refragatur, quod scriptor vetus, qui circa Chalcedonen-
sis Concilij tempus, adeoq; annis 120. post Nicænum. vixit, in
Collectione & expositione omnium S. Synodorum, Συναγωγὴν καὶ
ἔκθεσιν τῶν ἁγίων συνόδων πασῶν ipse vocat, quam ex Oriente in An-
gliam illatam Seldenus p. 79. asserit, scribit de Constantino, ἐκέ-
λευσε κοινῷ γράμματι τοὺς Ἐπισκόπους ἅπαντας ἐπὶ τὴν τῆς Βιθυνίας Νικαίαν
συνελθεῖν διὰ δημοσίων ἵππων καὶ ἀναλωμάτων καὶ συνῆλθον ἀρχιερεῖς μὲν
σλβ, ἱερεῖς δὲ καὶ διάκονοι καὶ μονάζοντες πϛ, οἱ σύμπαντες τιη θεοφόροι πατέ-
ρες: *Publico jussit edicto omnes Episcopos Nicææ, quæ Bithyniæ urbs, conve-
nire, nec sine vectura publica & commeatu. Et convenerunt Pontifices seu
Episcopi 232. & Sacerdotes & Diaconi & qui monasticam degebant vitam
86. Omnes simul 318. Patres divini.* Sequitur eum Dorotheus Metropo-
lita Monembasiæ *in Synopsi miscellanea Græcobarbarè scripta p. 238.* Et
Zonaras *in Annal.* T. 3. p. 50. Evagrius l. 3 c. 4, 14. Itaque quod ex
Eutychio, Josepho & Ismaële attulimus, ita forte interpretari li-
cet, ut Episcopi vocabulum generalius sumamus. Sed de his satis.

Quod Eusebius c. 13. memorat, *Imperatorem omnes controver-* §. 19.
tentes inter se Ecclesiasticos in omnibus rebus, quæ in quæstionem aliquando *Quot con-*
venerunt, tum conspirantes animis, tum opinionibus adeò consentientes reddi- *sentientes*
disse, ut non modo concors fides inter eos vigeret, &c. aliter ab alijs refer- *& ortho-*
tur. Socrates *lib. 1. c. 5.* quinque excipit. *Hanc fidem approbarunt,* *doxi, quot*
inquit, *trecenti & octo Episcopi eiq; omnes assensi sunt, &, uti scriptum est* *non?*
*apud Eusebium, consentientibus animis opinionibusq; eidem subscripserunt,
quinq; solum exceptis, qui* ὁμοούσιον *repudiarunt, Eusebio vid. Nicomediæ Epi-
scopo,*

scopo, Theognide Niceaæ, Mari Chalcedonis, Theona Marmaricæ, Secundo Ptolemaidis. *Nam* ὁμοούσιον *illud esse affirmarunt, quod est ex aliqua re ortum vel partitione, vel derivatione, vel productione; Productione, ut ex radicibus germen, derivatione, ut liberi ex Parentibus, partitione, ut duo aut tria auri ramenta ex massa aurea. At filium Dei ad nullum istorum posse referri, & propterea se minimè fidei illi in Concilio Nicæno confirmatæ velle assentire dixerunt, proinde & vocem illam* ὁμοούσιον *vehementer irriserunt, & abdicationi Arij subscribere noluerunt.* Idem memorat, quomodo ex illis quinque Eusebius & Theognis tandem resipuerint, Eusebius etiam Pamph. aliquamdiu hæsitans demum consenserit & scriptis homousion propugnaverit. Tres superessent E. ex recensione Socratis, qui in sententia perstitissent, Maris, Theonas, Secundus. At in *Epist. Synodi ad Alexandrinos, Aegyptum, Lybiam & Pentapolim* ex illis Theonam & Secundum tantum notat. Theodoretus *lib. 1. c. 7.* generatim primò inquit: *Neq; tamen divinus iste & venerandus cœtus hostibus Dei caruit, sed aderant quidam, licet pauci numero iiq; veteratores, qui maris brevia imitati calliditatem suam occultarunt, & Arij blasphemijs, quamvis non palàm & apertè, occultè tamen patrocinati sunt.* Deinde ait, *quanquam maxima pars Concilij verbis ejus obtemperavit & mutuam concordiam doctrinamq; sanam amplexata est, tamen pauci quidam, quorum supra feci mentionem & præter eos Menophantus Ephesius* (qui in vulgata & Arabica subscriptione reperitur,) *Patrophilus Scythopolitanus, Theogonius ipsius Nicææ Episcopus, Narcissus Episcopus Neroniadis & cum his unà Theonas Marmaricanus & Ptolemaidis Aegyptiorum Secundus Arij patrocinio suscepto doctrinæ Apostolicæ contradixerunt.* Ubi, præter Anonymos, Marin & Eusebium, quos Socrates habet, omittit, Patrophilum a. & Narcissum eorum loco quinario inserit, ita tamen ut solum Theonam & Secundum pertinaces fuisse referat. Sozemenus *lib. 1. c. 19.* Omnes, inquit, *Sacerdotes inter se consensere. Soli a. decem & septem dicuntur primò quidē Arij approbasse opinionē, statim tamen post complures istorum ad communem omnium fidem se transtulisse.* Et c. 20. *Fidei formulam etiam approbavere Eusebius Episcopus Nicomediæ, Theognis Nicææ, Maris Chalcedonis, Scythopolis Patrophilus, & Secundus Ptolemaidis.* & post notat, *Eusebium & Theognidem, quanquam fidei formulæ consentirent, minimè tamen Arij approbasse abdicationem, neq; ei subscripsisse, ideoq; in exilium actos fuisse.* Ruffinus *lib. 1. c. 5. Decem & septem tum fuisse dicun-*

tur, quibus Arij fides magis placeret. Et post. *Sex soli cum Ario se patiuntur expelli, reliqui v. undecim consilio inter se habito acquiescunt ad subscribendum manu sola, non mente.* Gelasius *lib. 2. c. 7.* etiam septendecim Arianos memorat, è quibus hypocritas subscripsisse notat *c. 27.* Notat veterum circa hanc rem pugnam Nicetas Choniata *Thes. Orth. fid. lib. 5. c. 7.* & refert, Theodorum Mopsvestiæum affirmare, *novem tantum ex omnibus fuisse, quibus Synodi decreta non arriserint.* Philostorgium dicere, *viginti duos fuisse*, ex Lybia superiore sex, ex Ægypto unum, è Palæstina duos, è Phœnicia duos, è Cilicia tres, è Cappadocia tres, è Ponto duos, è Bithynia tres, quos sigillatim accuratissimè examinat Jac. Gothofred. *ad Philostorg. Dissert. lib. 1. c. 8.* qui & *ad cap. 9.* de fraudulentis Arianorum subscriptionibus ex Philostorgij Confessione pulchrè disserit.

An ipse Arius in Synodo Nicæna fuerit, incertum esse ex Historia, notant Magdeburg *col. 632.* Socratem *lib. 1. c. 10.* ubi agit de libello pœnit. Eusebij & Theogonij innuere, superstitem Synodo fuisse Arium, itaque præsentem, & post condemnationem à Synodò ab exilio revocatum fuisse: Theodoretum *lib. 1. c. 14.* indicare, eum post Synodum aliquandiu adhuc Alexandriæ commoratum, tandem, quod causam suam nec Alexandro, nec Athanasio probaret, ab Eusebio Constantinopolin pellectum ibi periisse. Sozomenum *lib. 1. c. 19.* docere, ante ingressum Imperatoris in Synodum Episcopos cum Ario etiam sæpius disputasse. Ruffinum *lib 1. c. 1.* Arij in Synodo præsentiam etiam testari. Innuunt idem acta Metrophanis & Alexandri *Phoc. Cod. 256.* Gelasius Cyzicenus *Pto. 2. c. 7. Nostri a. S. Episcopi Arium ad Synodum vocabant, permittentes ei propria dogmata proponere nutu omnia vincentis Regis.* Consentit Nicetas *lib. 5. c. 8.* Estque ita opinatus B. Lutherus *l. de Concil.* Apud Baronium, Petavium & nonnullos alios res extra controversiam posita est. Cœterum notant Magdeb. Epiphanium *hær. 68.* disertè testari, Arij hæresin post ejus mortem damnatam esse. *Hær. 69.* Arij historiam ita narrare, ac si Synodus à Constantino demum post fœdam Arij mortem indicta fuerit. Socratem etiam Epist. Synodicam referre *lib. c. 9.* qua dicatur: Quem a. finem consequuta sint, quæ contra Arium sunt acta, omnino vel audivistis, vel audituri estis, ne insultare videamur Viro, qui pro- §. 20.

An Arius interfuerit Synodo, aut ejus tempore vixerit?

proprio peccato digna præmia retulit, quod de exitu accipiendum. Tandem omiſſa deciſione, Magdeb. referunt, Evagrium *lib. 4. c. 88.* memorare, in Synodo quadam Conſtantinopolitana ſub Juſtiniano, cum de damnatione poſt mortem aliquorum in hæreſi deprehenſorum ageretur, quæſitum, pium ne ſit, in mortuos anathemate animadvertere? & reſponſum ab Eutychio Conſtantinop. omnino anathematiſmo feriendos, cum & Joſias idololatricorum Sacerdotum diu mortuorum urnas effoderit, non opus a. fuiſſe tam longe petere exemplum, ſi Arius mortuus jam à Synodo damnatus fuiſſet. Sed hoc adeo non perſuadet. Placuit Eutychio Joſiæ exemplum, qui atrocius quippiam in eo effulſit. Si in Idololatras & improbatæ Religionis cultores & ſeductores ita graſſari licuit pio Regi, ut in oſſa etiam & cineres terminaretur pœna, quanto magis anathemate ferire licebit In Epiphanio quoad locum *hær. 68.* oportet mendum eſſe. Nam ibidem commemorat, quomodo Alexander Alexandrinus fato functus Theonam per tres menſes ſucceſſorem habuerit, & hic Athanaſium. Ubi ait, congregatum orthodoxorum conventum, quo Athanaſij ſucceſſio confirmabatur. Nicænæ Synodi nulla fit mentio. In Hær. 69 manifeſtum *μνημονικὸν ἁμάρτημα* committit Epiphanius. Socratis verba ipſi Centuriatores ita interpretantur, ut ex illis Arium in vivis fuiſſe magis colligi poſſit. Volunt, de fulmine excommunicationis, magno ſc. & intolerabili ſupplicio, audienda eſſe, maximè cum hæc ſubjiciantur: *Tantum potuit ipſius impietas, ut & Theonam Marmaricum & Secundum à Ptolemaide ſecum perdiderit.* Nam & hos duos ab univerſa Synodo ſimul condemnatos eſſe, cum in Arij condemnationem ſubſcribere noluiſſent. Sulpitius *lib. 2. H. S.* duos Arios fuiſſe tradit. Sed hoc non juvat. Unus n. eſt, qui probroſa morte perijt, de quo quæritur. Bellarminus *lib. 1. de Cons. c. 5.* rem tanti momenti non eſſe judicat, ut propterea oporteat nos plus temporis in eo conſumere. Sanè etiam poſt Concilium ſuperfuiſſe Arium tum præter id, quod ſupra *ex lib. 1. c. 10.* Socratis adductum eſt, ex ejus c. 19. 20, 22, 25. tum ex Theodoreti *lib. 1. c. 14.* manifeſtum eſt, ubi memorat, Arium ſimulaſſe, impiam ſuam doctrinam abjicere, & fidei formulam à Patribus editam amplecti.

Inter

§. 20. *Qui viri illustres in Concilio Nic. fuerint? An Osius Legatus R. Pontificis.*

Inter illustres viros, qui Synodo huic lumen dederunt, Osius præcipuè eminuit, de quo plurima à me annotata in collat: ad Sirmiensem Synodum p. 3. cap. 3. p. 112. seqq. Nunc id tantum dispiciendum: *An Osius nomine Pontificis Romani præsens & Legatus Sylvestri Pontificis ad Synodum fuerit?* Baronius *ad A. Christi 325. n. 20.* hoc latè probat. I. Quia primo loco subscripsit. *Quæ enim ratio, ut Osius primo loco ante collegas Legatos & secundæ sedis & tertiæ, Alexandrinæ & Antiochenæ, Episcopos, & ante totius Africanæ Ecclesiæ primatem Cæcilianum ipse subscripserit, nisi locum teneret & personam repræsentaret amplißimæ omnium potestatis?* 2. Quia id testatur ipsorum Legatorum Epistola ad Sylvestrum. *Licet enim in multis mendosa ac depravata penitus habeatur, hæc tamen pura verba in ea relicta extant ipsius exordio:* Beatissimo papæ urbis Romæ omni reverentia colendo Sylvestro, Osius Episcopus provinciæ Hispaniæ, civitatis Cordubensis, Victor & Vincentius presbyteri urbis Romæ, ex directione tua ordinati. 3. Quia etiam in Sardicensi Concilio primo loco Osius ante Archidamum & Philoxenum Legatos Romanos presbyteros subscripsit, ut ex actis ejus Concilij ab Athanasio *apol. 2.* recitatis apparet. 4. Quia S. Leo & alij Romani Pontifices post hoc Concilium tres ferè Legatos ad Oecumenica Concilia ex antiquo usu mittere consueverunt & ex eis unum saltem Episcopum. 5. Quia Græci scriptores nihil hac de re dubitarunt. Dalmatius Cyzici Episcopus Osium inter Legatos Apostolicos numerat. Photius *de septem synodis* eum Vito & Vincentio Legatis Apostolicis adjungit. Hadrianus Papa *in Epit. Canon. T. 6. Antiq. Lect. Canis. p. 426. ad Carolum M.* disertè testatur. Consentit Genebrardus in Chronol. Ant. Possevinus in appar. V. Nicænum. Bellarminus lib. 1. de Conc. c. 19. Alfonsus Pisanus lib. 2. Act. Conc. Nicæ. p. 117. T. 1. Conc. Nicolini. Dissentit à Baronio Nicolaus Sanderus *lib. 7. de visibili Monarchia Ecclesiæ p. 130. In ipsis,* inquit, *Episcoporum subscriptionibus primas quidem Osius Cordubensis omnium permißione extra ordinem tulit, velut qui fidem in persecutione gloriosè confessus, ob eamq; rem Imperatori ac toti Synodo percharus esset. Post Osium vero sequuntur nomina Viti & Vincentij Presbyterorum, qui locum Episcopi Romani suppleverunt.* Sanè Eusebius *in vita Const. III. 7. Ex ipsis,* inquit, *Hispanus unus nomine & fama celebritate insignis cum alijs*

Cujus autoritatis Chronicon L.F. Dextri?

multis in consensu illo adfuit. Et quanquam urbis illius, penes quam imperium est, Episcopus ingravescente ætate præpeditus absuit, ejus tamen presbyteri, qui aderant, illius locum suppleverunt. Flavius Lucius Dexter, sub cujus (qui Hieronymo coævus fuit) nomine prodijt Chronicum, quod Fr. Bivarius notis illustravit, tradit, Sylvestri loco adfuisse Osium, cui si credimus, contra Eusebium pronunciat, ex Hispania etiam adfuisse Hispalensem, Barcinonensem, Natalem Toletanum, & alios plurimos ex Bætica & Terraconensi Provincijs. Sed non est tutum ejus authoritate niti. Sic de eo hæsitat Cornelius à Lapide *comment. in Act. p. 12. Ante annos,* inquit, *ferme 1200. ævo S. Hieronymi & S. Augustini Flavius Lucius Dexter filius S. Paciani, postea Episcopi Barcinonensis, præfectus prætorio Orientis sub Theodosio Imp. Hispanus & Hispanorum encomiastes, scripsit Chronicon à natali Christi usq; ad annum Christi 430, quo mortuus est Augustinus, illudq; dedicavit S. Hieronymo (& eo jam vitâ functo, Paulo Orosio) ut ille testatur lib. de script. Eccles. in fine, quem librum S. Hieronymus vicißim eidem L. Dextro inscripsit. Quæsivit illud Baronius, sed non reperit. Post mortem ejus inventum est in Bibliotheca Barcinonensi, eò olim translatum ex Bibliotheca Fuldensi, uti ferunt, typisq; editum est in Hisp. Cæsaraugustæ A.D. 1619. cum appendicibus Maximi Braulionis & Helecæ Episcoporum Cæsaraugustanorum, qui illud alternatim & succeßivè usq; ad sua tempora continuarunt & prorogarunt. Multi Viri docti præsertim Hispani illud avidè arripiunt, citantq; nonnulli tamen eruditi, quibus acris est crisis, spurium credunt, vel certè aliorum lacinijs assutum & vitiatum, tum quia varia ejus circumferuntur exemplaria, quæ inter se variant & dissonant, tum quia stylus rudior Dextri stylum non æquat, tum quia paradoxis & parachronismis inspersum videtur, tum quia, ubi, quando & à quo post tot secula primo repertum sit ignoratur. Sanè Fuldæ illud studiosè perquisivi, nec inveni &c.* Sic igitur Dextrum non moramur Socrates *lib. 1. c. 9. Aderat,* inquit, *in hoc Concilio Osius Episcopus Cordubæ, Vitus & Vincentius Presbyteri, Alexander Episcopus Aegypti &c.* Non facit autem eum legationis Romanæ partem. Imò indicat *lib. eodem c. 4.* illum Osium ante decretum de celebrando Concilio à Constantino Alexandriam missum, ut Arium Alexandro conciliaret. Theodoretus *lib. 1. c. 7.* suppresso Osij nomine; *Imperator mittit q..endam hominem ingenio præstantem cum literis Alexandriam, atq; eo pacto tum omne contentionis incendium extinguere niti.*

renititur. *Verum ubi spes eum fefellerat, celebre illud Nicænum Concilium cogit.* Sozemenus *lib. 1. c. 15. Imperator misit Virum, quem circa se habebat, fidei & vitæ integritate præstantem, & superioribus temporibus ob varias religionis Christianæ confessiones admodum nobilitatum, Osium dico Episcopum Cordubæ.* Talia repetit Cassiodorus *in Tripart.* & Nicephorus Callistus *lib. 9. c. 23.* Nicetas Choniata *Thes. lib. 1. c. 6.* Videtur ergo Osius, non tam nomine Pontif. Romani primas tenuisse, quam quia in controversia Ariana exercitatissimus, ab Imperatore ad eam tollendam Alexandriam missus, & in universum in summo apud eum honore habitus fuit.

Baronij rationes parum probant. De subscriptionibus supra monuimus. In Arabicis Vito & vincentius 39. & 40. Osius autem 41. loco collocatur. Si autem illa res certa esset, causa jam dicta & à Sandero probata subesse potuisset. De Epist. Legatorum ad Sylvestrum certi nihil habetur. Protulit eam primus ex vetusto codice Coloniensi L. Surius, ut adscribit ad marginem ejus Pisanus *in act. lib. 4: p 169. Has duas Epistolas* (legatorum ad Sylvestrum & hujus ad illo,)*ut patet corruptas &c.* Baronius vidit idem, & hæc ipsa verba, quæ ut pura nobis commendavit, ipse castravit. Sic n. Pisanus illa profert ex Surio. *Osius Episcopus Provinciæ Hispaniæ, civitatis Cordubensis, & Macarius Episc. Eccl. Hierosolymitanæ, & Victor & Vincentius Presbyteri urbis Romæ ordinati, ex directione tua.* Inscriptio hæc ineptit, & tota Epistola hiat inconcinna verborum pompa. Illud vero *ordinati ex directione tua* non ad Osium aut Macarium retrotrahere necesse est. Hinc Baronius; *expresse testari videtur &c.* In Concilio Sardicensi Osius subscripsit independenter ad Pontificem Romanum. Sic n. habet Athanasius *l. c.* Et recitat Binius *T. 1. p. 442. Osius ab Hispania. Iulius Romæ per Archidamum & Philoxenum Presbyteros &c.* Debuisset hoc bona fide Baronius repræsentare. Quod posteriores Pontifices fecerunt in ordinandis ad Concilia Oecumenica Legatis suis *partim* diversimodè se habet, *partim* in Nicæno idem factum fuisse non arguit. Audax pronunciatum est, *Græcos scriptores de legatione Osij pro Sylvestro nihil dubitasse.* Contrarium superius indicatum fuit. Photius Osium Victori & Vincentio adjungens non dicit, eum etiam esse Legatum Pontificis. Sed & Photium Baronius hoc anno *n. 11.* erroris

§. 22. *Baronij rationes expeduntur.*

erroris arguit. Gelasius unus superest, qui Dalmatij historiam publicavit. An is autoribus vetustioribus opponi possit, considerandum est. Hadrianus I. scripsit istam Canonum Epitomen seculo octavo; & hoc ipso loco, ubi Osium inter Legatos Pontificis connumerat, de eo aliqua tradit, quæ veritati consentanea non sunt. Si Baronius stare Hadriani autoritate hoc loco cupit, cur non secutus est etiam, cum Osium in Concilio Sardicensi inter Legatos Rom. Pont. non collocat. Ita enim habet. *Osius à Spania Cordubensis, Vincentius de Capua Legatus* R.E. *Ianuarius de Benevento Legatus* R. E. *Calipodius Neapolitanus Legatus S. Rom. Eccles.*

§. 23. Post Osium eminuit Alexander Alexandrinus, qui Potamonem (de quo Baronius *in Martyr. p. 311. ad 18. Maij & in Ann. ad an. 325. n. 22.*) & Paphnutium, (de quo idem *in Martyr. ad 11. Sept. & in annal. ad a. 325. n. 23.*) Viros clarissimos secum adduxit, illum Heracleæ in Ægypto, hunc Thebaidis superioris Episcopum. Meminit hujus Alexandri Martyrol. R. *ad diem 26. Febr.* Sequuntur Beda, Usuardus, Ado & cæteri. Describit eum Athanasius *orat. 2. adversus Arianos.* Epiph. *Hær. 69.* Theodoret. *lib. 1. c. 2.* Socrates *lib. 1. c. 3.* Sozom. *lib. 1. c. 14.* ex utrisque Cassiod. *in tripart.* Sed & Eustathius Antiochenus, de quo Baron. Martyrol. *ad 6. Iul. Et in Annal. an. 325. n. 21.* Macarius Hierosolymitanus, de quo Martyrol. *ad 1. Mart.* Paulus NeoCæsariensis, de quo Theodor. *lib. 1. c. 7.* Jacobus Nisibis in Mesop. Episcopus, de quo Theod. *l. c.* Gennad. *in Viris Ill.* Arostanes in Minori Armenia Episc. de quo Baronius *n. 27.* Leontius Cæsareæ in Cappadoc. Episc. quem Gregorius Presbyt. *Angelis parem* dicit apud Aloys. Lipoman. *T. 6. qui*, ut ait Martyrol. *Rom. ad 13. Ian. sub Licinio adversus gentiles & sub Constantino adversus Arianos plurimùm decertavit.* Eum Nicæno Concilio interfuisse & Gregorius Nazianz. profitetur *orat. in Funere Patris.* Frustra

Baronius notatus. a. hic taxat Basilium Baronius *num. 33*, quasi non Leontium, sed Hermogenem ejus successorem Niceno interfuisse diceret, cum hoc tantum dicat, *Nicænam fidem ab initio ab Hermogene fuisse pronunciatam.* An Nicææ in Concilio pronunciata sit, non dicit Basilius. Sic ergò à lapsu memoriæ imputato liber est. Eluxit etiam in Synodo Eutychius Amasenorum Episcopus, ut S. Basilæi acta testantur, quibus subscriptiones vulgares consentiunt. Amphion

Epipha-

Epiphaniæ Ciliciæ Episcopus etiam interfuit, teste Sozom. *lib. 1. c. 20. Clarus confeßione sub Maximino*, teste Martyrol. *R. 12. Iun.* Claruit etiam Hypatius Gangrensis Martyr, juxta menolog. Græc. 29. *Mart. 14. Novemb.* AC Martyrol. R. *14. Novemb.* Nicolaus Myræ in Licia Episcopus adnumeratur, cujus acta è Simeone Metaphraste & alijs collegit Leonhardus Justinianus, & intulit de vitis Sanctorum Surius mens. Decemb. *p. 795.* Spiridion Trimituntis in Cypro Episcopus pariter, de quo vide ex Theodoreto, Socrate & alijs Bar. *num. 37, 38.* cujus vitam & certamina habet Simeon Metaphrastes *apud Surium T. 6.* Cœcilianum Carthag. Episc. Athanasius *orat. 1. contra Ar. inter primarios defensores veritatis* collocat. Ubi & Eupsychium Epis. Tyanensem in Cappadocia, Longinum Episc. Neocœs. in Ponto, Protogenem Sardicensem, Pistum Atheniensem & alios recitat, de quib. ait, *Sincera & simplicia Apostolicorum Virorum ingenia sunt.* Rectè Marius Victorinus *advers. Arium lib. 1. Fuerant in ea Synodo totius orbis Lumina.* Quantus fuerit Athanasius, opera, quæ tamen non omnia habemus, & facta testantur.

§. 24. *An Alexander Const. ut Episcopus Synodo interfuerit?*

Liticula est de Alexandro Constantinopolitano, *an is ut jam Episcopus Constantinopolitanus, an v. ut Legatus Metrophanis interfuerit Synodo?* Petavius *Theol. dogm. lib. 1. c. 5. n. 3.* posterius asserere, *ridiculum* vocat *errorem*, & ita notat Gelasium Cyzicenum, qui id asserit *lib. 2. c. 7. p 86.* Sed non solus hoc ait Gelasius; extat hoc etiam in Actis Metroph. & Alex. apud Photium *cod. 256. p. 488.* & apud Nicetam Choniatam *thes. lib. 5. c. 6. p. 444.* Exstat & in Actis à Pisano congestis *lib. 2. p. 515. ap. Dom. Nicolin. T. 1. Concil.* ubi Pisanus ad marginem annotat: *Metaphrastes in orat. de gestis Nicææ refert, hunc Presbyterum vicem geßisse Metrophanis Constantinopolitani.* In Catalogo S. Episcoporum, *per quos Nicœna sancta, magna & generalis Synodus ea, quæ in ipsa per Spiritum S. judicata sunt, omnibus super terram Ecclesiis Dei transmisit*, ita habetur. *Alexander Constantinopolis tum adhuc Presbyter, postea v. Ecclesiæ illius Sacerdotium Episcopale sortitus, cum Paulo tunc adhuc Lectore, atq; ipsius Notario, Ecclesiis omnium Cycladum Insularum. T. 1.* Concil. Nicolin. pag. 569. ex Cod. Vaticano. Sequitur Dorotheus Monembasiensis *in histor. Synopsi p. 238. &c.* Author Anonymus in Synodico conscripto seculo IX. pag. 17. Obstat his

Theodoretus *lib.1.c.3.* ubi in enumeratione primariorum Episc
porum, *Per idem tempus*, inquit, *Episcopatus Constantinopolitani minis*
rium obtinuit Alexander, Vir donis plane Apostolicis decoratus. Ibi etiam c
stat Epistola Alexandri Alexandrini ad Alexandrum Constantin
politanum Episcopum Gentilem suum. Licet contextus E
stolæ nec uni sit dicatus, sed multos alloquatur, nec prodat, a
Nicænam Synodum esse scriptam. Atque hoc est Petavij p
marium argumentum. Baronius aliud habet *ad an.317.n.17. si*
lexandrum constat sedisse annis 23. & decessisse, ut Sozomenus lib. 3 c. 3.
statur, eo Anno, quo Constantinus junior filius Constantini M. necati
qui est annus Christi 340. necesse est affirmare, hoc anno 317. Alexandr
loco Metrophanis sedem Byzantinum capessisse. Sed facilis est in nu
ris lapsus. Igitur relinquamus ista.

§. 25 *An Episcopi Nicæni indocti & ignari?*

Id observamus, calumniam fuisse quod Sabinus Herac
Episcopus, Macedoniani erroris propugnator, dum ea, quæ
ria Episcoporum Concilia scriptis ediderant, in unum volum
colligit, *Episcopos, qui Nicææ in unum convenerant, omnes velut indo*
& ignaros rerum omnium probris afficit, oblitus credo, inquit Socra
lib. 1. c. 5. *se ipsi Eusebio, qui sua probatione eandem fidem confirm*
admodum, tanquam illiterato obtrectavisse. Et quanquam Eusebium P
philum, tanquam testem, cui merito habeatur fides, laudat, præconijsq;
Imperatorem, utpote qui in institutis Christianæ religionis stabiliendis
tum præstitisset, fidem tamen expositam in Concilio Nicæno, perinde atq;
imperitis & omnino inscijs traditam, graviter reprehendit.
quem sapientem vocat & testem veracem, ejusdem testimonia de industria
ÿcit &c.

§. 26. *Philosophi Gentiles etiam in Nicæna Synodo.*

Philosophos etiam ex Gentilismo adfuisse, testis est Soc
tes, Theodoretus, Sozomenus. Gelasius etiam disputationes
trò citroque agitatas commemorat. De quibus vide Bar. n.
& seqq. Ubi notamus imprimis illam, quam Sozomenus lib
c. 17. & Ruffinus l. 1. c. 5. commemorant, qua Philosophus è g
tilismo acutissima disputatione aggressus Christianos, à C
fessore simplici confusus & conversus est, cum pauculis verbis
lum allocutus esset. & dixisset. *In nomine Iesu Christi Philosophe aud*
Vnus est Deus, cœli, terræ & omnium rerum tam oculis subjectarum, q
eorum aciem fugientium opifex, qui hæc omnia & virtute verbi fabric

eſt, & ſacrato ſpiritus S. afflatu ſtabilivit. Quare hoc Verbum, quod nos Fi-lium Dei vocamus, miſertum humani erroris ac belluinæ vivendi rationis, ex virgine naſci, cum hominibus unà verſari, proq; ijsdem mortem oppetere vo-luit. Eſt quoq; iterum venturus de ijs rebus, quas quisq; geſſerit in vita, di-cturus ſententiam. Iſta ita ſe habere, ſine ulla curioſa indagatione pro certo credimus. Noli ergò in his quæ fide duntaxat rectè intelliguntur, curiosè con-putandis, laborem fruſtra conſumere, quærereve, quî iſta fieri poßint. Quod ſi credis, mihi quidem ſciſcitanti reſponde. Quibus obſtupefactus Phi-loſophus, *Credo*, inquit &c. Liquet ſanè ex hac actione, non eſſe neceſſarium ad propoſitionem efficacem revelationum divina-rum infallibili proponente; quia tanta eſt S. literarum efficaci-as & virtus, ut non malitiosè reſiſtentibus ſuam divinam virtu-tem & authoritatem, ſine ullo alio præſidio autoritativè com-municare, & convincere de origine ſupremâ mentes poſſit. Quod Theolog. Zach. *p. 2. diſp. 1. §. 31.* Antikirkeri *c. 1.* & alibi probavimus. Gregorius de Valentia *Anal. fid. l. 1. c. 25*, inquit, *cum multa ſint in ipſa doctrina Chriſtiana, quæ ipſa per ſe fidem illi atq; authori-tatem conciliare poſſunt, tamen mihi maximum illud eſſe videtur, ut eſt à Patribus,* Clemente Alex. Lactantio & alijs *obſervatum, quod ſua ne-ſcio qua admirabili vi divinè prorſus hominum animos afficit atq; ad virtutem impellit. Eſt ſcripta verbis ſimplicibus, & caret ferè artificio orationis & ornamentis, nihilominus ita vehementer commovet lectoris mentem, ut nulla alia doctrina. Nam humana omnis utitur lenocinijs, ſine quibus ad animo-rum motum nihil valet. Quod argumento eſt, ſcripturæ authoritatem omnino divinam eſſe, nec humanam, hæc enim ſine verborum arte & orationis quaſi lenocinijs ad efficiendum animorum motum non valet.* Multa in hunc ſenſum congerit Johannes de Loix *ſpeculo inquiſitionis Biſuntinæ text. 6. p. 135.*

§. 27. *Locus Concilij templumne an aula an baſilica?*

LOCVS, ubi in Nicæa Bithyniæ (non Thraciæ, quæ ante Uſtodizo nominabatur, à quo Ariani ſub Conſtantio Imp. no-vam fidei formulam conſubſtantialis nomine omiſſo & voce ſi-milis dolosè ſubſtituta ediderunt, eamque Nicænam appella-runt.) Concilium habitum, non fuit *TEMPLVM*, ut Fr. Longus à Coriolano ſumm. Concilij p. 204. putat, cum ſcribit: *Quan-quam ſint, qui in aula palatij Regalis Epiſcopos conveniſſe ſcribant, verius ta-men eſſe exiſtimo, quod act. 1.* Cõcilij Chalcedonenſis *narratur, videlicet,*

in templo congregatos, certo loco & ordine sedentes, quæ erant Synodali judicio discutienda, & judicanda, plenè & perfectè absolvisse. In act. 1. Concil. Chalced. verò hoc non invenio. Dicitur quidem Chalcedonensem Synodum in Ecclesia sanctæ ac triumphantis martyris Euphemiæ celebratam esse; & Ephesinam in S. Ecclesia, quæ vocatur Maria. At de Nicæna, cujus aliquoties mentio fit, nihil habetur. Dicitur quidem in vita Const. lib. 3. c. 7. οἶκον εὐκτήριον ὥσπερ ἐκ θεοῦ πλατυνόμενον *templum Nicææ, velut à Deo amplificatum recepisse omnis generis homines.* Sed distinguendum omnino est inter οἶκον εὐκτήριον, *templum*, in quod procul dubio Nicæa confluxerunt diversissimarum gentium homines, & inter locum Concilij, quem vocat Euseb. *c. 10.* μεσαίτατον οἶκον τῶν βασιλείων, *mediam aulam Regalis Palatij.* Ubi Patres ad Concilium congregati fuerunt. Theodoretus consentit, cum *lib. 1. Hist. c. 7.* ait, *Imperator aulam illis in Palatio præparavit maximam, jussitq; tot scamna atq; sedes in ea locari, quot Episcoporum conventui satis esse possent.* Hinc, quantum in potestate Imperatoris fuerit Concilium, liquet.

§. 28. *Convocator Concilij ex autoritate & potestate an Constantinus M.? Baronij sententia.*

Quod Eusebius dixit supra §. 2 *Constantinum Imperatorem Concilium generale tanquam quendam Dei exercitum coegisse,* Baronius, ut Monarchiæ Ecclesiasticæ Rom. Pontificis attemperet, ita depingit *n. 13. cum interpellato Arianorum potissimum causa Sylvestro Papâ ab Alexandro Episcopo Alexandrino, ab eodem Osius Cordubensis Legatus missus esset in Aegyptum ac postea in Orientem eodem munere functus, ut, qui discesserant populi ab Ecclesia ob causam paschatis, revocaret, utroq; labore ob repugnantium pertinaciam casso reddito, opus esse, ad tot tantaq; dissidia Ecclesiastica componenda, universali Synodo eidem Romano Pontifici visum est; quod & ab eodem Imp. tum Romæ agente fuit, facile persuasum. Alexandrum quoq; quem diximus Alexandrinum Episcopum, de hac ipsa re literis apud eundem Imp. egisse, Epiphanius tradit* hær. 68. *Hinc est, quod Ruffinus* lib. 1 c. 1. in fin. ait, *ex Sacerdotum sententia Constantinum Nicænum convocasse Concilium; sed & redeuntem ex legatione Osium id ipsum præstitisse, Sozomenus* lib. 1. c. 7. *demonstrare videtur his verbis:* Verum ubi contra, quam exspectabat, res succederet, & contentio reconciliationem concordiæ impediret, Osiusque ad pacem faciendam missus, re infecta reverteretur, Constantinus indicit Concilium Nicææ, urbis Bithyniæ, scribitque ad omnes Ecclesiarum præsides,

des,

des, ut ad diem præstitutum adsint. *Hæc Sozomen. qui sic dicit à Constantino indictum esse Concilium, quod literis Imperatoris Episcopi convocati fuissent. Cœterum quod religio esset absq; Rom. Pont. authoritate universale Concilium congregare, quod, ut ait Socrates,* lib. I. c. 13. *id Ecclesiasticus Canon prohiberet, quo, inquit,* vetitū erat, ne decreta absq; sententia Episcopi Romani Ecclesiis sanciantur, ac subinde eo inconsulto nec quicquam tractare liceret, *interpositam esse Sylvestri authoritatem, nemo jure poterit dubitare, idq; cogente antiqua Ecclesiæ traditione. Quod enim non alicujus specialis Concilij, sed absolutè citetur à Socrate Canon Ecclesiasticus, planè declarat, id firma Regula in Ecclesia Catholica inviolabiliter servari solitum. Præcessisse igitur ante omnia Sylvestri Papæ authoritatem planè dignum atq; æquum est existimare; imò & affirmare necessarium &c.* Idem An. Chri. 324. n. 161. *Quonam,* inquit, *monitore novus Christianus recens Baptizatus tanta molitur, atq; rem aggreditur maximi omnium momenti, in quo totius Catholicæ fidei cardo verteretur, colligendo tanti ponderis Episcoporum conventu, quonam, inquam, potius auspice atq; impulsore, quam ipso S. Sylvestro, à quo nuper fuerat baptizatus, tam salubre consilium inijsse atq; felicissimè perfecisse putandus?* Nicolaus Sanderus *lib. 7. de visib. Monarch. p. 310. Quin,* inquit, *Constantinus Imp. Synodum Nicænam convocaverit, nemo dubitare potest, qui vel Ecclesiasticam historiam legerit, vel Iuris R. peritus fuerit, utpote, qui illa collegia, tanquam illicita, condemnavit, quibus in unum coëundi legitima potestas facta non fuisset. Quid quod cum pleriq; civiles Magistratus illo tempore à fide Christianorum abhorrerent, nunquam Episcopis commeatum liberum præbuissent, absq; Imperatoris publico mandato. Sed in hoc versatur tota quæstio,* utrum vel solus Imperator, vel is præcipuè Synodum indixerit, nec ne? *Protestantes quippe ab Imperatore alijsq; Regibus vel solis, vel potissimum Synodos indici volunt. Nos vero ab illis tanquam Ecclesiæ Advocatis sed nec ab eis solis, nec ab eis potissimum, Synodos Episcoporum aut olim fuisse indictas, aut nunc esse convocandas, defendimus.* Post generalia argumenta, quæ parùm valent, & alibi protrita sunt, sigillatim pro Concilio Nicæno hæc adfert, cum ait: *Synodum Nicænam ex Sacerdotum, hoc est, Episcoporum consensu indictam esse, Ruffinus testatur in 1. hist. suæ parte, c. 1. Inter cæteros autem Sacerdotes Romanum etiam eidem Concilio assensum præbuisse, Theodoretus narrat* lib. 1. c. 7. *Nec tantum hoc animadvertendum est, Romanum Pont. per suos presbyteros actis Concilij assensisse, verum etiam il-*

Nicol. Sanderi sententia.

lud, quod hi duo Presbyteri subscripserunt eidem Concilio ante quoscunq; etiam Apostolicarum sedium Episcopos. Nam in ipsis Episcoporum subscriptionibus, primas quidem Osius Cordubensis tulit &c. post Osium v. sequuntur nomina Viti & Vincentij presb. qui locum Episcopi R. supplevere. Ac proprium hoc sedi Romanæ est, ut sive Episcopus sive Presbyter sive Diaconus locum Episcopi R. suppleat, omnibus alijs Episcopis & Patriarchis in Concilio præferatur, cum tamen Presbyteri, qui vices aliorum Episcoporum agunt, non nisi post omnes Episcopos suffragium ferant, aut subscribant. Oportuit enim aliquid inter primam sedem & sequentes interesse. Rom. igitur Pontifex non modo assensit Synodo Nicænæ, verum etiam assensit primo in loco, velut cujus assensus maximè omnium esset necessarius. Imò Damasus in pontificali scribit, Concilium id cum Sylvestri consensu factum esse. Quibus verbis indicat, non tantum post coitionem Episcoporum affuisse consensum Sylvestri, sed propterea in hoc affuisse, ut coire possent: Adeò ut epilogus Synodi Romanæ sub Sylvestro habitæ dicat, trecentos decem & octo Sylvestri vocatione fuisse congregratos. Atq; etiam in Act. 18. sextæ Synodi scriptum est, Constantinum & Sylvestrum magnam Synodum in Nicæa congregasse. Cedrenus in comp. addit, Vitum & Vincentium Sylvestri loco & nomine Synodo Nicææ præfuisse. Nec tantum Chronographi, ut Marianus Scotus. Regino, Platina, & Photius in lib. de 7. Synod. verum etiam Ecclesiastica traditio & instrumenta publica idem ipsum confirmant. Extat enim & Epist. Synodi ad Sylvestrum sub finem Concilij Nicæni, & rescriptum Sylvestri ad Synodum Nicænam. Deniq; in Synodo 270. & amplius Episcoporum intra thermas Domitianas celebrata Sylvester dixisse legitur; Quicquid in Nicæa Bithyniæ constitutum est, ad robur S. matris Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, à S. Sacerdotibus 318. nostro ore conformiter confirmamus. Ita Sanderus. Sequitur Abr. Bzovius in Pont. R. c. 8. cui titulus, Pontifex Romanus Conciliorum author.

§. 29. Eusebij sententia confirmatur.

Sed Eusebio subscribunt reliqui. Socrates lib. 1. c. 5. Cum Imperator videret, his duabus contentionis tempestatibus Ecclesiam vehementer jactari, generale Concilium convocat, atq; Episcopos undiq; per literas accersit, ut Nicæam urbem Bithyniæ se conferant. Et c. 6. in Epist. Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam. Quoniam Dei gratiâ & mandato sanctißimi Imp. Constantini &c. Et in Ep. Imp. ad eandem Ecclesiam: Magnam Episcoporum turbam ad urbem Nicæam accersivi, quibus cum ego

(q

(qui unus ex vestrum numero sunt, quiq; eidem obsequio unà vobiscum lubentißimè me ipsum totum addico) operam dedi, ut veritas diligenter investigaretur. c. 7. *Imperator Acesium sectæ Novatianorum Episcopum ad Concilium acersivit.* Theodoretus lib. 1. c. 7. *Imperator celebre illud Nicænum Concilium cogit.* Et in c. 9. repetit Epist. Synodicam, c. 10. subjungit Imp. literas. Sozomenus lib. 1. c. 16. *Constantinus indicit Concilium Nicææ.* c. 18. in sermone Imperatoris ad Synodum: *Sacrum Concilium convocandum curavit.* Epiphanius *hæres. 68. Constantinus Synodum in urbe Nicæa convocavi.* Idem *hær. 69.* Imp. *de Ecclesia sollicitus, & quod jam multi sæpè inter se dissensissent, & sectæ multæ essent, convocavit universalem Synodum &c.* Nicetas Chonita *lib. 1. c. 5. Publico programmate Imp. edixit, ut omnes Episcopi Nicæam Bithyniæ metropolim convenirent.* Gregorius Presbyter Cæsareæ Cappadociæ *in Orat. de sanct. 318. Patribus Nicænæ Synodi & Constantino, quæ extat ap. Surium in Iulio p. 161. Victor inclytus divinas protenus mittit literas, per quas & Magistratus & eos, qui poterant, Episcopos Nicæam metropolim venire suadet.* Oratio historica de Synod. Nicæna Anonymi *ap. eundem Surium in Iul. p. 166. Concilium Pontificum in Bithyniæ urbe Nicæa congregat Imperator.*

Sed unde Baronius probat, authoritate Pontificis Sylvestri primùm id fecisse Constantinum? 1. *Quia Constantinus paulo ante apud Sylvestrum Romæ fuit, & ab eo baptismum accepit.* Atqui hoc incertissimum est. Nam Eusebius scriptor coævus & qui sine extremo famæ suæ periculo rem orbi notam alibi, quam ubi gesta est, narrare non poterat *lib. 4. de vita Constant. c. 62.* apertè testatur, Constantinum ad suburbana Nicomediæ progressum, baptismum ab Episcopis petijsse. Non meminit, quis baptismum administraverit. Ne verbum quidem de Eusebio Nicomediensi Ariano habet. Unde ineptiunt Moguntini, *in jud. Æquit. p. 51.* cum *& voluisse & potuisse Eusebium in favorem Arianorum comminisci fabulam de baptismo Constantini* contendunt. *Voluiße gloriam baptizati Imp. Romæ adimere. Voluisse asseverare, Constantinum, etsi pridem Athanasio faventem, tamen ad Arianismum postea deflexisse. Potuisse, quia hæreticorum hæc indoles, ut sibi permittant omnia. Publicè de Iesuitis falsa pronunciata esse. Me sæpè in fuco deprehensum. Historicos ex affectibus agere.* Sic etiam Binius *in notis p. 218.* At quanta quæso gloria, ita Romæ adime-

§. 30. *Baronij sententia confutatur.*

An Sylvester Constantinum ante Nic. Conc. baptisarit Romæ?

Moguntini notantur.

re glo-

re gloriam baptizati Imp. ut infamia mendacij ad orbem universum redundet? Si Romæ baptizatus fuisset Constantinus, ecquomodo Eusebius dicere potuisset, decennio & amplius demum post eum baptizatum fuisse in suburbano Nicomediæ? Romæ velut in theatro orbis, in conspectu Senatus universi, Imperatorem tantum, qui tot subegerat adversarios, qui universo gentilismo terrorem incusserat, baptismo solenniter aut saltem ita, ut ejus notitia ad alios emanare posset, initiari, quantam quæso famam per orbem excitasset? vix natio, conscia de Constantini in Christianismum affectu, ignara esse poterat baptismi hâc ratione à Constantino suscepti. Qui oderunt factum Constantini, ad id procul dubio cohorruerunt. Quomodo ejus intra decennium, & quod excurrit, potuerunt adeò deponere memoriam, ut aliquis audere potuerit scribere, id post demum contigisse, quod tamdiu anteà contigerat? Idem habendum de ijs, qui factum amarunt. De Eusebio, an post Concilium Nicænum Arianismum secutus sit, adhuc controversia est? Negat hoc P. Molinæus contra Perron. quem prolixè refutat Dionys. Petavius lib. 1. de Trin. c. 11. 12. Affirmat contra Perronij Replicam Blondellus de Primat. p. 892. & seqq.

§. 31. Cæterum Socrates ita baptismum Constantino collatum narrat, ut plane de relapsu aut favore in Arianismum nihil innuat. Lib. 1. c. 25. Arij interitum commemorat, & addit: *Hâc re gestâ ingens terror & exanimatio Eusebianæ factioni incussa est, fama rei non solum per totam civitatem, sed etiam per universum propè dixerim orbem terrarum permanavit. Imperator v. hâc ratione fidei Christianæ firmus adhæsit, fidem Concilij Nicæni autoritate & nutu divino reverà confirmatam asseruit, & propterea illo exitu Arij magnopere lætatus est.* Et post, cum narrasset, quomodo Imperator tertium Filium Constantem trigesimo anno Cæsarem creaverit. c. 26. memorat, quod tandem Nicomediam profectus in suburbio lavacro baptismatis, quod est Christianorum proprium, tinctus, testamentum fecerit. Theodoretus ita rem commemorat, ut à relapsu in Arianismum Constantinum omninò liberet. Sic enim lib. 1. cum proscriptionem Athanasij *c. 31* commemorasset, *c. 32.* inquit: Anno & paucis mensibus elapsis cum Imperator esset *Nicomediæ graviter ægrotare*

cæpit,

cæpit, cumque, secum considerasset, quam incertus sit humanæ vitæ exitus, donum SS. baptismatis accepit. Ad hoc namque tempus istud ideò distulerat, quod tenebatur magno desiderio, hoc salutare lavacrum in Iordane fluvio percipiendi. Athanasium v. magnum Alexandriam redire jussit, idque præsente Eusebio Episcopo Nicomediensi & contraria ei suadere laborante. Sozomen. *lib. 2. c. 30.* de Eusebij Nicomediensis artibus conquestus, fatetur, *illi & Arianis constitisse, Imperatori* ὁμοούσιον *probari.* Et *c. 32.* baptismum à Constantino, tanquam maximo fautore Christianæ religionis, susceptum indicat. Consentit Evagrius *lib. 3. c. 41.* ubi invehitur in Zosimum. Facile hinc judicare licet, cœco impetu Eusebium falsa narrantem non esse secutos Socratem, Theodoretum, Sozomenum, Evagrium, uti *Moguntini* volunt. Photius *in Bibliothec. Cod. 88.* de Gelasio Cæsareæ Episcopo inquit; *desinit in Constantini M. obitum, quando divino remißionis peccatorum lavacro suscepto vitæ hujus maculas, quas communi mortalium sorte contraxisse oportuerat, unà eluit. Baptismate vero tinctum refert ab orthodoxo Sacerdote sacroque ritu, non, ut quidam prodiderunt, ab hæreticorum aliquo.* Epitome Chronic. Græc. apud Scaligerum *in Animadver. ad Euseb.* dicit, Constantinum fuisse καταξιωθέντα τοῦ σωτηριώδους βαπτίσματος ὑπὸ Εὐσεβίου Ἐπισκόπου Κωνσταντινοπόλεως. Non itaque dicit Binius, quod ait dicere Eusebium, *Constantinum in extremo vitæ cursu multis annis post celebratum Nicænum Concilium in suburbijs Nicomediæ ab Eusebio Nic. Arianorum antisignano baptizatum, impium & ab Ecclesia Catholica prorsus alienum ex hâc vitâ migrasse.* Non hoc dicit Eusebius, nec quicquam vel in favorem Arianismi, vel de Eusebio Nicomediensi dicit.

Græcos Constantinum in Menologio commemorare, inter §. 32.
sanctos; universam Ecclesiam, teste Nicolao Pontific. nomen piissimi ei tribuere, eumque in diptychis recitasse; Patres Concilij Chalcedonensis Martianum Imp. piissimum & religiosissimum *novum Constantinum* appellasse, nobis non adversatur. Audet tamen Baronius asseverare, Constantini gloriam ex consuetudine cum Arianis obscuratam esse. Imperatorem Constantinum s. mysteriis tempore Paschatis interfuisse, & inter Episcopos in Synodo consedisse, non arguit, eum tum baptizatum fuisse. Etiamsi enim olim nondum baptizati non admissi fuerint ad mysteriorum Eucharisticorum celebrationem, quod Casaubonus *in*

Excert. adverſ. Bar. 16. ſ. 43. & Stephanus Durantus *de ritib. Eccleſ. 2. c. 1.* docent, quod id tamen Conſtantino nō licuerit, cujus ſummæ poteſtati Eccleſia plurima indulſit, quis dicet? Eadem ratio eſt conſeſſus inter Epiſcopos. Quod Euſebius refert, *multis annis ante finem vitæ Conſtuntinum ſe in tabula depictum contemplandum exhibuiſſe ſalutareq́; paßionis inſigne ſupra caput locatum in pictura expreßiſſe, inimicam autem illam & hoſtilem belluam, quæ Eccleſiam Dei impiorum tyrannide oppugnaſſet, in altum demerſam, Draconis ſpecie deſcribendam curaſſe: quæ Conſtantino applicari nequeant, ſi nondum baptizatus fuiſſet, quia omnis Catechumenus eſt energumenus, tantumq́; abeſt, ut ipſum ſerpentem occidat, ut potius ab ipſo poßideatur, cum aliter quam per baptiſmum à Catechumeno non expellatur;* Binium vehementer fefellit. Nam cum cælitus illuminatus & ad veram fidem converſus fuit Conſtantinus, jam omnium iſtorum inſignium, quæ pictura exhibuit, capax fuit, etiam nondum baptizatus. Quod omnem Catechumenum Energumenum dicit, in eo ignorantiam antiquitatis prodit. Adeat Leonem Alazium de templis veterum Græcorum Ep. 3. quæ eſt de Narthece Eccleſiæ veteris *num. 7. 8. 9. 15. 16. &c.* & ingens videbit diſcrimen. Addat *notat. 42. noſtram* ad Relationem Anonymi de reliquiis S. Marci.

§. 33. Hieronymus expenditur.

Hieronymus in ſupplemento Chronici Euſebiani *A. Dom.* 338. ait: Conſtantinus extremo vitæ ſuæ tempore ab Euſebio Nicomed. baptizatus in *Arianum* dogma inclinat, à quo uſque in præſens tempus Eccleſiarum rapinæ, & totius orbis ſecuta eſt diſcordia. Fatemur, Hieronymū ſine nobis cognito anteceſſore dicere, Conſtantinum ab Euſebio Nicomed. baptizatum fuiſſe. Fortaſſe, quia in ſuburbijs Nicomediæ baptizatus fuit, conjecit Hieronymus, ab Epiſcopo Nicomediæ baptizatum fuiſſe. At hoc ante Hieronymum nemo dixit. Quod addit, *ad Arianum dogma Conſtantinum declinaſſe*, partim ex Euſebij relatione ſcire non potuit, partim de aliqua conſuetudine cum Arianis accipi poteſt, ex qua gloriam Conſtantini obſcuratam dicit Baronius. Moguntini dicunt, perfidam manum alteriꝰ ſive ex factione ſive ex credulitate Euſebiana Hieronymi Chronico id appinxiſſe, quia Hieronymus in laudes Conſtantini alias copioſus eſt. Sed illa certa non eſt. Quis enim Arianus ſcripſiſſet, *Conſtantinum in Aria-*

num

num dogma declinasse, ut Ecclesiurum ruina & totius orbis discordia exinde secuta sit? Monet Josephus Scaliger *in animadversionibus Euseb.* hunc locum ab antiquo Cod. MSCto fuisse abrasum. Quod Hieronymus diversa de Constantino pronunciavit, adeò insolens non est, ut & Dionys. Petavius eruditis perpendendum dederit, quod Athanasius Marcellum Ancyranum nunc excusat, nunc vehementer notat, *lib. 1. de Trin. c. 13. n. 5.*

Verba Ambrosij non aliter quam de morbo, qui finem vitæ Imperatori attulit, intelligi possunt, nullo modo verò de commentitia lepra. Ita enim habent: *Licet baptismatis gratia Constantino in ultimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & post se hæreditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.* Non in ultimis constitutus dici potest statim, qui morbo incurabili affligitur. Constantinus autem ita in ultimis constitutus dicitur, ut decesserit & hæreditatem fidei Principibus reliquerit. Sed, quomodo magni meriti locum reperit, si ab Ariano baptizatus Arianus decessit? Hoc non dicit Ambrosius, & Binius ita Ambrosium interpretatur, qui tamen aliter explicari potest. Verba Ariminensis Concilij ad Constantium non de Constante, sed Constantino loquuntur. Interpres *Constans* legit. Græca habent: Κωνσταντῖνον Nec. aliud requirunt antecedentia & consequentia. *Indecens*, inquit Synodus, *& nefarium aliquid ex rectè & justè decretis & ex rebus publicè Nicææ cum Illustrissimo Principe Constantino patre tuo per accuratam deliberationem constitutis immutare velle in quibus tanta doctrina est & prudentia, ut ea ubique deprædicata ad omnium aures animosq; pervenerit, quæ sola hostis & interfectrix Arianæ hæreseως, & per quam non illa sola, sed & reliquæ hæreses sublatæ sunt, in qua certè & addere aliquid temerarium est, & auferre periculosum. Quorum si alterum fiat, erit hostibus quidlibet agendi libera facultas. Atq; ea de causa Ursacius & Valens jam pridem Socij & adstipulatores Ariani dogmatis à nostra communione sententia data segregati fuere, quam ut denuò recuperarent, de peccatis suis, in quibus se conscios agnoscebant, pœnitentiam veniamq; postularunt, ut eorum syngraphæ testantur, & ob id illis venia gratiaq; delictorum facta est. Hæc autem facta sunt eo tempore, quo Mediolani Synodus in consessum ibat, præsentibus ibidem Ecclesiæ Romanæ presbyteris. Fuitq; proinde nobis persuasissimum, iniquum esse, cum Imp. Constantinus*

§. 34. *Ambrosius expenditur.*

Ariminense Concilium vindicatur.

tinus, ab obitu ſuo dignus omni memoria, hanc fidem omni cura & diligentia conſcriptam promulgarit, tum demum, ex quo ille baptizatus ex hominibus in requiem translatus eſt, aliquid novi in fide moliri velle. Conſtantinus M. utique fuit ἐκτεθεικὼς Nicænam fidem μετὰ πάσης ἀκριβείας καὶ ἐξετάσεως conſcriptam: Conſtantinus ἐξ ἀνθρώπων ἐγένετο βαπτισθεὶς, καὶ πρὸς τὴν ὀφειλομένην εἰρήνην ἀνεχώρησεν. De Conſtante non conſtat, quod ἐξ ἀνθρώπων ἐγένετο βαπτισθεὶς, hoc eſt, mox atque baptizatus eſt. Dicit quidem Athanaſius in Apolog. *ad Conſtant. p. 528.* Magnentium interfeciſſe Conſtantem, nihil gratiam in baptiſmate ei datam reſpicientem; ſed quando Conſtans baptizatus, non meminit. Habet eandem Epiſtolam Synodicam Socrates *lib. 2. c. 29* Theodoretus *lib. 2. c. 19.* Sozomenus *lib. 4. c. 17.* & legunt conſtanter *Conſtantinus*, nec Chriſtophorſonus in translatione mutat. Peritia ergo fideque debita Athanaſium pro me citavi. Inſpexi Græca, contuli alios. Id Moguntini Criminatores intermiſerunt.

Moguntini notantur.

§. 35. Baronius Zoſimi & gentilium teſtimoniis, apud Sozomenum *lib. 1. c. 2.* confutatis, nititur. At illi nihil aliud, quod huc pertinet, dicunt, niſi *Conſtantinum in conſcientia titubantem in Epiſcopos incidiſſe, inprimis Hiſpanum aliquem, didiciſſe ab iis, doctrinæ Chriſtianæ ſententiam habere vim abdendi peccata, ſe pœnitentia & lavacro baptiſmatis eum ab omni peccato expiaturos.* Quando baptiſmo expiarint, non indicant. Deinde ad Concilium Romanum ſub Sylveſtro provocat. At quis illi fidem præbeat? Legatur tantum, & mox ſe prodet. Epiſcopi è Roma & locis vicinis numerantur 139 è Græcis plures. In ipſis Canonibus ridicula ſunt plurima. Si ex hoc Concilio hauſit Anaſtaſius Bibliothecarius, malè. Gregorius Turonicus ſexto ſæculo ſcripſit, quo jam fabula de baptiſmo Sylveſtri protruſa. Acta Sylveſtri, quibus tamen utitur, tum apud Græcos, tum apud Latinos corrupta eſſe, fatetur Baron. Tom. 3. An. Chr. *324 n. 31.* Cedreni, Glycæ & aliorum recentiorum teſtimonia contra antiquitatem parum valent. Unde ergo conſtat, paulò ante Nicænam Synodum Romæ fuiſſe Conſtantinum. Sed fuerit ibi, imò ſuſceperit ibi, baptiſmum à Sylveſtro, fuerit ibi ab Alexandro ex Alexandria & à Sylveſtro Romæ commonefactus de Concilio, quomodo autoritate & exprimatu Sylveſtrum egiſſe, probabit Baronius?

Baronii teſtimonia, quod Conſtantinus à Sylveſtro baptiſatus Synodo Nicænæ interfuerit, expenduntur.

Alſe-

Asserit hoc ideò 2. *quia Ruffinus ait, Constantinum Sacerdotum consilio convocasse Concilium.* Id facile creditur. Sed quæritur, an ex Sylvestri autoritate eminente? Asserit Baronius hoc 3. *Quia Canone Ecclesiastico vetitum erat, ne decreta absq; Episcopi Romani sententia Ecclesiis sanciantur.* Julij Pontificis Romani sunt illa verba apud Socratem *lib. 2. c. 1.* quibus reprehendit Antiochiæ congregatos Athanasij adversarios, παρὰ κάνονας ποιοῦντας, quod ipsum ad Synodum non vocaverint, τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ κάνονος κελεύοντος μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας. At quam parum est, quod Julius postulat, præ illo, quod Baronius Pontifici Rom. acquisitum it? Julius vult *vocari ad Synodum.* Baronius vult *ex autoritate, dictatura & plenitudine Pontificis Rom. Synodum debuisse institui*, ipso primo motore agi, ipso non prædeterminante & jubente non debuisse institui. Julius vult, *absq; sua sententia non debuisse Ecclesiis canones & leges præscribi.* Ratio est, quia ipse est primariæ & Dominæ urbis Episcopus, antiquo more in suffragijs ferendis primatum postulans. Et cæteri Patriarchæ quoque cum illis expostulaturi fuissent, qui sine suffragio suo auderent κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας. §. 36.

§. 37. *Sanderi testimonia confutantur.*

Sanderi pleraque, id quod in controversia est, non attingunt, nec probant, authoritate, potestate, dictamineque Sylvestri, tanquam capitis Ecclesiæ Monarchici & fontis atque authoris Conciliorum, Concilium Nicænum convocatum fuisse. *Pontificale*, quod sub Damasi nomine allegat, & est *Anastasij Bibliothecarij*, ut monuimus, infidam habuit manum. *Hujus*, inquit, *temporibus factum est Concilium cum ejus consensu in Nicæa Bithyniæ.* Non prodest causæ, etiamsi sic factum. Consensus non est semper à superioritate & potestate, nec sequitur, *consensu factum*, ergò ad id, ut coire possent. Vidit hoc quis alius Pontificiæ omnipotentiæ studiosus, & censuit, minus ab Anastasio dici, quam par est, ideòque legendum putavit, *ejus præcepto*, ut Dom. Nicolinus notat. Sed utrumque forte irrepsit in Anastasij textum. Epilogus est nothus. Habet *eodem tempore, quo Nicææ habitum Concilium, Sylvestrum Romæ & congregationem 267. Episcoporum* (alij habent 277, alij 284. è quibus 139. ex urbe Roma vel non longè ab illa, cæteri è Græcia) *habuisse.* Quis credat, Græcos Episcopos tanto numero

Quid de Epilogo Concilij Romani habendū?

contra publicum edictum à Nicæno congressu avocatos fuisse? Unde v. tot Episcopi Romæ vel non longe ab illa? Est plane epilogus ille lacinia Concilij Romani, de quo paulo ante. Memorat, *Photinum iterum in eo damnatum.* At is post in Sirmiensi Synodo damnatus: nunquam antea. Forte nondum notus, saltem ut hæreticus. Sileat ergo Epilogus.

Quid dicendum de Synodo Constantinopol. III in historia de Nicæna?

Sermo prosphoneticus ad Constantinum Pogonatum à Synodo III. Constantinopolitana, quæ est Generalis VI. An. Chr. 680. aut post habitus, non adeò militat. Nam trecentis & ultra annis distat à Concilio Nicæno, ac proinde ijs, qui rebus gestis propiores fuerunt, præjudicare nequit. Quod dicit, *Constantinum & Sylvestrum congregasse Synodum Nicænam,* dicit & *Theodosium & Damasum congregasse Constantinopolitanam I. contra Macedonium* quod pariter neque ante eum alius dixit. Theodoretus ei contradixit *lib. 5. c. 6. Theodosius Episcopos Constantinopoli in unum convenire mandaverat.* Socrates *lib. 5. c. 8. Imperator nulla interposita mora Concilium Episcoporum ipsius fidem amplectentium convocat.* Sozomenus *lib. 7. c. 7.* subscribit. Fatetur sanè Francisc. Long. à Coriol. summa Concil. Constantinopolitano I. Damasum neque per se, neque per Legatos interfuisse, quod non fecisset, si ipse concilium convocasset. Nihil igitur sermo ille persuadet, neque sibi satis constat. Cedrenus *Vitum & Vincentium Legatos* loco Sylvestri Synodo præfuisse dicit. Sed quid hoc ad authoritatem & eminentiam indictionis? Sanè is p. 234. quinque ἡγεμένους constituit Synodi Nicænæ. Sylvestrum per Legatos, Metrophanem Byzantinum (hanc collocationem Baronius, Sanderus, Pontificij alij ægrè vident) Alexandrum Alexandrinum, Eustathium Antiochenum, Macarium Hierosolymitanum. Marianus Scotus Sylvestri vocationis meminit. Martinus Polonus in supputat. *Sylvestri,* inquit, *præcepto in Nicæa Bithyniæ congregati sunt 318.* Episcopi, sed post; *Nicænum Concilium à Constantino ad condemnandam hæresin congregatur &c.* Regino Prumiensis hoc tantum dicit, *Sylvestri industria Synodum præclarißimam toto orbe terrarum 318. Patrum apud Nicæam urbem celebratam.* Platina noster est: *Constantini,* inquit, *mandato, adhibita etiã impensa, munificè quidem apud Nicæam Bithyniæ urbem Concilium generale indicitur.* De Photij & Synodi Sylvestrique authoritate jam actum. Cætera etiam expedita. Nihil ergo pro Ponti-

ficis

ficis R. authoritate irrefragabili in convocatione Synodi Nicænæ allatum est, quod vincat.

Quod supra p 5. Eusebius retulit, *Constantinum inter se controvertentes Ecclesiasticos in omnibus rebus, quæ in quæstionem aliquando venerunt, tum conspirantes animis, tum opinionibus adeò consentientes reddidisse, ut non modo concors fides inter eos vigeret &c.* Baronius, Bellarminus & alij negant; quia hoc ipso videretur officium Præsidis præstitisse in Concilio. Longus *p. 205.* exscribit eorum fundamenta. *Præsides*, inquit, *hujus Concilij fuerunt, non, quod volunt hæretici, Imperator, sed Osius Cordubensis Episcopus. Vitus & Vincentius presbyteri, Rom. Pontificis Legati.* (Sed de hac legatione jam actum §. 20.) *Hoc aperte asseritur quadam præfatione Concilij Sardicensis.* (At illa præfatio commentitia est.) *Hoc idem indicat Athanasius ep. ad solit. Vit. ag. scripta, qua dicit*, Osium in hoc Concilio Principem fuisse; (At non principatus autoritatis & jurisdictionis, sed virtutis & doctrinæ per Athanasium Osio tribuitur.) *Nomen vero ipsius Osij cum Presbyterorum Viti & Vincentij nominibus ante aliorum Patriarcharum nomina subscriptum, non aliud sanè indicat, quam tres primo loco subscriptos ejus vicem & locum in Synodo obtinuisse, cui primarius ac supremus locus jure meritoq; debetur.* (Ordinis & sessionis inter Episcopos, non jurisdictionis & potestatis monarchicæ, adeoque nec præsidentiæ absolutè competentis. Alias & ordinis actus ab alijs præstitos esse, in quo posthabiti Vitus & Vincentius, ex historia manifestum est. *Statim ut sessum est*, inquit lib. 1. c. 7. Theodoretus, *Eustathius ille magnus Imperatorem laudis insignibus ornare, & ei pro singulari suo studio erga res sacras eximia præconia tribuere cœpit.* Sozomenus lib. 1. c. 17. id de Eusebio dicit.) *Cedrenus scribit in compendio historiarum & Photius lib. de Synodis, Sylvestrum per suos Legatos Nicænæ Synodo autoritatem contulisse* (sc. quantum ex parte sedis Romanæ) *quod sanè non aliter intelligi potest, quam SS. Synodum Legatorum Pontificiorum autoritate inchoatam, præsidio eorundem feliciter absolutam, ac demum confirmatione Pontificis approbatam, inter oracula Spiritus S. receptam, probandi ac confirmandi ea, quæ fidei sunt, legitimam vim & autoritatem consecutam esse.* (O liberalem interpretationem & longam Longi consequentiam!) *Vt Concilij Præsidem egerit Constantinus Imp. qui teste Ruffino l. 2. se Episcopis inferiorem ijsq; subjectum aperte professus est.* (At hoc

§. 38.
An Constantinus M. fuerit Præses Politicus Concilij Nicæni?
Fr. à Longo Coriotanus, refutatur.

Athanasius vindicatur.

[H]oc non dicit Constantinus, cum Episcopos Deos dicit, ab ipso non judicandos: Honoris, non juris ista verba fuerunt, quo aliàs Constantinus erga Episcopos usus est. Voluit in solenni amplissimoq; isto conventu particulares litigatiunculas prȩscindere & ad universale bonum disponere Episcopos,) *qui non nisi annuentibus Episcopis, ut scribit Eusebius in vita ejus* (Eusebius ita loquitur: *simulac ad summum locum venit, primum in medio conventu erectus constitit, ac cum parva quædam sedes ex auro fabricata illi esset loco posita, non prius consedit, quam annuerent Episcopi.* Pertinet hoc ad humanitatem civilitatemque Imperatoris, & Episcoporum submissionem notat. Nihil in hoc, quod Præsidentem non deceat) *sede humiliore sedere ausus fuit* (humilior situ sedes, sed aurea, in medio cœtus, præsidentiam cœteris paribus non tollit) *qui non primo, sed ultimo loco post omnes alios Episcopos, teste Basilio in fine octavæ Synodi, subscripsit, ut hic, inquam, Concilij præses fuerit, cui prima sedes, primaq; subscriptio debebatur, non est credibile.* (Imò v. nihil abhorret. Non enim Præsidis Ecclesiastici, qui ad ordinem servandum dari potest, sed Politici & αὐτοκρατορικοῦ functus fuit officio. Itaque extra Episcoporum censum ubicunque subscripsit, autoritatem τοῦ ἔξω ἐπισκόπου habuit.) *Et Athanasius profecto, Osius atq; Leontius Constantium, quod præsidium Synodi illegitimè sibi vendicasset, non tam acriter reprehendissent, si antea Pater Constantinus in Nicæno concilio præses fuisset. Athanasius in Ep. ad solitar. Constantiū, quod in Concilijs primas partes tenere vellet, redarguens, si, inquit,* judicium Episcoporum est, quid cum eo commune habet Imperator? (Non hoc vult Athanasius, Imperatorem planè nihil communicare posse cum Episcoporum judicio. Athanasius vidit Constantinum in medio Episcoporum, velut unum ex Episcopis, de rebus fidei consultantem, disputantem, cohortantem, definientem, ad concordiam redigentem, de quo omnes testantur. Imò Athanasius verba Ariminensis Concilij, de quibus supra, laudat, quibus dicitur, *Nicænos Patres cum Illustrißimo Principe Constantino decreta per accuratam deliberationem constituisse.* Hoc arguit in Constantio, quod per vim egerit, judicium sibi nimium sumserit, Episcopos terruerit præjudicijs, ab ipsis informationes respuerit, ex judicio Ecclesiastico judicium Politicum fecerit, non ut membrum Ecclesiæ, sed ut Dominus ex plenitu-

dine

dine poteſtatis ſententiam tulerit. Id facta Conſtantij teſtantur.) *Idem refert, Oſium eidem Conſtantio ſcripſiſſe.* Nec nobis in hoc genere præcipe, ſed ea potius à nobis diſce. Tibi DEus imperium commiſit, nobis ea, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit.) Eſt hoc id, quod dixi. Per imperium progreſſus Conſtantius non è regula S. literarum agere voluit, ſed ex præconcepta opinione. Non putavit Oſius, ea quæ ſunt Eccleſiæ, Conſtantio non eſſe concredita. Sed noluit ita eſſe concredita, tanquam abſolutè & ſolùm ſua poteſtate ea complecteretur, ſicut civilia. Noluit ita eſſe concredita, ut ex verbo Dei reclamantes Epiſcopos reſpueret.) *Et non procul à fine:* Quis enim, *inquit*, videns eum in decernendo facere ſe Principem Epiſcoporum & præſidere judicijs Eccleſiaſticis, non merito dicat ipſum eam ipſam deſolationem abominationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt. (vide Prodromum meum Anticriſεως ad jud. Eccl. pag. *66.* & ſeqq. Præſidere judicijs Eccleſiaſticis, quod in Conſtantio improbatur, eſt tyrannicum, non ordinatum, ubi, quod ibidem, dicitur, *in ſpeciem judicium Epiſcoporum prætenditur, agitur autem, quod volupe eſt) Suidas in vita* *Suidas vin-*
Leontij ſcribit, quod, cum Conſtantium in Concilio præſidentem & loquentem *dicatur.*
videret, ad eum dixerit, miror, quod propria (bella nimirum aliaque civilia negotia) *negligens, te in alienis* (Eccleſiaſticis) *tam curioſum præbeas* (Recitemus hiſtoriam ex Suida non truncatam, *Aliquando Conſtantio inter Epiſcopos* προκαθημένω *præſidente & Eccleſiis præſcribere volente* ἄρχειν θέλοντος, *plerique, quicquid ille dixiſſet, cum plauſu & admiratione accipiebant, rectiſſime id eſſe dictum aſſerentes. Hic vero tacebat. Quem cum rogaret Imperator, quid tu ſolus omnium taces?* Miror, *inquit*, quî fiat, ut alijs curandis deſtinatus alia tractes, qui cum rei militari & reipub. præſis, Epiſcopis ea præſcribas, quæ ad ſolos Epiſcopos pertinent. Notat, quod ultra terminos rebus ſacris præſcribendis ſe miſcuerit.) Hactenus Longus.

Bellarminus *lib. 1. de Concil. c. 19.* hæc addit: *Conſtantinus in Con-* *§. 39.*
cilio Nic. profeſſus eſt, ſe debere ab Epiſcopis judicari, nolle ipſos judicare. Re- *Bellarmi-*
ſpond. 1. Ruffinus *lib. 1. c. 2.* quem Bellarminus adducit, non dicit, *nus confu-*
Conſtantinum debere Epiſcopis ſubjectum eſſe, non præpoſitum. Cardinalis *tatur.*
addit de ſuo. Deinde Conſtantinus loquitur de judicio circa perſonas & mores Epiſcoporum. De his enim querelæ Impera-

tori deferebantur. Denique illa præsidentia, quam exercuit, circa doctrinam & statum Universalis Ecclesiæ fuit. Addit Bellar. Ambrosius ep. 32. dicit: Constantinum in Concilio Nicæno non se fecisse judicem, sed liberum reliquisse judicium Sacerdotibus. Bene. Hoc est officium Præsidis Politici cum autoritate Concilio assistentis: præscribit ordinem, non doctrinam. In hac constituenda liberè secundum scripturam cum Sacerdotibus incedit. Non enim Sacerdotibus solis judicium relinquendum. Nec Sacerdotis libertas est indefinita, sed directioni & ordini obnoxia, non se fecit judicem pro imperio, sed cum scriptura. Sed de illa Epistola vide Anticrisin contra Ern. de Euseb. *sect. 4. q. 9. disc. 1. p. 155.* Addit Bellarm. *Athanasius in Sec. Apol. dicit, non posse haberi Synodum, in qua non Episcopus, sed Comes aliquis præsederit.* Benè, Episcopus non est excludendus, aut suo dejiciendus loco. Præsidentia & directio in corona Episcoporum, Episcopo debetur. Comes autem vice Imperatoris, aut summi Magistratus præsidere directioni potest exteriori.

§. 40. Sic Bellarminus expeditus est. Constantini verò presidentiam satis etiam post Eusebium tuentur monumenta historicorum. Socrates repetit ex Eusebio illam Constantini præsidentiam, *qua toleranter & placide omnibus animum attendit, studio acri prolatas sententias sensim excepit, vicissim utriq; disputantium parti opem tulit, eos magna cum contentione digladiantes paulatim reconciliavit, cum singulis comiter & benignè sermonem contulit, alijs persuadere, alios sermone lenire, alios, qui diserte dixissent, collaudare instituit, omnes deniq; ad concordiam eatenus reducere contendit, quo ad eos in omnibus rebus, quæ in quæstionem aliquando venerunt, conspirantes animis & opinionibus reddidisset.* Sic is *lib. 1. c. 5.* Quid à præside requiritur, quod Constantinus non præstitit? Sanè apud Theodoretum *lib. 1. c. 20.* ita ille scribit ad Nicomedienses: *Concilio Nicææ celebrato, sicut conscientiæ meæ munus postulabat, inter fui, non alio sanè animo, quam ut tum concordiam inter omnes constituerem, tum maximè omnium eam Ecclesiæ perturbationem, quæ Arij Alexandrini amentia orta est, reprimerem penitusq; inde submoverem.* Sozomen. *lib. 1. c. 19.* *à Sacerdotibus de fide disputari cæptum est. Imperator autem utriusq; partis rationibus non attentus solum, verum etiam patientes aures præbuit, atq; ut his, qui bene dixerunt, assensus est, sic*

illos,

illes, qui errandi studio ducebantur, à contentione avocavit: cum singulis deniq;, quatenus eorum sermonem assequi & intelligere poterat, eatenus benignè ac placidè disseruit. Ad extremũ omnes sacerdotes inter seipsi cõsensêre. (moderante utique Constantino.) *Imperator hanc Concilij consensionem à Deo approbatam opinatus lubens suffragatus est. Eum autem qui Concilij decretis contraveniret, utpote divinas decisiones labefactantem, edixit exilio multandum.*

Deleat ergo & Bzovius, quod de R.P. *c.9.* cui titulus, *Pontifex Rom. Conciliorum oecumenicorum præses*, scripsit, *Constantinus Imperator, quamquam ad ornandum cætum Concilio Nicæno interfuisset, præsidis tamen neque locum neque officium sibi usurpavit.* Is & c. 10. cum *Papam præfinitorem Conciliorum* prætendit, impertinenter adducit, quod Athan. *in Ep. ad solit. vitam agentes* de Osio dicit pag. 648. οὗτος καὶ συνόδων καθηγεῖται, καὶ γράφων ἀκούεται πανταχοῦ. οὗτος καὶ τὴν ἐν Νικαίᾳ πίστιν ἐξέθετο, καὶ τοὺς Ἀρειανοὺς ἐκήρυξεν αἱρετικοὺς εἶναι πανταχοῦ. *Hic Princeps est Synodorum, & si quid scribit, ubique auditur, hic formulam fidei in Nicæa concepit, & Arianos ubique pro hæreticis traduxit.* At primò supra §. 17. notatum est, Josephum Presbyterum Arabicum referre, Hierosolymitanum Episcopum, Macarium utique, Constantino fidem Nicænam descripsisse. Deinde Osium ut Legatum Rom. Episcopi Synodo interfuisse, non satis constare, notatum est supra § *20*. Tertio nõ ita disertè Athanasius dicit, Osiũ fidei Nicænæ formulam concepisse, uti Baronius ex interprete, & Bzovius recitant. Potest sensus esse: Hic fidem in Nicæa exposuit, sc. tanquam in disputatione exercitatus.

§. 41. *Athanasius vindicatur.*

Quod Eusebius dicit, *sedes pro Episcopis in utroque aulæ latere ordine fuisse dispositas*, de eo non una est opinio Cardinalium Baronij & Bellarmini. *ILLE* censet, *eum Episcopum, qui brevi sermone Imperatori gratias egit*, sc. Eustathium Antiochenum, *in dextero latere & ordine primam sedem occupasse, quia ille minus dignus, locum sinistrum dextræ partis loco in Ecclesia sanctiorem & digniorem semper habitam, hinc imagines Petri & Pauli in diplomatibus B. Virginis & Iohannis Crucifixo adjunctas & alia plura id testari: inde factum, ut in Nicæno Concilio à leva parte, velut digniore, Pontificis Romani Legati, Osius, Vitus, & Vincentius consederint, mox Alexander Alexandrinus a dextra, Eustathius Antiochenus & cæteri, inter utrumque ordinem sedisse. Summo loco Imperatorem.* HIC tres ordines

§. 42. *Modus sessionis in Concilio.*

dines in Concilio facit, *unum à dextris Imp. alterum à ſiniſtris, tertium in capite aulæ totius.* In tertio ait, *medium ſediſſe Imp. inter Oſium Legatum Pontificis & Alexandrinum Alexandrum, nec non Vitum & Vincentium. Deinde Ordinis ejus, qui erat à dextris, primum ſediſſe Euſtathium Antiochenum. Alterius ordinis, qui erat à ſiniſtris, primum ſediſſe Macarium Hieroſolymitanum.* Bellarminus ſuæ conjectationis nullum fundamentum habet. Baronij opinio à me ex Lælio Biſciola diſcuſſa eſt, in Pentadec. diſp. 14. §. 2. & ſeqq. imprimis §. 8. Recedit ab ea etiam Theophil Renaudus *in diſp. de Eccleſ. bicipite puncto 7. n. 4. & ſeqq.*

§. 43. *Sacra ſcriptura in Concilio Nicæno etiam in medio locata.*

Ritum Concilij ſubſequentibus pleriſq; uſurpatum, ut ſc. Sacra ſcriptura in medium collocaretur, etiam in Nicæno uſurpatum fuiſſe, imò ex Nicæno in alia emanaſſe, valde probabile eſt. Graviſſima ſunt Conſtantini M. verba, quæ in Concilio protulit, tanquam digitum divinis libris intenderet, quæ habet Theodoretus lib. 1. H. E. c. 7. cum ait: Ἐυαγγελικαὶ βίβλοι καὶ Ἀποστολικαὶ καὶ τῶν παλαιῶν Προφητῶν τὰ θεσπίσματα σαφῶς ἡμᾶς, ἃ χρὴ περὶ τοῦ θείου φρονεῖν, ἐνπαιδεύουσι. τὴν πολεμοποιὸν οὖν ἀπελάσαντες ἔριν, ἐκ τῶν θεοπνεύστων λόγων τῶν ζητουμένων τὴν λύσιν: *Evangelici & Apoſtolici libri, nec non antiquorum Prophetarum oracula planè inſtruunt nos, quid de divino Numine ſit ſentiendum. Proinde hoſtili poſita diſcordia, ſumamus ex divinitùs inſpiratis teſtimonijs explicationes quæſtionum.* Mox poſt Nicænum in Romano Concilio ſub Julio, is ritus obſervatus, ut celebraretur *propoſitis Sacro-Sanctis & venerabilibus Evangelijs in Eccleſia Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, quæ vocatur Conſtantiniana.* De Epheſino Concilio ait Cyrillus Alexand. *in Apol.* S. Synodus *in Sancta Eccleſia, quæ Mariana vocatur, congregata eſt: Chriſtumq́; aſſeſſorem capitis loco adjunxit: venerandum enim Evangelium in S. thronum collocavit; tantum non in aures Sacerdotum clamans juſtum judicium judicate.* Sic & in Aquilegienſi Concilio tempore Damaſi, ut habet Epiſtola Synodi, *propoſitæ divinæ in medio Scripturæ.* Sic & Chalcedonenſe Concilium, ut habetur Act 1. habitum, *antepoſitis in medio ſacroſanctis & venerabilibus Evangelys.* Et in Act 7. Cōſtantinop. *quæ lecta eſt Epheſi, relecta Chalcedone,* propoſitis *ſanctis & tremendis Evangelijs.* Conf. Collat. ad Synod. Francof *p. 130.* & ad Sirm. *p. 120.* Nimirum propoſitæ in medio divinæ ſcripturæ ſupra Concilium ſunt & ſolæ infallibilitatis ſunt principium. Itaque Concilio

ſecun-

ſecundum ſcripturam pronuncianti credendum. Quomodo Antoninus Archiep. Florent. *p. 3. ſummæ. tit. 23. c. 2. §. 3.* ait, *Concilium* (ſc. ſcriptura tutum) *poſſe Pontificem R. de hæreſi comdemnare.* Aliàs ſi Pontifex meliora fundamenta & teſtimonia adferat, quam Concilium, ſtandum eſſe ſententiæ Papæ, idem pronunciat. Abſolutè autem loquendo Pontificem id poſſe, quod Concilium, negat, Frid. Nauſea Blancicampianus, Ferdinandi I. Imper. Conſiliarius, & poſt Epiſc. Viennenſ. *Rerum Concil. lib. 3. c 3. Venit,* inquit, *in quæſtionem, num ipſe Pontifex Max. quem Papam vocamus, adeoq; ſedes Apoſtolica cum ſua, quam vocant, Curia, præſtare poßit, quod præſtat Concilium? Non defuerunt hactenus, qui ipſum poſſe reſponderunt, quia poßit ipſe per Epiſtolas aut per alias vias Eccleſiæ cauſas & emergentes caſus definire, vitiaq; paßim tollere. Ipſi v. Pontificem M. poſſe idem, quod Concilium, prorſus inficias iverimus, & imprimis quidem propterea, quod, ſi minus agerentur Concilia, foret, ut pleraq; mala non ſolum impunita manerent, ſed & invaleſcerent, quæ vel ſola Eccleſia, quæ per Conciliū repreſentatur, ſingulari quadam autoritate citraq; formidinem corrigere poteſt, quæ alioqui ſub prætextu fidei corruptæq; conſuetudinis, perinde atq; juſta & licita, reputarentur. Deinde ſi Pontificis eſſet facere, quod Concilij eſt, fieri poſſet, ut corrigenda dißimularet ipſe, malaq; è medio ſuſtollere negligeret, cum non ignoraret, turpe futurum Doctori redarguere culpam, quæ tangeret ipſum, reprobus & ipſe hoc poſſet Servatoris audire, Medice cura te ipſum: & hoc etiamnum:* Qua fronte dices fratri tuo, ſine, ejiciam feſtucam ex oculo tuo, cum ipſe geſtes trabem in oculis proprijs? *Sane ſui judex ſit oportet, qui parat in alios pronunciare & ſibi monitor ſit oportet, qui velit alios admonere. Iam v. non poteſt eſſe obſcurum, quantis laboret Romana curia vitijs & ſcandalis, quorum cauſa præ cæteris reformari indigeret.* Hæc & alia plura Nauſea.

Sacræ autem literæ, velut tutiſſimum optimumque fundamentum, agnitæ fuerunt tempore Concilij Nicæni communiter. §. 44. Theodoretus *lib. 1. c. 3. Alexander Alexandrinus Sacrarum literarum disciplinæ obſecutus &c.* Et rurſus: *Alexander doctrinæ Apoſtolicæ patronus:* c. 4. in Ep. ad Alexand. Conſtantinop. Alexandrum Alexand. ita ſcribentem notat: *Hoc poſito filium Dei ex nihilo factum, literarum Sacrarum, quæ verbi Dei æternitatem, immutabilitatem, ejus ſapientiæ divinitatem docent, prorſus labefactatur autoritas.* Et paulo poſt ita de Arianis dicentem memorat. *Se ſolos ſapientes, ſolos egeſtatem voluntariam*

ſectantes, (ſolos regeneratos, uti P. Valerianus ſuos jactat complices) *ſolos dogmatum inventores, & ſibi ſolis ea doctrinæ patefacta myſteria, quæ in nullius unquam ſub ſole cogitationem & mentem venerint, arbitrantur. O impiam arrogantiam, O inſaniam immenſam, O inanem gloriam cum furore conjunctam! O ſpiritus planè Satanicos, qui impijs eorum animis velut callum malitiæ obduxere. Non* divina veterum ſcripturarum claritas, *ullum ipſis incuſſit pudorem &c.* Et infra: *Vnum ſpiritum S. ſicut nos docent ſ. literæ, confitemur.* Idem teſtatur Ep. citat. *Arianos ex ſ. literis ſelectis vocibus ſe defendiſſe.* Euſebius Nicomedienſis literas etiam Sacras pro ſuo fundamento allegat apud Theod. *lib. 1. c. 1.* Non igitur Catholici tum *melius* fundamentum habebant, quam ſe habere profitebantur Ariani, ſed *meliùs*. *Meliùs*, non *meliori*, ſed communi fundamento, utebantur illi, quam hi. Ineptit P. Kedd, cum à nobis *melius* poſtulat. Contenti ſumus optimo. Parati autem ſumus, evidenter oſtendere, per media legitimæ interpretationis, nos melius optimum uſurpare, quam quivis noſtri adverſarij. Sed vide præf. nov. ad ſcrup. Relig. An mos in medium Synodi collocandi S. Scripturam in Concilio Tridentino obſervatus fuerit, neſcio. Habeo illius delineationem Venetijs A. 1563. excuſam. In ea nuſpiam Biblia conſpicio. In medio menſæ aſſidet ſecretarius Concilij. In menſa eſt automatum, charta, atramentarium. Ad menſam ſignum crucis erectum. Ante quam Legatus Regis Philippi ſolus in ſella conſedit.

§. 45. *Autoritas Concilij Nicæni.* Autoritas Concilij Nicæni erat poſt S. literas ſemper maxima. Conſtantinus *in Epiſtola ad Eccleſias de Synodo Nicææ habita ap. Euſeb. lib. 3. Vit. Conſt. c. 18. Libentibus animis hoc decretum tanquam donum Dei & mandatum revera cælitus dimiſſum amplexamini. Nam quicquid in Sanctis Epiſcoporum Concilijs decernitur, id univerſum divinæ voluntati debet attribui.* Idem *in Ep. ad Alexandrinam Eccleſiam ap. Soc. lib. 1. c. 6.* Nam *quod trecentis Epiſcopis viſum eſt, non eſt aliud putandum, quam Dei ſententia, præſertim cum in talium & tam præclarorum Virorum mentibus ſacer inſideret Spiritus, qui illis divinam voluntatem aperuerit.* Meminit & Sozom. *lib. 1. c. 24.* Damaſus & cœteri Epiſcopi in Rom. Concil. *in epiſt. ad Epiſc. Illyrici*, quæ eſt apud Sozom. *lib. 6. c. 23.* CCCXIIX. *Epiſcopi Patres noſtri, habito Nicææ Concilio, hoc muro ad arma Diaboli arcenda fidem noſtram cinxere, & hoc antidoto venena depulêre*

morti-

mortifera. Concilium Ephesinum *in Epist. ad Nestorium post Nicænam confessionem recitatam; Sequentes,* inquit, *omnium SS. Patrum Confessiones, quas loquente in eis Spiritu S. protulerunt &c.* In Concilio Chalcedonensi *Constantinopoli Act. II. acta, sed Chalcedone lecta,* ita habent: *Patres nostri, qui in Nicæa convenerant, non à semet ipsis locuti sunt, sed quod Spiritus S. dictavit.* vid. act. I. Conc. Chalced. Leo Pontif. *Ep. 53. Tanto divinitus privilegio Nicæna Synodus est consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures Ecclesiastica judicia celebrentur, omni pene autoritate sit vacuum, quicquid ab illorum constitutione fuerit diversum.* Et post. *Patres, qui in urbe Nicæna, mansuras usque in finem mundi leges Ecclesiasticorum Canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt.* Idem *Ep. 55. Ecclesiasticæ leges, quas ad pacificationem omnium Sacerdotũ per 318. antistites Spiritus S. instituit &c.* Constantinopolitana III. Synodus *in serm. prosphenet. ad Imper. Per Nicænam Synodum ipsa Trinitas tum fidei Symbolum dictavit &c.* Διὰ τῆς ἐν Νικαίᾳ μεγάλης καὶ περιβλέπτου συνόδου ἡ τριὰς τότε τῆς πίστεως ὑπηγόρευσε σύμβολον. Athanasi in eum sensum dictũ explicavimus *in collat. ad Synod. Sirmiens. 9. 5.* Nimirum non hoc innuitur, eo modo θεοπνεύστους fuisse Synodi Nic. patres, quo sancti Dei homines, quos ad Canonicam scripturam signandam assumsit Deus, sed quod singulari Dei moderamine, cui non opposuerunt renitentiam, in scripturarum divinarum scrutinio versati & ita gubernati fuerint, ut ipsam cœlestem viritatem profiterentur. Ita & in alijs Synodis loquebantur. Sic *in V. Synodo Generali* Acacius Archiep. Constant. scribit ad Petrum Antiochenum: *Ego & S. Synodus hic secundum Dei nutum congregata &c.* Sic Aurelianense 2. tempore Vigilij: *Quid de novis ambiguitatibus pro captu intelligẽtiæ, illuminate Domino, sensorimus, expressimus sigillatim.* In Aurelianensi III. dicitur: *DEo medio.* In Aurelianensi IV. dicitur *præstante Deo* In Braccarensi Concil. I. *Optatum congregationis diem gloriosissimus atque piissimus filius noster Ariamirus aspirante sibi Domino regali pracepto concessit &c.* Et Braccarensi II. *Inspiratione hoc Dei credimus provenisse, Sanctissimi Patres, ut per ordinationem gloriosissimi Filij nostri Regis ex utroque Concilio conveniremus in unum.* Sic Concilium Toletanum IIX. c. 10. de lege Principis ex decreto Synodi dicit: *Spiritus S. qui per utrasque definitiones mortalium corda perflavit.* Concilium Toletanum IX. monita Conciliorum vocat *Sacræ instru-*

ctionis

ctionis arcana. Braccarense III. ita loquitur: *Decenter satis per divinum spiritum in Braccarensi urbe collecti &c.* In Synodo sexta Constantinopolitana act. 1. dicitur, ea celebrata, *præsidente pijßimo & Christo dilecto magno Imp. Constantino, in secretario Sacri palatij, quod cognominatur Trullus, ex jußione ejus à* Deo instructæ *serenitatis &c.* Rhemensis Synodus A. D. 813. *Primo omnium mediante Mense Majo* Deo inspirante *ab eisdem venerabilibus Patribus institutum est jejunium &c.* id paulò post, *eo miserante, eo cooperante.* Synodus Triburiensis in præfat. de Arnolpho Rege, *Considerans idem sapientißimus Rex profundæ mentis intuitu abundantem in se spiritus Sancti gratiam, anno incarnationis Iesu Christi Domini nostri 895. regni sui 8. indict. 13. m. Majo* ejusdem S. Spiritus instinctu *& primatum suorum consultu venit in villam suam Regiam &c.* Et post de ijs, qui Synodo interfuerunt: *Recto ordine consederunt* & prævio S. Spiritu *quædam capitula magis necessaria ex Canonicis institutionibus subscripserunt &c.* Sanè secundum ea, quæ Bellarminus *lib. 2. de Concil. c. 12. §. 2.* de differentia inter S. scripturam & Concilia proposuit, Concilium Nicænum *non est immediatè à Deo revelatum, & Deo dictante scriptum, ut verbum Dei, sed tantum declaravit, quod sit verbum Dei, & quomodo intelligi debeat, & ex eo per ratiocinationem eduxit conclusiones. Debuit idem veritatem ipsam quærere & conclusiones investigare disputando, legendo, cogitando Potuit in judicijs particularibus errare. Maxima pars actorum ejus ad fidem non pertinuit. Non fuerunt de fide disputationes, quæ præmittebantur, neque rationes, quæ addebantur, neque ea quæ ad explicandum & illustrandum afferebantur, sed tantum ipsa nuda decreta, & ea non omnia, sed tantum, quæ proponebantur tanquam de fide, & in ipsis decretis de fide non verba, sed sensus tantum ad fidem pertinebat.*

§. 46. Gregorij M. sententia expenditur.

Sobriè ergo accipienda verba Gregorij M. quæ habet *lib. 1. ep. 24.* ad cæteros Patriarchas, qua se ad Episcopatum Rom. pervenisse illis indicat & confessionem suam edit, dicens, Sicut *Sancti Evangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor. Nicænum sc. &c.* Bellarminus *lib. 2. de Concil. c. 12. §. ult.* dicit, *non comparari à Gregorio Concilia cum Evangelijs in omnibus, sed tantum in ipsa certitudine eorum, quæ in scripturis dicuntur & in Concilijs definiuntur, cum utraque sint infallibilis veritatis.* Malè: quæ enim in scripturis dicuntur, à nulla alia revelatione dependent, quæ autem in Conciliis definiun-

definiuntur, à revelatione dependent superiori. Itaque ei, quod in Concilio Nicæno definitum est, non credo, quia à tot & talibus Patribus definitum, licet illorum consideratio aliquod motivum credibilitatis suppeditare queat: Interim illa definitio est actus merè ministerialis, quo Patres adhibitis mediis idoneis eos terminos in terminandis dubiis è S. literis constituerunt, quos evidentia illarum scrutantibus præbuit. Igitur in ipsam definitionem Concilij, ut sic, respiciendo, non est illa certitudo, quæ in S. literis est. Rectè S. Augustinus lib. 11. contra Faustum c. 5. *Etsi in Conciliorum decretis & Episcoporum scriptis invenitur eadem veritas, quæ in S. scriptura, longè tamen impar est autoritas, nec ullo modo Canonicæ Sacrarum scripturarum excellentiæ coæquantur.* Melius idem Bellarminus, cum inquit, *illud* sicut *sonare similitudinem, non æqualitatem.* Optimè dicitur, illud *sicut*, neque æqualitatis neque similitudinis esse, sed veritatis & sinceritatis. Consequentias, quas Valerianus Magnus contra hanc sententiam nectit *in jud. de Acatholicorum cred. Reg.* alibi expenderunt nostri.

§. 47. Quamvis autem definitio illa Nicæni consessus non sit ratio credendi, seu id, in quod resolvitur fides Christiana, & nemo admittere aut credere teneatur aliquid verum esse, etiamsi forte verum sit, quia in Synodo v. g. Nicæna vel unanimiter, vel per majora suffragia id verum & verbo Dei consentaneum esse judicatum sit, nimis tamen abjectè sentiunt de Synodo Remonstrantes, cum formulas & decreta ejus *pro nudis fidei in Synodo congregatorum expositionibus, sive pro formulis ejusmodi habendas censent, non quæ definiant aut statuant, quid pro vero aut falso habendum, quid credendum, aut non credendum, qua ratione quid enunciandum aut proferendum sit, sed quod tantummodo notum & testatum faciant, quid pro vero aut falso habeant, quid credant aut non credant, quomodo sensa mentis suæ enuncient ij, quorum & formulæ & declarationes propriæ sunt*, uti Remonst in Confes. præf. asseverant. Item *Symbola, decreta, Canones Synodorum, ne quidem pro indicibus certis verorum sensuum haberi, sed tantum pro indicibus eorum sensuum, quos autores eorum pro veris habuerunt*: ut ijdem loquuntur p. 188. Contra quam sententiam benè è Contra Rem. disputat Nicol. Videlius *in Arcan. Armin. lib. 2. c. 6.* Hinc in Vedelio Rapsodo lib. 2. c 6. p. 134. ineptè ajunt: *An verbum Dei non sufficit ad controversiæ decisionem?*

Remonstrantes refutantur.

I an

an satis clarum non est? si utrumq́;, quid decisione nova opus est? si neutrum,
quorsum decisio? & quomodo decisio in verbo Dei facta est? At, inquis, Ec-
clesia tanquam testis & interpres verbi Dei decisionem factam in verbo pro-
mit. Atqui, inquam ego, quomodo testis est, si testimonium interpretatur:
testis non est interpretari, sed referre quod dictum est, ex vero & bona fide. In-
terpretatio est sententiæ dictio, non decisio, & cum falli poßit interpretatio,
quomodo ea decisio est? Denique cum verbum Dei sensum divinum sic expres-
serit, ut interpretatione opus habeat, cur non relinquitur sua cuiq́; libera in-
terpretatio? An existimamus verba nostra clariora esse, quam ipsum verbum
Dei? Injuriam facimus atrocem verbo Dei, si id credimus. Quantò rectius
& satius faceremus, si pacem & concordiam aleremus, contenti utrinq; ista
decisione, quæ in verbo Dei facta est, & relinquentes suam cuiq́; interpreta-
tionem liberam. Omnes lachrymæ in orbe Christiano sunt ab illis decisionibus
præcisis. Et post: *Quamdiu id fiet, pax non erit, & Synodi nil nisi syncre-*
tismi erunt, conciliabula factiosorum hominum, qui decidere controversias
volunt, non tam ut veritati & conscientiarum tranquillitati consulatur, quam
quia externæ & mundanæ quietis ac securitatis eorum interest, ut decidan-
tur, atq; ita litium finis fiat quovis modo. Verbum Dei prætenditur, sed alia
mundana & carnalia in causa sunt. Posset id prolixè demonstrari ex historia
plerorumque Conciliorum, etiam eorum, quæ optimis temporibus
celebrata leguntur. Sic Remonstrantes. Quorum sententia si ob-
tinet, actio Ecclesiæ ex verbo Dei contra erroneas opiniones to-
ta sublata est, aut frustra est, τὲς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, frustra est
ἐπιστομίζειν, de verbis tantum curandum, de sensibus nil laboran-
dum erit. Itaque Synodus omninò decidere & determinare pot-
est, adhibito suo ministerio & officio elenchtico. Sanè si non pos-
set prolato sensu aliquo tanquam divino ex verbo Dei difiniri
& evidens fieri, an eo contineatur vel non, tum verbum Dei in-
eptius esset quovis alio verbo. Denique idololatria erit, fide hæ-
rere in solis verbis, sensu secluso. Quæ contra proferunt, faci-
lem habent expeditionem. Sufficit verbum Dei & clarum est per
modum principij, ex quo conclusiones & decisiones evidenter
deduci queunt. Dum Ecclesia testimonium divinum interpre-
tatur, etiam testis esse potest, qualiter omnis retrò Ecclesia inter-
pretata sit. Interpretatio legitimè facta est via ad decidendum.
In utroque falli possunt, qui id suscipiunt. Non tamen sequi-

tur,

tur, quod propterea decidere nõ possint. Non n. semper actu falluntur, qui falli possunt. Contra statum Ecclesiæ autem esset, si cuique sua relinqueretur libera interpretatio. *Sic spiritus prophetarum prophetis non subjicerentur.* 1. Cor. 14.32. Non sunt verba nostra absolutè propterea clariora verbo Dei, cum hoc ad determinandas controversias applicamus. Sunt tamen corruptelis evertendis & avertendis propius accommodata. Pax & concordia ali nequit, si sua cuique interpretatio libera relinqueretur. Frustra lacrymantur, qui contra legitimas decisiones plorant. In Synodo Nicæna ad mundanam quietem & securitatem Patres spectasse, oppidò falsum est.

Subscripserunt Concilio Nicæno, qui inter fuerunt, de quibus supra §. 4,5,6,7,8. &c. Id nunc addimus, ipsum Baronium *A. Chr. 325. n. 118.* nõ satis fidere relationi Gregorij Presbyt. quæ & est ap. Nicephorum *lib. 8. c. 29.* quam tamen historiæ Concilij Nicæni Alfonsus Pisanus inseruit, & extat in edit. Ven. & Colon. quod Chrysanthus & Musonius ante subscriptiones in Concilio mortui, cum in sepulchro convenirentur, & ut subscriberent, impositis loculo Concilij decisionibus, rogarentur, cum die subsequente reverterentur ad loculum Patres, subscriptionem præstiterint. Ita enim Baronius. *Horum omnium fides sit apud autores, cum tantæ rei nullum vestigium sit reperire penes Athanasium, Hilarium & alios, qui planè nihil reliquere intactum, quo insultantem Arianam hæresin oppugnare potuissent. Sed nec fuit moris fidem inter fideles velle miraculis probatam reddere, cui suffragarentur firmiores divinæ scripturæ sermones.* Utinam moniti hujus & Baronius ipse & alij subinde non deponerent memoriam. §.48. *An Chrysanthus & Musonius post mortem subscripserũt.*

Confirmavit decisionem synodicam ipse Imperator. Theodoret. *lib. 1. c. 7. Clara sanè cælestis misericordiæ demonstratio procedit, quando Reges seculi causas de fide cum gubernatione Politiæ conjungunt, & Ecclesiarum Duces conferentia ad propriam dispensationem memores officij implent.* Verba sunt Hormisdæ Papæ Rom. ad Epiph. Constantinopolitanum Tom. II. Concil. ed. Crabb. p. 18. Confirmationem Pontificis Baronius *n. 171. & s.* probaturus. producit epistolas Osij & aliorum ad Sylvestrum & Sylvestri ad hos. Sunt autem illæ epistolæ supposititiæ & omninò barbaræ. Prima petit, Synodum §.49. *Quomodo confirmatio Concilij Nicæni facta?*

dum Romæ fieri, quæ Nicænam confirmet. Eſtque etiam, Baronio fatente, mendoſiſſima. Alteram etiam mendoſiſſimam dicit, *& quæ ob Conſules perperam poſitos commentitia reputatur, utpote quæ data & accepta habeatur ſub conſulatu Conſtantij IV. cum Conſtantini IIX. ſive VII qui eſt ab hoc anno quintus.* Conf. Blondell. *in Pſeudo Iſidor. p. 433. & ſeqq.* Quod in alio Concilio Romano Sylveſter dixiſſe refertur, *Quicquid in Nicæa Bithyniæ conſtitutum eſt, ad robur S. matris Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ à S. Sacerdotibus trecentis decem & octo noſtro ore conformiter confirmamus:* non ad αὐθεντίαν & infallibilitatis declarationem pertinet, quam Baronius defenſum it, ſed ad conſenſum & ſententiæ communionem. Producit inſuper Baronius verba Felicis & Romanæ Synodi, quibus dicitur, *trecentos & octodecim SS. Patres apud Nicæam congregatos confirmationem rerum atq; autoritatem S. Romanæ Eccleſiæ detuliſſe.* Notandum v. non Felicis eſſe illam epiſtolam, ſed Synodo Romanæ tribui. Deinde non eſſe integram, ſed ex fragmentis conflatam & mutilam, ut Binius p. 462 annotat. Hinc facile in iſta conſarcinatione fieri potuiſſe, ut peregrinum quid aſſueretur. Denique quod confirmationem rerum dicitur detuliſſe Synodus Nicæna Sylveſtro, ad ordinem & harmoniam pertinet, quæ præcipuè inter Eccleſias quatuor primarias obſervari ſolita. *At,* inquit, *Synodus dicit, detuliſſe etiam autoritatem.* Ita eſt, ſed communicandam cum ea, quam ipſi Patriarchæ & Epiſcopi cæteri jam Synodo contulerunt, non infallibilis & ſummæ poteſtatis. Autoritas eſt etiam conſenſus & interventus. Sic *autoritas tutoris* in negotijs pupillum ſpectantibus. *Autoritatem præſtare* eſt, cum quis dicit, ſe approbare id, quod agitur, h. e. authorem fieri. Reliqua, quæ Baronius num. 172. adfert ex antiquo Canone Eccleſiaſtico, jam ſupra explicata ſunt.

Felicis & Synodi Romanæ verba examinantur.

SECTIO II.

CONCILII NICÆNI ACTA ENUMERANS.

§. 1. Acta in cauſa Ariana.

Acta Synodi Nicænæ eo modo conſervata non ſunt, ut cæterarum plurimarum. Euſebius autor vitæ Conſtantini materias in Nicæna Synodo tractandas, ex quibus acta poſtea enata ſunt, enumeraturus, Primo cauſam Arianam proponit *lib. 1. c. 60.*

Sed generatim tantum, quod decretorum divinorum discutiendorum causa à Satana in seditionis certamen conjecti fuerint, quasi de industria statum controversiæ involveret. De ea tamen notat, quam dissensionem illam de æterna Deitate Christi leviculam judicaverit primùm Constantinus M. procul dubio vel ab Arianis, vel à Politicis, qui interdum hæreticis deteriores sunt, persuasus. Ita enim narrat scribentem ad Alexandrum & Arium.

Constantini M. judicium de controversia, quam Arius movit.

Inde præsentis controversiæ fundamentum intelligo jactum esse, quod Tu Alexander à presbyteris de loco quodam in Sacris literis scripto quærebas, imò vero de inani quadam quæstionis particula *sciscitabaris, quid quisq; illorum sentiret, tuq; Arie istud, quod neque initio animo complecti aut, cum fuisse complexus, silentio præteriisse debebas, inconsideratè effutivisti. Vnde discordia inter vos concitata, tum conventus, qui in Ecclesia fieri solet, impeditus, tum populus sanctißimus, variè in utramq; partem distractus, ex totius corporis Ecclesiæ compage divulsus est. Proinde uterq; vestrum veniam alteri vicissim tribuens, illud approbet, ad quod non sine causa vester conservus vos cohortatur. At quid illud est? ut de rebus istis nec omnino rogetis, nec ad rogatum respondeatis. Tales enim quæstiones, quales* nulla lex canonve Ecclesiasticus necessario *præscribit,* sed inanis dissoluti otij certatio *proponit, licet ad ingenij acumen exercendum instituantur, tamen interiore mentis cogitatione continere debemus, & neq; in publicos populi conventus temere conferre, neq; vulgi auribus inconsulto concredere. Quotus enim quisque est, qui rerum tam gravium tantaque obscuritate involutarum vim vel satis accuratè pervidere, vel pro dignitate explicare valeat? Quod si quisquam sit, qui id se facile efficere & consequi posse confidat, quota quæso est illa multitudinis pars, quam poßit efficere, ut idem ipsum intelligat? aut quis tandem est, qui incuriosa quæstionum ejusmodi pervestigatione extra prolapsionis periculum poßit consistere. Quocirca in talibus rebus loquacitas coercenda est, ne vel cum nos præ nostri ingenij imbecillitate, quod propositum est, explanare non poßimus, vel auditores præ intelligentiæ tarditate ad accuratam sermonis instituti comprehensionem pervenire non queant, ex re alterutra populus aut in blasphemiæ aut in dissensionis neceßitatem incurrat. Quare & interrogatio temeraria & inconsulta responsio veniam utrique vestrum ab altero impetrare debet.* Neque v. de summo in S. literis præcepto *vobis ansa ad digladiandum oblata est, neque* novus ullus de divinâ religione introductus error, *sed unam eandemq; de fide tenetis sententiam, ita ut facile poßi-*

tis ad ipsum communionis consensum venire. Nam non est consentaneum, ut propter vestram imprudentem, de adeò parvis exiguisque rebus, mutuò concertationem tanta populi multitudo ad dissensionem rapiatur, imò vero non modo non est consentaneum, sed omninò nefas esse existimatur. Verum ut rem breviter exemplo aliquo animo vestro mecum recognoscatis, dicam. Non vos præterit, opinor. Philosophos ipsos, unius quidē disciplinæ professione omnes inter se consentire, sæpe tamen in aliqua parte opinionum, quas asseveratione affirmant, discrepare solere: qui licet disciplinæ causa, quam quisq; eorum tuetur, dissentiant, tamen ob professionem, qua conspirare videntur, denuò inter ipsos in gratiam redeunt. Quod si ita se res habet, quid est, cur non sit multo convenientius, ut qui famuli præpotentis Dei constituti sumus, propter ipsum religionis institutum, quod profitemur, consentientibus animis inter nos ipsos concordemus? Cœterum accuratiori cogitatione consideremus, & mente accuratiore hoc, quod jam à me dicetur, circumspiciamus, num rectè se habeat, ut per levem & inanem verborum contentionem fratres fratribus reluctentur, & eximia concordia impia simultate per nos, qui de rebus tam exiguis, minimeque necessariis inter nos confligimus, miserè discerpatur? Popularia quidem sunt ista & puerili inscitia magis, quam Sacerdotum & prudentium hominum sapientiæ congruentia. Nostra sponte igitur diabolicas certationes evitemus, & quoniam Deus Opt. Max. conservator omnium communem suæ gratiæ lucem omnibus porrexit, id circo mihi ejus famulo quæso per vos liceat, ut illius providentiæ subsidio adjutus meum conatum ad eam lucem propagandam susceptum feliciter ad exitum perducam. Et cum una sit vobis fides, unaque de nostra religione sententia, unum denique legis ac disciplinæ institutum, istud quod inter vos non mediocrem contentionem excitavit, quoniam nullam rem gravem in nostræ religionis quasi ambitu comprehensam attingit, non est cur distractionem aliquam animorum aut discordiam in vobis pariat. Atque hæc dico, non ut cogam vos in hac levicula & stulta quæstione, qualiscunq; tandem illa fuerit, eandem sententiam sequi. Ac tametsi vos inter vos de re quapiam minimi momenti dissentitis, (siquidem neque omnes de omnibus idem sentimus, neque una eademque in nobis indoles ac mens versatur) tamen fieri poterit, ut eximia concordia sincerè integrèque servetur &c. Quæstio igitur de summa & æterna Deitate Filij Dei judicatur tanquam nullo canone Ecclesiastico præscripta, inanis dissoluti otij certatio, de re parva & exigua, Philosophicis quæstionibus æquiparanda, minimè necessaria, nullam rem in nostræ Religio-

nis

nis ambitu comprehensam attigens, levicula & stulta, de re minimi momenti.

Disputant de hac materia etiam Remonstrantes, cum dogma de Trinitate personarum in una divina essentia inter *non necessaria* numerant. Conf. Vedelium *in arcan. Arminianismi lib. 1. c. 7.* Nec contradicunt Remonstr. *in Vedelio Rapsodo lib. 1. c. 7.* Simon Episcop. *institut. Theolog. lib. 4. c. 34. peculiari* demonstrare conatur, nullam esse necessitatem credendi Christum esse Filium Dei ab æterno genitum, nec anathema esse dicendum ei, qui id negat. Non fas est nunc ista ponderare, possunt expendi aliàs. Illud huc pertinet, quod, ut ait, *ante Concilium Nicænum saltem per tria integra secula, fides & professio specialis æternæ generationis seu æternitatis Filij Dei ad salutem scitu necessaria judicata non fuit, tum quia in Symbolo Apostolico non reperitur, tum quia Iustinus Martyr, qui & communionem coluit cum eo, qui æternam generationem Christi negavit, satis ostendit, Ecclesias Christianas sui temporis non credidisse ejus confessionem esse ad salutem necessariam.* Paucis. I. in Symbolo Apostolico Patris & Filij nomen pij intellexerunt propriè, præsertim quia additur, *quod sit Filius unigenitus.* Hoc ipso invincibiliter crediderunt, Patrem nunquam non fuisse Patrem, Filium nunquam non fuisse Filium, h. e. Patrem & Filium ab æterno esse. Si enim Filius propriè est Filius, & Pater non nisi in æternitate propriè generare potuit, quia est immutabilis, sequitur Filium ab æterno fuisse genitum. Etiamsi autem fideles simpliciores non essent ratiocinati de ista verborum virtute, satis tamen fuit, quod illa sine contradictione complexi sint. At contradicentis aut negantis alia est conditio. Huic contraeundum omnibus modis. Id fecit Alexander Episc. Alexand. Hinc *in Epist. ad omnes ubiq; gentium fideles*, quæ absurda Arij sententia complectatur, monet: sc. *DEUM non semper Patrem fuisse, sed tempus aliquando extitisse, quo Deus non fuit Pater, non ab æterno Dei verbum fuisse, sed ex nihilo ortum, nam DEUM qui est, illud cum non erat ex eo quod non est procreasse, & propterea tempus aliquando fuisse, cum non esset. Creatum enim & factum esse Filium, neq; Essentia Patri similem, neq; natura verum Patris sermonem, neq; verum ejus sapientiam esse, sed per allusionem verbũ & sapientiam dici. Ipsum factum esse proprio Dei verbo & sapientia, quæ in Deo est, per quam tum cætera omnia, tum illum ipsum fecit.* Et ob eam causam

§. 2. Remonstrantes articulum de æterna Deitate Christi inter non necessarios numerant

ſam ſua natura poſſe converti & mutari, ſicut animantia omnia ratione utentia. Verbum eſſe peregrinum, alienum & ſejunctum à ſapientia Dei. Patrem à Filio minimè explicari poſſe: Nam Filium neq; Patrem plenè & accuratè cognoſcere, neque exquiſitè cernere poſſe. Etenim ſuam ipſius eſſentiam ut eſt, Filium non percipere, &c. Socrat. *lib. 1. c. 3.* De his Alexander: *Quis unquam talia audivit? aut quis eſt, qui ſi jam audiret, non ea tanquam inſolita & peregrina obſtupeſceret &c.* Et poſt. *Quapropter Eccleſia illis interdictum eſt & adeò anathema denunciatum.* Similia ſcripſit Alexander Ep. *ad Alex. Conſtant.* quæ habentur apud Theodoret. *lib. 1. c. 4.* Talia Conſtantino miſſa aperuerunt ei oculos, ut aliter ſentiret. Hinc *in Epiſtola ad Alexandrinam Eccleſ.* quæ eſt apud Socratem *lib. 1. c. 6.* ait, *in Concilio Nicæno Arium fuiſſe inventum, qui vi ac fraude diabolica victus à vera fide penitus deſciverit, qui que impia animi impulſione incitatus hanc erroris labem primus ſparſerit.* De Arij & complicum opinionibus ait: *quanta & quam execrabilia probra (bone Deus ſis nobis clemens & miſericors) nonnulli in venerandum noſtrum Servatorem, in ſpem & vitam noſtram, ſceleratè nefarieq; jecerunt, & ſcripturis divinitus inſpiratis fideiq; ſacro ſanctæ non modo contraria imprudenter effutiverunt, ſed etiam ſe ita credere confeſſi ſunt.* Et in ep. ad Epiſcopos & populos ibid. Arianos & ſectatores per ignominiam Porphyrianos appellandos cenſet, libroſque eorum comburendos. Athanaſius diverſis in locis oſtendit, ſemper abhorruiſſe Eccleſiam ab illis, qui Chriſtum Filium Dei impropriè & non ab æterno crediderunt. Et licet in phraſeologia apud ſcriptores Eccleſiæ ante Concilium Nicænum, atque etiam poſtea aliqua incommoda occurrant, quæ operosè παραδειγματίζει Dion. Petav. lib. 1. de Trinit. res tamen ipſa religiosè conſervata fuit. Unde & Bellarminus, in Patres illos Petavio reverentior, Patrum aſperius dicta operosè excuſat de Chriſto *lib. 1.* Juſtinus Martyr *contra Tryph. Iudæ.* duas quæſtiones agitari docet, primam, an Chriſtus ſit æternus Filius Dei, conditor omnium: ſecundam, an Jeſus Nazarenus ſit Meſſias? Eſſe aliquos qui illam negant, & tamen hanc affirmant. Et hos dicit eſſe *ſui generis*. Non autem dicit, illos extra contradictionem verè fidelium eſſe, aut extra ſalutis periculum. De ſe dicit: *Quibus non aſſentior, neq; id ſanè multi, qui in eadem mecum ſunt ſententia, dixerint.* Vult, paucos eſſe qui Jeſum Nazar. Meſſiam fatentur,

Iuſtinus Martyr vindicatur.

qui

qui eum non ab æterno DEUM dicunt. Quod illos dicit *generis sui* esse, non de Ecclesiastica communione intelligit, de qua nullum verbum, sed de nomine, quod sc. Christiani appellentur, quatenus à Judæis & gentilibus separantur. Hinc Tryphoni dicit, *quod se profiteantur Christianos, & Iesum crucifixum & Dominum & Christum laudent, sed non illius, verum seductionis spirituum doctrinas profiteantur*, non autem sint ἀληθινῆς καὶ καθαρᾶς διδασκαλίας μα[illegible]ταί. Et paulo post addit: ὧν οὐδενὶ κοινωνοῦμεν. pag. 196. Et pag. 239. vocat λεγομένους μὲν χριστιανούς, ὄντας δὲ ἀθέους καὶ ἀσεβεῖς αἱρεσιώτας. Conf. pag. 240. & seqq. Sed de his satis.

Redeamus ad acta in causa Ariana. Socrates *lib. 1. c. 3. & seqq.* memorat, Alexandro *aliquanto curiosius & subtilius* de S. Trinitate philosophanti unitatemque in Trinitate esse asserenti, ab Ario Sabellianismum objectum, & è contra assertum, *si Pater genuit Filium, eum qui genitus est, suæ essentiæ habuisse principium, itaque tempus fuisse, quando non erat Filius, &c.* Ista nova & inaudita ratione fuisse conclusa, è scintilla flammam enatam, Ægyptum, Lybiam, Thebaidem pervasisse, & multos infecisse. Alexandrum habito Concilio Arium cum suis presbyteris gradu dejecisse, & simul ad omnium gentium fideles per epistolam negotium perscripsisse. Imperatorem per Osium missa Epistola exprobratoria, cujus partem adduximus, Conciliationem tentasse; sed spe sua frustratum, Concilium denique indixisse. Theodoretus *lib. 1. c. 2.* addit, Arium invidentem Alexandro Episcopatus dignitatem, cum in vita nil posset carpere, *Apostolicæ* ejus *doctrinæ* restitisse, cumque *S. literarum disciplinæ obsecutus Filium eandem habere cum genitore substantiam doceret*, contradixisse ei. Et hæc quidem antecedentia: ad quæ pertinet tum dicta Constantini Epistola, quam integram Eusebius recitat, & partem repetit Socrates, qua instructus Osius Cordubensis legationem Alexandriam & in Orientem suscepit; tum duæ Alexandri, quarum unam habet Socrates, alteram prolixissimam Theodoretus, cujus & supra mentio §. 24. Itemque Arij Ep. ad Eusebium Nicomediensem, & Eusebij Nicomed. ad Paulum Episcopum Tyri: quas utrasque conservavit Theodoretus *lib. 1. c. 5. & 6.* primam etiam habet Epiph. *hær. 69.* Septuaginta encyclicas epistolas ante concilium scripsisse Alexandrum, Epiph. ibi- §. 3.

dem teſtatur. Habet & is Epiſt. Arij ad Alexandrum è Nicomedia.

§. 4. *Acta ingredientia Conciliũ. ſymbolũ Nicænum.*

Ingredientia, quæ ſuperſunt ſunt, I. *Oratio Conſtantini* ad Concilium, quam habet Euſeb. *lib. 1. c. 12.* quæ quidem etiam memoratur à Socrate *lib. 1. c. 5.* Theodoretus excerpta habet *lib. 1. c. 7.* ut & Sozomenus *lib. 1. c. 18.* II. *Symbolum* confectum; recitat id Socrates *lib. 1. c. 5.* *Credimus in unum DEVM Patrem omnipotentem, omnium inviſibilium & viſibilium creatorem: & in unum Dominum Ieſum Chriſtum. Filium Dei, genitum ex Patre, unigenitum, h. e. ex ſubſtantia Patris, DEVM de Deo, lumen de lumine, genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, & quæ in cœlo ſunt, & quæ in terra, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, incarnatus eſt, homo factus eſt, paſſus eſt, reſurrexit tertia die, aſcendit ad cœlos, venturus eſt judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum S. Qui v. dicunt, quod erat aliquando tempus, cum non eſſet, vel quod ex nihilo ortus ſit, vel quod ex altera eſſentia, quã ex Patris ſubſtantia genitus, vel qui Filius Dei creatus ſit, quodque converti & mutari poſſit, iſtis Catholica & Apoſtolica Dei Eccleſia anathema denunciat.* Recitat eandem Confeſſionem apud Euſebium eundem Cæſar. In cujus commemorata Epiſtola Symbolum Nicænum habemus apud Theodoret. *lib. 1. c. 12.* Sozomenus ſuperſtitione ductus & perſuaſus, *ejusmodi res à Sacerdotibus ſolum & Epiſcopis debere tum dici tum audiri*, noluit hiſtoriæ intexere Symbolum integrum *lib. 1. c. 19.* Anathematiſmnm ſolum recitat c. 20. Apud Athanaſium, Hilarium, Epiphanium & alios ſæpiſſimè occurrit. De ejus autore & autoritate dictum ſupra.

§. 5. *Cur ſine die & Coſſ. Symbolũ ſcriptum?*

Duo obiter hic annotamus. I. Quod ſine die & conſulibus hoc Symbolum fuerit editum. Urget hanc obſervationem Baronius *An. Chr. 321. n. 2. 3.* Siquidem, *ut fidei profeſſio ſub die & conſule ederetur, non Catholicorum, ſed hæreticorum tantum fuiſſe conſuetudinem. S. Athanaſius harum rerum omnium, quibus præſens fuit, optimè conſcius, teſtatur his verbis, cum ejusmodi primum cogendæ Synodi cauſas affert.* Nicæna, *inquit*, Synodus nõ temerè habita fuit, ut qui habeat graviſſimos uſus & legitimam rationem. Syri enim, Cilices Meſopotamiani in cauſa Feſti claudicabant, atque unà cum Judæis Paſcha celebrabant: Et jam tum Ariana hæreſis, quæ contra Eccleſiam inſurrexerat, ſuos propugnatores habebat, qui ipſam defenderent,

qui

quique pijs insidias facerent, Eusebianos sc. Atque ea causa fuit, cur universus orbis in Concilium coiret, ut & eodem die ubique Festum celebraretur, & hæresis, quæ suppullulaverat, anathemate percuteretur. Quod & factum est. Nam & Syri in aliorum sententiam traducti sunt, & Arianam hæresin decreverunt pro Antichristi præcursatrice habendam esse, & scriptis contra eam editis placita sua promulgarunt. Sed tamen cum tales & tanti Viri essent, nihil tale, quale isti, qui non nisi tres aut quatuor sunt, ausi fuerunt facere. Siquidem nec Consulem, nec mensem, nec diem addiderunt. Infra §.103. arbitratur, id ideò factum, *quod ea non esset recentis fidei constitutio, sed ut Patres profiterentur, eandem semper in Ecclesia viguisse, nec à se, sed ab Apostolis Ecclesiæ traditam: quam etiam ob causam nec illa verba, in cœteris Synodicis decretis adhiberi solita, voluerunt præfigi* Catholico *Symbolo,* VISUM EST, *ne videretur recens elaborata fidei confeßio. Non sic quidem factum est in illa constitutione de Paschatis tempore à Synodo edita, cui voluerunt diem apponi & Consules, & cœtera, quæ spectant ad certum tempus definiendum. Testatur id quidem S. Athanasius in eod. lib de Synodo. Vbi cum agit de Nicæno Symbolo,* nec consulem, *inquit*, nec diem, nec mensem addiderunt; sed in negotio pascha non abhorruerunt ab ejusmodi appendice. Ibi enim placuit, ut adderetur VISUM EST, ut omnes obtemperarent. De fide v. non scripserunt VISUM EST, sed ad, istum modum credit Catholica Ecclesia, & statim ipsa confessio credendi adjuncta est, ut ostenderent, eam non esse novam sententiam, sed Apostolicam, & quæ ipsi scripsissent, non esse sua inventa, sed Apostolorum documenta. *Hæc Athanasius*; ita Baronius. Sed profecto observatio ista solida & momentosa non est. Nam I. si universis Concilij actis adscribi possunt Consules, dies, mensis, cur non etiam Concilij Symbolo, quod licet novum non est materialiter, novum tamen est ratione formæ seu dispositionis illius articulorum? *Oecumenicis Synodis*, inquit Baron. *n.3. primum omnium, quo anno mense & die fuerint celebratæ, solitum fuit inscribi. Certis quidem monumentis, quo tempore eadem celebrata sit Synodus, declaratum oportuit, adeò ut nulla posteris de re perspicua potuerit dubitatio suboriri. Siquidem edicta Imperatoris Constantini, quæ vel Synodum præcessere, vel eandem sunt secuta, necesse fuit Consulibus subsignari. Etenim jam ante ab ipso Constantino emana-*

rat constitutio, qua caverat, ut Constitutiones & edicta post inde deprehensa absque die & Consule, autoritate carerent l. 1. de Const. Princ. Cod. Theod. Nullam itaq; notam novitatis inurit sanctioni Synodicæ, in qua rectè à novitate depravationis purgatur antiquissima veritas. II. Symbolo Nicæno propterea non adscribebantur dies, mensis & Consules, quia non edebatur separatim, neque moris erat, Symbola separatim è Concilijs evulgari. Hinc Athanasius risit Sirmienses, quod cum Symbolum ederent, insolito more ista adscripserint, tanquam exinde suis machinationibus conciliaturi autoritatem. III. *Possunt,* inquit Lorinus Jesuita in Act. Ap. ad. v. 19. c. 15. *Concilia omnia legitimè congregata & approbata, quibus proinde idem adest Spiritus S. dicere eodem modo,* VISUM EST *spiritui S. & nobis, tamen ob reverentiam fortasse primi Concilij hujus non ita dicunt, sed solum in spiritu S. legitimè congregata SS. Synodus decernit &c.* IV. Idem Baronij rationem sugillat quam ex Athanasio profert. *Athanasius testis est, Syros Patres in decretis adversus Arianos, quando de negotio Paschæ agebant, dixisse* Visum est, *cum de fide ipsa,* ad istum modum credit Ecclesia Catholica. *Nihilominus decretum de vitanda fornicatione Act. 15. 29. quod continetur in isto Concilio, spectat ad fidem & naturalem divinamque legem. Nec est difficile ostendere, in alijs similibus decretis usurpasse Concilia posteriora formulam illam* VISUM EST. Unde nec Augustanæ Confessioni quicquam decedit, quod Imperatoris, loci, anni in ea adjicitur mentio, quod aliàs pro novitatis indicio allegant contra nos Papistæ.

§. 6. Variatio Symbolo Nicæno contigit.

II. Notamus, quod observavit Card. Baronius A. Chr. 325. n. 47. *Nicænum Symbolum, secundum diversas translationes in Latinum factas, interdum aliquibus diversis verbis scriptum haberi, ut in Synodo Chalcedonensi Act. 2, & apud Basilium Ep. 78. alijsque in locis.* Nam I. non in translationibus tantum, sed etiam in fontibus variè recensetur. Athanasius ita recenset Ep. ad Jovin. πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν. (Sic consentienter habent Basilius, Synodus Chalcedonensis, Epiphanius, Socrates, Eusebius, Theodoretus. Pergit Athanasius.) καὶ εἰς τὸν ἕνα (Basilius, Synodus Chalced. Epiphanius, Socrates, Eusebius, Theodoretus, omittunt

τὸν

τὸν) κύριον ἰησοῦν χριστὸν (Basilius legit κύριον ἡμῶν) τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, τουτ' ἔστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ, τά τε ἐπὶ τῆς γῆς (Basilius habet καὶ ἐν τῇ γῇ. Socrates, Eusebius, Theodoretus Synodus Chalcedonensis legunt, καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ Epiphanius addit ὁρατά τε καὶ ἀόρατα.) τὸν δι' ἡμᾶς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα (Basilius addit ἐκ τῶν οὐρανῶν) καὶ σαρκωθέντα, ἐνανθρωπήσαντα (Chalcedonensis καὶ ἐνανθρωπήσαντα. Epiphanius inserit, σαρκωθέντα, τουτ' ἐστὶ γεννηθέντα τελείως ἐκ τῆς ἁγίας Μαρίας ἀειπαρθένου διὰ πνεύματος ἁγίου, ἐνανθρωπήσαντα. Epiphanius post ἐνανθρωπήσαντα habet σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου.) παθόντα (Epiphanius addit καὶ ταφέντα) καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς (Epiphanius, Chalcedonensis omittunt καὶ. Socrates, Theodoretus, Eusebius legunt ἐλθόντα. Epiphanius addit, καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς) ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς (Chalced. legit καὶ πάλιν ἐρχόμενον κρῖναι. Epiph. καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρῖναι) καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον (Basilius legit καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα. Epiphanius addit ex Constantinopolitana Synodo τὸ κύριον καὶ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τῷ σὺν πατρὶ καὶ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν, εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ Ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν, ὁμολογοῦμεν ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, προσδοκῶμεν ἀνάστασιν ἐκ νεκρῶν καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος ἀμήν.) τοὺς δὲ λέγοντας, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι, οὐκ ἦν, καὶ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι ἢ κτιστὸν, ἢ τρεπτὸν, ἢ ἀλλοιωτὸν (Basilius, Chalced. Theodoretus omit-

tunt κτιστὸν. Socrates Athanasio consentit. Epiphanius neque κτιστὸν neque τρεπτὸν habet, sed ῥευστὸν) τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ Ἀποστολικὴ ἐκκλησία. (Ita legit Basilius, Epiphanius, Theodoretus. Socrates legit τοῦ θεοῦ ἐκκλησία.) Hinc apparet in translationibus solis variationem Symboli non esse Nicæni. II. Idem contigit Symbolo, quod pro Apostolico habitum fuit. Ruffinus exposuit Symbolum, 'ut in Ecclesia Aquilegiensi recitabatur, & cum eo contulit tum Romanum, tum Orientale Vetus, quod ante Nicænum in Oriente obtinuit. Manifestum hoc est ex Epistola Alexandri Alexandrini ad Alex. Constant. & alios scripta, quam Theodoretus *lib. 1. c. 4.* ante Concilium Nic. collocat, ubi circa finem paraphrasin Symboli Alexandriæ usurpati habet. Vulgare Symbolum, quod Apostolicum dicitur, habet: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ.* Orientale habet. *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem.* Aquilegiense & Romanum vetus omittebant *Creatorem Cœli & terræ.* Addebat autem Aquilegiense cum Orientali *invisibilem & impassibilem.* Vulgare Symbolum habet. *In Iesum Christum Filium ejus unigenitum, Dominum nostrum.* Aquilegiense habet. *Et in Iesum Christum, unicum Filium ejus, Dominum nostrum.* Orientale: *Et in unum Dominum nostrum Iesum Christum Filium ejus.* Vulgare Symbolum habet, *qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria Virgine*; Aquilegiense, *qui natus est de Spiritu S. ex Maria Virgine.* Vulgare Symbolum habet: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferos.* Aquilegiense habet: *Crucifixus sub Pontio Pilato & sepultus descendit ad inferna.* Romanum & Orientale omittunt *descensum ad inferos.* Vulgare habet: *Credo in Spiritum S.* Aquilegiense, *& in Spiritum S.* Vulgare habet, *credo S. Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.* Aquilegiense omisit *Catholicam.* Unde nec Ruffinus exposuit. Nec etiam habuit *Sanctorum communionem.* Vulgare habet, *resurrectionem carnis.* Aquilegiense habet *hujus carnis*, satis, ut judicat Ruffinus, *cauta & provida adjectione*, hujus, *sine dubio, quam is, qui profitetur, signaculo crucis fronti imposita contingit.* Vulgare habet & *vitam æternam.* Quod Aquilegiense & Romanum Symbolum non admisit. Charisius Presbyter & Philadelphiensium Oeconomus *T. II. Act. Conc. Eph. c. 30.* ita Symbolum profert. *Credo in unum Deum*

Patrem

Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium creatorem & factorem. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium, Dei unigenitum, lumen de lumine, verum Deum de vero Deo, consubstantialem Patri. Qui propter nos & nostram salutem descendit de cœlo & incarnatus, ex S. Maria Virgine natus, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, mortuus est & resurrexit tertia die, adscendit ad cœlos, & iterum venturus est judicare vivos mortuos. Et in Spiritum veritatis, Paracletum, Patri & Filio consubstantialem. Et in S. Catholicam Ecclesiam, in mortuorum resurrectionem, & vitam æternam. Sic Charisius. Exinde fas est concludere, nihil veritati religionis Catholicæ decedere, si vel maxime in Symbolis aliqua occurrat variatio ac mutatio. Itaque nullo jure eam ceu nostræ fidei detrimentosam, Augustanæ Confessioni, Symbolo Ecclesiarum nostrarum, objici. Sed vide *dissert. ad A.C. nost. c. 3.*

III. Ad Acta Synodica in causa Ariana pertinet scripta Athanasij ad Africanos Epistola, cujus Theodoret9 fragmentũ habet *lib. 1. c. 8.* & congressus Philosophi cum pio Sene, cujus supra *§. 26. sect. 1.* facta mentio, quam describit Sozomenus *lib. 1. c. 17.* & quæ sunt ejusmodi alia. De Gelasianis post dicemus. §. 7.

Post decisionem Synodicam huc pertinent rescripta Constantini. Generale ad universas Ecclesias pro decreto Synodi recipiendo: habet Euseb. *de vita Constant. lib. 3. c. 16* & seqq. quod habet & Socrates *lib. 1. c. 6.* Theodoret9 *lib. 1. c. 10.* Speciale est ad Catholicam Alexandrinorum Ecclesiam, quod extat apud Socratem *lib. 5. c. 6.* Et alterum ad Episcopos & populos, quo Arianos Prophyrianos nominandos esse sancitur. Et tertium ad Eusebium de ædificiis Ecclesiæ reparandis. Et quartum de Bibliotheca Ecclesiastica paranda. Sunt illa apud Secratem *l. c.* Et quintum ad Episcopos absentes, de ijs quæ in Concilio statuta sunt, de quo *libro vitæ Constantini 3. c. 21.* Et Theodoret. *lib. c. 11.* Pertinent huc literæ Synodicæ. Imprimis illa amplissima, quam habet Socrates *lib. 1. c. 6* Et Theodoret. *lib. 1. c. 9.* Accedit & Eusebij Cæsareensis Epistola, quam commemorat tum Socrates *lib. 1. c. 5.* tum Theodoretus *lib. 1. c. 12.* & quæ sunt talia, quæ in causa Arianorum prodita & residua sunt. §. 8.

Secundò causa Meletij in Synodo Nicæna agitata fuit. Ejus non meminit Eusebius. Socrates autem *lib. 1. c. 5.* Theodoretus §. 9. *Causa Militiana.*

tus *lib. 1. c. 9.* Sozomenus *lib. 1. c. 3.* Et *lib. 2. c. 20.* istam causam tangunt. Sed acta non supersunt, nisi quatenus apud historicos passim aliqua narrata occurrunt. Conf. Epiphanius *hær. 68.* Petavius *de Trin. lib. 1. c. 7.* Baronius *A. 315. n. 11. & seqq.* Augustinus *de hæres. ad Quodvult D. C. 48.* cum not. Danæi, Pratæol. *lib. 11. hær. 27.* & alij

§. 10. *Causa Novatiana.* Tertio causa *Novatiana* etiam tacta in Synodo. Acta paucis tangit Socrates *lib. 1. c. 7.* Sozom. *lib. 1. c. 21.* August. *de hæresib. c. 38.* Baronius A. Chr. *325. n. 141.*

§. 11. *Causa Macedoniana an in Synodo tractata?* Quarto causa *Macedoniana* de Spiritus S. divinitate etiam tacta dicitur ab Athanasio. Sic enim ille in Ep. ad Afric. pag. 725. *Nicæna Synodus blasphematores Spiritus S. dicentesque eum Creaturam esse, subvertit. Nam cum Patres statuissent de fide in Filium, id statim adjectum voluere, credimus & in Spiritum S. ut perfectam & plenam de S. Trinitate fidem confessionemque absolventes, formam ejus, quæ in Christo est, fidei & doctrinam Catholicæ Ecclesiæ exhiberent.* Nisi ita interpretari velimus, Athanasium, quod virtualiter Spiritus S. Deitas etiam stabilita sit, cum pari censu cum Patre & Filio connumeratus est. Sic Epiphanius *hær. 74. Non fuit tunc de Spiritu S. quæstio.* Et tamen: *cum Synodus Nicæna dixit,* Et in Spiritum S. Et *non simpliciter dictum est, sed in unam glorificationem, & in unam unitatem Deitatis, & in unam coessentialitatem, in tria perfecta, unam v. Deitatem, unam essentiam, unam glorificationem, unam dominationem à voce Credimus & credimus & credimus.* In eam sententiam, quod ex intentione particulari Spiritus S. Deitas in Synodo Nicæna asserta non sit, concedit Basilius *Ep. 75.* & Hieron. *Ep. 65.*

§. 12. Quinto causa *Paschatis* agitata in Synodo. Ejus acta habet Euseb. *de V. C. lib. 3. c. 5.* quo pertinent, quæ in Generali rescripto Constantinus ad omnes Ecclesias exaravit *lib. 3. c. 17, 18.* Repetit illa Socrates *lib. 1. c. 5.* Et Theodoret. *lib. 1. c. 10.* Tangit Sozomenus *lib. 1. c. 20.* Accedit Epist. Synodi Nicænæ ad Alexandrinam Ecclesiam & fratres Ægypti, Lybiæ & Pentapolis apud Socr. *lib. 1. c. 6.* Theod. *lib. 1. c. 9.* & alios. Conf. Baron. *A. Chr. 325. n. 102, 110. & seqq.* Sethi Calvis. *Isagog. Chronol. c. 16.*

§. 13. *Canones Nicæni quot?* Sextò CANONES constituti sunt. De his Theod. *lib. 1. c. 8. Episcopi rursus in Concilium convenientes de administratione Ecclesiastica leges seu Canones viginti conscripsere.* Ita & Sozom. *lib. 1. c. 22. Concilium v. ad mo-*

ad mores eorum, qui in Ecclesiis ætatem degunt, ritè instruendos omni cura & cogitatione incumbens leges, quas vocant Canones, *sancivit.* Quinam fuerint, historia non meminit. Et viginti quidem Canones habemus in Tomis Conciliorum. Quos & Tilius edidit cum commentariis Theod. Balsamonis-Patriarch. Antiocheni & Nomocanone. Photij Patriarch. Constant. Edita est eorundem triplex versio, in qua multa occurrit diversitas, à Dom. Nicolino *T. 1. Concil. ed. Venet.* Alfonsus Pisanus *in actis Conc. Nicæn. à se collectis l. 3.* primum ex Isidoro & aliis testimoniis conatur ostendere, plures fuisse, quam viginti Canones. Deinde ex Codice Arabico, quod Romam sub Pio IV. ex Alexandria Ægypti allatum fuit, octuaginta Canones promit. Totidem ex alio Arabico Bibliothecæ Marcelli II. profert Fr. Turrianus, qui extant T. 1. Concil. Præfatio hujus non dissimulat, se in Canonum illorum editione à Pisano dissentire. Sed tot omnis antiquitas ignoravit. Vid. quæ disserit Joh Reinoldus *T. 1. de libr. Apocryph. p. 133.* & Rob. Coccus *Cens. Libr. Apocryph.* p. 241. Baronius non audet tot asseverare Canones. Interim ait, *illos naufragium passos: I. quia deest Canon de libris Canonicis, cum ex eo liber Iudith in numero sanctarum scripturarum ab Hieronymo positus referatur.* Sed de hoc Reinoldus l. c. prolixè. Baronius ipse n. 118. ideò id non affirmandum censet, *quia S. librorum post Concilium Nicænum catalogum exhibentes sive Synodus Laodicæna, sive Patres, ut Athanasius, Gregorius Naz. Amphilochius & alij librum illum inter Canonicos non numerant. Probabile potius esse, Hieronymum non id ex Canone aliquo Nicææ confecto, sed ex actis, in quibus is liber obiter citatus inventus fuerit, asseruisse, aut existimasse, quia in Occidentalium Canone librum Iudith in venerit, id ex concilij Nicæni fonte manasse.* Nimirum Bellarminus, Hieronymi testimonio post alios usus, immemor etiam hypotheseωs fuit, cujus circumspectissimus Baronius nondũ deposuit memoriam, Canonem Ecclesiæ N. T. per determinationem Pontificiam Innocentij I. demum constitutum, qua hypothesi quatuor Seculorum contra se testimonia se illudere posse confidunt, de qua vide Antikircheri nostri *c. 4. §. 181. & seq.* Non tamen omnino nihil de Canone S. lit. in Concilio isto tot gravissimorum Patrum actum fuisse, verisimile est ex eo, quod in persecutionibus, quibus tribus retro seculis subjacuit Ecclesia,

An Concilij Nic. fuerit aliquis Canon de libris Canonicis?

etiam librorum Sacrorum ſinceritati inſidiatus eſt Satan variis modis. vide quæ de Traditorib. annotavim9 *part. 2. Theol. Zach. Loc. 1. q. 1. diſp. 1. §. 37. ad fin.* Igitur ad providentiam Patrum pertinuit, antequam diſſolveretur ſacer cœtus, recenſitionem aliquam librorum divinorum inſtitui; atque inde manaſſe putari poteſt mandatum Conſtantini ad Euſebium Cœſareenſem Epiſcopum *de quinquaginta voluminibus in membranis parandis, quæ ſint tum lectu facilia, tum uſu idonea, tum portatu commoda, idq; per librarios, qui ſcitè norint ſcribere, quibus libros S. ſcripturæ complectantur*, vid. Socrat. *lib. 1. c. 6.* & Theodoret. *lib. 1. c. 16.* Sparſam ea de re famam, ſed in fabulam, ut alia aliqua, tranſiviſſe Synodicon etiam ſupra allegatum teſtari videtur, quod *in Conc. Nic.* refert, *Synodum Sacros & Apocryphos libros ea ratione ab invicem diſcreviſſe, nimirum in domo Dei inferiori loco juxta divinam menſam omnes libros collocaſſe, Deumq; oraſſe, ut qui divinitus eſſent inſpirati, ſuperius, qui autem adulterini, inferius (quod & factum eſt) invenirentur.*

§. 14. *An Canon de bigamis non ordinandis?*

II. *Quia deeſt Canon de bigamis non ordinandis, quem à Concilio Nicæno ſancitum, Ambroſius* in ep. ad. Vercellenſes *teſtis ſit.* Sed hæc Epiſtola eſt proles incerti Patris, nec poteſt eſſe Ambroſij, inquit Ant. Poſſev. *in appar. vid. indic. iniq. Mogunt. p. 281.*

§. 15. *An canon de appellatione ad ſedem Romanum?*

III. *Quia deeſt Canon de appellatione ad ſedem Apoſtolicam, quem Zoſimus Papa* Concil. Carth. VI. c. 3. *Concilio Nicæno tribuit, & Theodoret.* lib. 2. c. 4. *digito ſignat, cum ſcribit,* Athanaſium Arianorum calumniis preſſum in Occidentem veniſſe, & Julium Papam juxta Canonem Eccleſiæ Arianos, literis perſecutos Athanaſium, Romam citaſſe, ipſum etiam Athanaſium Romã, ut pro ſe in judicio reſponderet, vocaſſe. At de Canone Nicæno Zoſimus Africanis impoſuit, quod contra Staplet. Sander. Bar. Bell. poſt alios latè evincit Chamier *T. 3. Panſtr. lib. 14. c. 3. & 4.* Athanaſius non ideo in Occidentem contendit, ut ad Pontificem R. tanquam ſupremum Judicem appellaret, ſed ut Crimina ab Euſebianis de ſe ad Julium delata intelligeret & confutaret. Julius τῆς ἐκκλησίας ἑπόμενος νόμῳ, non, quo ipſi tribunal ſupremum deferretur, ſed qui juberet, accuſatoribus inaudita parte altera non credere, Euſebianos Romam venire juſſit, & coram Athanaſio probare, quæ protruſerant literis, quoniam, apud ipſum, Athanaſium accuſaſſent. Vid. Chamier *T. 2. l. 13. c. 9.*

IV. Quia

IV. *Quia deest Canon, quo cautum fuit, ut res in minori Synodo cognitæ in majori rursus examinentur, cujus meminit Iulius* in ep. ad Arianos intexta Athanasij Apolog. 2. Sed non fit mentio Canonis. Alexandrina Synodus Arianos jam damnaverat. Ariani conquesti super injuriis. Permiserunt ergo acta ejus in Nicæno consessu examinari Patres. Sic res ipsa poposcit & consuetudine ita obtinuit. Quod Julius dicit, *scripto proditam in Magna Synodo*, non ad Canonem necessario referendum est. Potest esse relatum in actis. Ad ea nunc provocat Julius, cum nollent in se admittere, quod in Alexandrinos jam ad ipsorum postulatum fuit exercitum.

§. 16. *An canon de rebus in minori Synodo actis in majori examinandis?*

V. *Quia deest Canon de constituenda formata, cujus communicatione universa debeat compaginari Ecclesia, cujus tamen mentio fiat in Chalcedonensi Synodo Cresconianæ collectionis, ubi sub Attici tituli descripta reperitur.* Agit de formata Epist. etiam Francisc. Bernhardin. Ferrar. *de Epistolis Ecclesiast. lib. 1. c. 2. & seqq.* J. Lud. de la Cerda *adv. Sacr. c. 8. n. 2.* Hieron. Bignon. ad Marculphi form. *p. 601. 602.* Savaro ad Sidon. Apoll. p. 376. & 398. & Gabr. Albaspin. ad Optat. Milevit. pag. 134. Notant, formatis inter Ecclesiasticos exaratis semper subnotatum fuisse *π. υ. α. π.* cum primis literis nominis scribentis, ejus ad quem scribitur, portantis, civitatis græcè appositis, ut & temporis. Π, notare Deum Patrem, Υ Filium, α Spiritum S. Π. Petrum, tanquam caput Ecclesiæ. Ita ex Epistola aliqua Attici Constantinopolitani Episcopi, Ivone & aliis ista narrantur. Sed sub nomine Attici in publicum protrusa Epistola incerti autoris est, Græcum sanè non refert. Fuit fortassis formatarum, quas ante Concilium Nicænum jam Opt. Milevit. agnovit *lib. 2. adv. Parmen.* post Arium damnatum istud signaculum apud Orientales *π, υ, α, π.* quo notaretur Confessio Trinitatis. Sed illa interpretatio, quæ ultimum Π. quod *πνεῦμα* notat & ad *ἅγιον* pertinet, ad Petrum refert, incidit alicui Rom. Pontificis adulatori, & ut Orientalis Ecclesiæ suffragiis niteretur. Attico Constantinopolitano fuit tribuenda. Lacinia illa adjecta est Concilio Chalcedonensi, cum quo nullo modo cohæret. Caret principio & fine. Et monet, ut Editio Crabbe A. 1538. habet, in fine formatæ addi debere numerum 99. *eum secundum Græca elementa ἀμὴν significare, valete in Domino.* Vidit absurditatem Baronius, quapropter ita legendum censet:

§. 17. *An Canon de constituenda formata?*

Addat praterea separatim Amen ἀμὴν, quod in Epistola nonagesimum nonum numerum secundum Graca elementa ἀμὴν significat. Valete in Domino. Nihil igitur de Canone aliquo suspicandum. Conf. Chamier *T. 2. lib. 11. c. 19. n. 63. & seq.*

§. 18. *An canon de gloria?*

VI. *Quia deest Canon de restituendo hymno glorificationis SS. Trinitatis. Ariani n. sicut baptismi formam, sic quoq; glorificationis hymnum corruperant, ut dicerent, Gloria Patri per Filium in Spiritu S.* At ad id non opus fuit Canone. Confessione res expediri poterat. Nec Sozomenus *lib. 3. c. 19.* de ista re aliquid memorat. Basilium ad *traditionem* istam glorificationem referre, operosè notat Baronius *n. 174.* Continet autem illa Confessionem Trinitatis, quæ verbo scripto docetur. Modus confessionis ad dispositionem liberam Ecclesiæ pertinet. Strabo Fuld. *de reb. Eccles. c. 25.* rectè. *Etsi hymnus ille in Concilio Nicano minimè expressus sit, fides tamen coaterna Trinitatis, quam sacer hymnus continet, Concilio Nicano planè & apertè continetur.* Hieronymus *ad Damasum. Istud,* inquit, *carmen laudis omni psalmo conjungi pracipias, ut fides 318. Episcoporum Nicani Concilij in vestro ore consortio pari doceretur.* Conf. Joh. Steph. Durantum *de ritib. Eccles. lib. 3. c. 15.*

§. 19. *An Canon de verbis sicut erat in principio &c. hymno adjungẽdis?*

VII. *Quia deest Canon de adjungendis ad hymnum verbis, Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum. Amen. Quod,* inquit Baronius, *ante concilium Nicanum ex traditione Apostolorum vigeret usus in Ecclesia, ut à fidelibus glorificationis dictus hymnus occinerereretur ubique, licet diverso ritu; alia occasione recens accepit additamentum. Nam cum Ariani blasphemantes dicerent, Filium in tempore à Patre factum, & fuisse tempus, quando non erat, placuit S. Synodo adversus hujusmodi haresin addi ad antiquum glorificationis hymnum, Gloria Patri &c. illam appendicem, qua dicitur, sicut erat in Principio &c.* Sed unde hoc probat Cardinalis? Testatum habetur id ex Concilio Vasensi, ubi hæc reperiuntur c. 5, expressa. *Et quia non solum in sede Apostolica, sed & per totum Orientem & totam Africam, vel Italiam, propter hareticorum astutiam, qua Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed à tempore cæpisse blasphemant, in omnibus clausulis post Gloria Patri & Filio & Spritui S. dicitur, sicut erat in principio & nunc semper & in secula seculorum. Amen. Etiam & nos in universis Ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus.* Sed ubi vel verbulum de Concilio Nicæno in Concilio Vasensi? Satis de Canonibus extra viginti quęsitis. Plura Chamier Panstrat. *T. 2. lib. 13. c. 18.*

De

De viginti Canonibus varia disputantur. Sed ea excutere §. 20.
nostri instituti non est. De Canon. 2. *vide Gerhard. Tom. 6. de Minist.* *De viginti*
§ 183. De Canon. 3. & quod non evertat ea, quæ Paphnutius in *canonibus*
Synodo pro Conjugio Clericorum egit, contra Baron. Bellarm. *disputat.*
& alios *vid. Gerh. L. C. de minist. §. 343. Chamier. T. 3. lib. 16. c. 10. & lib.*
17. c. 8. De Can. 6. vid. Witaker *Tom. 2. Op. p. 509. & s. 621. & s.* Chamier *T. 2. lib. 1. c. 19. §. 11. 12. & lib. 13. c. 8. §. 10.* Salmas. *de prim. p. 100.*
Et dissert. meam de Jur. Can. *§. 23.* De Canone 8. vide Chamier *T. 4. l. 4. c. 2. 6. n. 2.* De Can. 12 *vid. Gerh. T. 6. de Magistr. §. 304.* De Can. 14.
Gerh. L. de Minist. §. 16. De Can. *13.* Cham. *T. 4. l. 7. c. 9. n. 6.* De
Can. 15. *Cham. l. 7. c. 8. n. 4. & 30.* Gerhard. *de Minist. §. 172.* Quæ
Lutherus de istis Canonibus judicat *vid. T. 7. Ien. germ. f. 327. fac. B. & seq.* De Epistola Synodica pro populi admissione ad electionem Ministri Ecclesiæ agit Gerh. *de Minist. §. 94.*

Superest, ut reliqua acta Synodi perpendamus. De illis §. 21.
multa ex Dalmatio Cyziceno refert Gelasius, quem totum suis *De actis*
libris de Conc. Nic. inseruit Alfonsus Pisanus, adjectis aliquibus *Gelasii Cy-*
ex Codice aliquo Vaticano. Qui præfuerunt Romanæ Conci- *ziceni,*
liorum editioni, ita præfantur ad Gelasij acta. *Pene consilium fue-* *Quid Ro-*
rat, hanc Synodi Nicænæ historiam, quæ alioquin suo loco inter cætera ejusdem *mani cen-*
Synodi collectanea reponi debuisset, penitus omittere, quia etsi in urbe non de- *sores?*
erant varia ejus exemplaria, ut Vaticanum, ex quo magnam Nicæni concilij sui partem excerpsit Alfonsus Pisanus, & S. fortianum, quod olim fuit Bessarionis Cardinalis, atq; alia in alijs Bibliothecis, omnia tamen autoris nomine carebant, & incerti autoris opus in lucem dare non placebat. Illud quoque accedebat, quod non pauca in hac historia leguntur, quæ meliorum scriptorum sententijs cum repugnent, illam falsitatis coarguere videantur. Initio enim operis autor affirmat, Arianos Concilij Nicæni tempore non solum contra Filium Dei, sed etiam contra Spiritum S. blasphemasse. Et in lib. 2. introducit disputationes de divinitate Spiritus S. in eodem Conc. cum Philosophis habitas. At id repugnare videtur verbis Epiphanij hær. 73. quæ est Pnevmatomachorum, qui in fine sic ait: Non fuit tunc de Spiritu S. quæstio. *It. verbis S. Basilij in Ep. 78. quæ fidei Nicænæ confeßionem continet.* Spiritus S. *inquit,* ratio in transcursu posita est, nulla diligentia digna judicata, propterea quod nondum mota esset hæc quæstio, sed sententia de ipso in animis credentium nullas adhuc insidias sustinuisset.

*Præterea idem hujus Historiæ autor lib. 2. c. 1. Eusebium Cæsareensem ab Aria-
nismi suspicione diligenter purgare nititur, cum tamen S. Athanasius librum
integrum scripserit de decretis Nicænæ Synodi adv. Euseb. Cæs. Arianum. Et
S. Hier. lib. 2. Apolog. adv. Ruffinum eundem Eusebium modo non Catholi-
cum, modo Arianum, aliquando etiam Principem Arianorum nominaverit.
Denique ut alia leviora sileantur, hic ipse autor lib. 2. c. 32. scribit,* prohibe-
re voluisse Synodum Nicænam, ne Episcopi. Presbyteri, Diaconi
& Subdiaconi cum uxoribus, quas antea cum Laici essent, duxis-
sent, consuetudinem habere possent. Obsistente autem Paph-
nutio nihil hac de re decretum fuisse & uniuscujusque arbitrio
relictum, si ab eis abstinere vellent. *Sed hoc esse manifestum figmen-
tum, à veritate prorsus alienum, facile deprehenditur ex S. Epiph. qui paulo
post celebratum Nicænum Concilium scribens, disertis verbis affirmat hær. 59.
quæ est Catharorum, S. canonibus adversari, quod Episcopus Presbyter aut
Diaconus ex uxore liberos gignat. S. etiam Ambrosius & S. Hieronymus Epi-
phanij æquales, ille lib. 1. de off. c. ult. iste L. advers. Vigilantium, scribunt, non
licere in Occidente, neque in Oriente ad S. Ministerium assumi, nisi virgines
aut continentes, aut qui, si uxores habeant, mariti esse desistant. Quod idem
in concilijs paulo post Nicænum celebratis, ut in Arelatensi II. lib. 2. & in II.
Carthaginiensi Can. 2. confirmatum legimus. Quid quod in ipsa Nicæna Syno-
do extat Can. 3. quo cavetur, ne ulli Episcopo vel Presbytero, vel Diacono liceat
fœminam aliquam domi retinere, præter matrem, sororem vel amitam, quo
canone satis apertè excluditur uxor, quæ primo loco nominanda fuerat, si ve-
ra essent, quæ in hoc libro dicuntur. Sed nim. autor non in actis Concilij hanc
historiam reperit, sed à Socrate lib. 1. c. 6. vel à Sozomeno lib. 1. c. 22. qui pri-
mi eam tradiderunt, desumptam in hac sua collectione inseruit. Quemadmo-
dum autem nonnulla in ea legimus à Concilio Nicæno aliena, si Veteribus Pa-
tribus credimus, sic & contra multa desunt, quæ ex eorundem Patrum senten-
tia in actis ejusdem extare deberent. Testantur a. S. Athanasius Orat. 1. adv.
Arianos, & Theod. lib. 1. H. E. c. 8. Arij scripta & Epist. Euseb. Nicom. le-
cta fuisse in Synodo Nicænâ. Testatur quoque Iulius P. R. in Ep. quæ extat
apud Athan. Apol. 2. in Concilio Nicæno examinata fuisse acta Synodi Alex-
andrinæ. at horum omnium in hac Historia nulla mentio habetur. Nihilomi-
nus tamen, cum ex Photio, cujus Bibliotheca paulo ante in lucem prodijt, satis
constet, hujus operis autorem fuisse Gelasium Cyzicenum, & ejus nomine
Græcè & Latinè jam editum sit, atque in eo habeantur nonnulla, quæ multis*

rebus usui esse possunt, ac propterea veteres scriptores illius mentionem faciant, tanquam actorum Concilij Nicæni, ne à quopiam fortasse desideretur, adjiciendam censuimus. Sic Censores Rom. Rob. Cocus Cens. lib. Apoc. pag. 243. acta illa supposititia censet, quia part. 2 p. 110. in disputatione cum Philosopho Ariano Eusebius Cæsareensis ex S. scriptura aliquid contra adversarium pollicitus, allegat librum ἀναλήψεως Mosis & librum λόγων μυστικῶν ejusdem, quorum uterque est supposititius. Idem cum Riveto Crit. S. putat, Baronium de Gelasio Cyziceno etiã intellexisse, quod dicit A. 325 Christi n. 62. & 63. *fuisse quidem acta Nicæna accuratissimè scripta, S. Athanasius autor est lib. de Synodis, verum injuria temporis & Arianorum conatibus passa esse naufragiũ, certum est. Scio nonnullos, qui longe post Concilium Nicænum vixere, profiteri, Nicæna acta reperiri. Dn. Franc. Turrianus asseverare non dubitat, eadem hodie reperiri Alexãdriæ, apud illius sedis, qui illic moratur, Episcopum. Credidit ipse alijs ista referentibus. Alios audivi, eadem acta apud Arabes asservari. Sed, ut liberè dicam, somnia puto hæc omnia. Nam illud scimus, omne seculum, quod ab eo tempore ad nostram usq; ætatem interlapsum est, cupidissimum fuisse tam egregiæ atq; nobilissimæ antiquitatis, nec tamen hominum quenquam potitum esse. Nec ignoramus, in compluribus Concilijs Oecumenicis, in quæ ex omnibus Orientis atque Occidentis provincijs eruditi Episcopi convenere, cum sæpius Nicænorum actorum peropportuna mentio se offerret, ab aliquo eorum nominetenus cognita vel citata. Nec nos latet, sub Honorio Imp. cum de Nicæno Canone controversia fuisset exorta, publicâ legatione Africanorum Episcoporum ad Orientalium sedium præcipuos Episcopos missa, esse omnium Ecclesiarum archiva reserata, atque abdita quæque penetralia diligentissimè pervestigata, nec quicquam, præter illa, quæ hodie habentur, de Nicæno Concilio inventum esse.* Antonius Possevinus in appar. de Nic. Conc. *Gelasius hic,* inquit, *cum plus æquo tribuat Eusebio Cæsar. qui partes Arianorum sectabatur, non tanti faciendus est.* Petavius *lib. 1. c. 1. de Trin. n. 5.* scriptorem *ineptum & imperitum* vocat. Eique *errorem ridiculum* imputat ibid. n. 3.

Quid Cocus?

Quid Rivetus?

Quid Possevinus?

Quid Petavius?

Sed argumenta contra Gelasium magni momenti non sunt. Nam I. Etiamsi in Synodo Spiritus S. divinitas non fuerit propugnata contra peculiarem quampiam tum exortam hæresin, tamen contra Philosophos, qui totum mysterium Trinitatis destruebant, propugnari potuit. Et jam ante pro divinitate Spiri-

§. 22. Quibus argumentis elevant Gelasina, expenditur.

tus

tus S. contra Basilidem pugnatum fuisse, Baronius docet *ad A. Chr.* 120. *n.* 8. II. de Eusebio Cæsareensi diversissimodè in antiquitate judicatum fuisse, jam supra monuimus. III. Paphnutij historia, ubi contra Bellarm. & Baron. defensa sit, supra annotavimus. Nec Canon Concilij Nicæni refutat eam. Tantum mulieres συνεισάκτους vetat. Uxor non potest παρεισάκτων seu συνεισάκτων nomine venire, 1. quia συνείσακτος omnibus ordinibus cleri interdicitur. Uxor non item. Minoribus enim permissa est. 2. Uxor ab introducta distinguitur 123. 3. Etiam Laicis mulier συνείσακτος interdicitur, non item uxor. 4. συνείσακτοι mulieres habebantur à professis ἀγαμίαν. 5. συνείσακτοι mulieres abstinentiam profitebantur & hujus prætextu assumebantur. Chrysost. hom. adv. eos qui fovent sorores adoptivas. 6. Subintroductarum usus quicunque, erat scortatio. Ita Elias Cretensis Metropolita *Iur. Græc. Rom. resp. matrim. 3. p. 228.* Epiphanius, Hieronymus, Ambrosius, absunt à Nicæni Concilij tempore. Sed vid. Cham. *T. 3. lib. 17. c. 2.* qui & Carthaginensis II. Canonem c. 9. n. 7. interpretatur, sc. Episcopis, Presbyteris Diaconis, hypodiaconis abstinendum ab uxoribus κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους, id est, ut Balsamon ait, *in præstitutis unius cujusque vicis diebus.* Id autem Paphnutij facto non adversatur. IV. Quod Gelasius omnia acta Synodi Nicænæ non habet, nequaquam ipsi detrahit. Tantum enim excerpsit, quantum in Dalmatij codice reperit. V. Quod Eusebius assumptionem & arcanos sermones Mosis ceu scripturam adducit, non debet nobis Gelasium suspectum facere. Nam eorum scriptorum Origenes, Clemens Alexandrinus, & alij meminerunt. Vid. Sixti Senens. Bibl. S. *lib. 2. Verb. Mosis ascensio.* VI. Baronij verba non spectant sive Dalmatiani, sive Gelasij historiam, sed alia aliqua, quæ præter ista adhuc alicubi, uti spem facit Turrianus cum aliis, delitescant.

Canon 3. Nic. de συνεισάκτοις mulieribus explicatur.

§. 23. Ex adverso, licet aliqua non satis concordantia cum reliquis vetustioribus Historicis referat, ut quod prolixiorem, quam vel Eusebius vel alij habent, orationem Constantini M. ad Synodum faciat, quod Osium Sylvestri legatum dicat, & quæ sunt similia, non omnino abrogandam ipsi esse fidem, suadent ista: quia ipsius meminit Photius *Cod. 15. & 88.* Nicetas Choniata *orth. fid. lib. 5.*

Pro Gelasio quæ sint?

lib. 5. c. 7. Johannes Cypariſſiota *Decad. 3. c. 4. & decad. 10. c. 2.* Guil. Lindanus Rurem. Ep. 40. annis fere ante editionem Gelaſij à Robert. Balforeo Scoto adornatam, acta illa habuit ex D. Antonij apud Venetos bibliotheca per Johannem Boxollum *Anglum* Regium Secretarium ſibi communicata, ut memorat in Panoplia *lib. 2. c. 6. p. 75. & addit p. 76. Quod ſi quis moroſior iſtis Nicæni Concilij actis minus, quam par eſt, habeat fidei, quod adhuc orbi incognita indubitatam non videantur mereri autoritatem, is ſane mihi imperitus rerum æſtimator haud immeritò videatur: quaſi v. recondita hactenus veritas minus inveniat apud æquos bonos rerum arbitros ponderis, quam aurum recens effoſſum habeat valoris, atque annoſum & obtritum.* Habuit & Alfon. Piſanus ex bibliotheca Vaticana, beneficio Cardinalis Sirleti, uti meminit *in præf. ad acta* C.N. Habuit & probavit ea Cuthbertus Tonſtallus Anglicanus Epiſc. Dunelmenſis, quæ *in lib. de vero corp. & ſang. Chr. in Euchar.* allegavit. Et inprimis diatypoſes, ex quibus nobis nunc, quæ de S. Cœna eſt, expendenda, laudat. Anton. Poſſevinus Concilij diatypoſes, ut ait *in appar. l. c.* tanquam venerandum tanti Concilij monumentum Græcè & Latinè cum notis emiſit. Rob. Balforeus Scotus *in præf. ad Aegid. Noallium Aquenſem Epiſc. Prædicatione,* inquit, *multo illuſtriore, ſollicitudine* tua procurata jam primum ſe proferunt acta Concilij Nicæni, cujus vim & autoritatem Evangelij ipſius veritati ſacrorum Canonum exæquavit autoritas. Jod. Coccius laudat *T. 1. l. 2. de Chr. art. 4. pag. 163. lib. 6. de Script. Eccleſ. art. 11. p. 646. T. 2. lib 5. de bapt. art. p. 506. Et l. 6. de Euch. art. 1. p. 607.* Rob. Bellarm. laudat *lib. 2. de Euch. c. 10. & lib. 1. de Cler. c. 20.* Gregor. de Valentia laudat *lib. de cœlib. c. 6. p. 869.* Jacob. Gualtherius laudat in *Chronol. ad A. 400. p. 311.* Plures ex Pontificiis adducere ſuperſedeo. Ex ſchola Calvini diatypoſes cumprimis laudant probantque Phil. Mornæus *de Euch. lib. 3. cap. 4. §. Ventum jam ad Concilium Nicænum Oecumenicum p. 695, 696.* Rud. Hoſpinianus *Hiſtor. Sacram. lib. 2. cap. 3. p. 93. & l. 5. c. 8. p. 479. & c. 12. p. 516.* Matth. Sutlivius *lib. 1. de miſſa cap. 29. p. 143.* antequam Gallicanam editionem Actorum ſub Gelaſij Cyziceni nomine vulgatam, ex oriente allatam, cognoviſſet, illa ſuſpecta habuit, quia è Vaticana Bibliotheca prodijſſe jactabatur, tamen diatypoſes & imprimis eam, quæ de cœna eſt, orthodoxas cenſet. P.

Calviniani pro actis Concilij Nicæni Gelaſianis

Molinæus *in Nov. Papismi lib. 3. cap. 7. p. 333.* immitius de actis pronunciat, quod Osium inter Legatos Pontificios numerant, & contra fidem historiæ Eusebianæ, quam de verbo ad verbum describunt, inserunt, eò tamen denique concedit, fieri potuisse, ut ipse Gelasius corruptus sit. Chamier *Tom. 2. Panstrat. lib. 13. cap. 8. n. 29.* diatyposes agnoscit esse fragmentum antiquitatis notatu dignum. Jac. Gothofredus laudat ea Acta *ad Philostorg. p. 39 &c.* Hugo Grotius *in annot. ad consult. Cassandri. p. 22.* citat ex actis Gelasij diatyposin de cœna, sub nomine Concilij Nicæni. Simplicius Verinus (Claudius Salmasius) *de Transubstant. p. 74.* non respuit eam, sed vindicat & explicat. Imò p. 81. porrò laudat. Adde quod nihil sit in illis diatyposibus, quod doctrinæ seculi illius Ecclesiæ, aut etiam cæteris Concilij Actis repugnet.

§. 25. In cæteris syntagmatis Gelasiani actis liber I. est ex Eusebij H. E. l. 8. c. 13. & 5. & l. 9. quibus consentiunt ferè historici, qui res illorum temporum descripserunt. Liber II. ferè consentit monumentis historicis cæteris, nisi quod Sylvestrum miscet Legatis Sylvestri, de quo supra. Fortè quia ex Latina, quam vocant, Ecclesia Osius fuit, & tanta cum autoritate interfuit Snoydo, suum judicium secutus, existimavit miscendum esse Gelasius aut Dalmatius. Item quod sermonem Constantini prosphoneticum ad Concilium ampliorem proponit, quam apud cæteros est. In quo sibi interdum plurimam historici sumunt licentiam. Item quod disputationes philosophorum prolixè enumerat. Meminit istarum Socrates *lib. 1. c. 5.* & Sozomenus *lib. 1. c. 17.* Sint in disputationibus illis aliqua parum solida, meminerimus, apud Patres Synodi non omnia ex scriptura contra Arium producta, accommodata fuisse. Certè Alexander Alexandrinus *in Epist. ad omnes fratres, quæ est apud Socratem lib. 1. c. 3. Quomodo*, inquit, *ex nihilo Filius factus est, cum Pater dicat Ps. 45.* Eructavit cor meum verbum bonum: *& Ps. 110.* Ex utero ante Luciferum genui te. Loquitur S. David in Ps. 45. non Deus Pater. Filius est is, quem verbum bonum decantat. Attamen Tertullianus *contra Marcionem lib. 1. c. 4. & Praxeam c. 7. & 11.* Patrem hic loqui dicit. Novatianus *c. 13.* sequitur. Cyrillus Alexandr. *de Trinit. l. 1.* scribit, *Patrem comparare Filium suum verbo.* Sequitur Ambrosius *de benedict. Patriarch.*

& in c. 7. Luc. & lib 2. de fide c. 1. & de filij divinitate c. 2. & lib. de Symbolo. Eucherius Lugd. *in Pſ. 110 3.* Verum Hieronymus *epiſt. 146.* vocat ſuperſtitioſam interpretationem. Locum Pſ. 110. hoc non velle, latè probavimus in Anti-Cornæo *c. 21. §. 7. & ſeqq. p. 188 & ſeqq.* Idem Alexander *in Epiſt. ad Alexandrum Conſtantinop. quæ eſt apud Theod. l. 1. c. 4.* locum Eſ. 53, 8. ad æternam generationem probandam adducit. Secus ſe rem habere, ex textu liquet. Rurſus ibidem *Prov. 30, 19.* cum de inſcrutabili via ſerpentis ſuper petram textus loquitur, petram hanc dicit eſſe Chriſtum, de qua Paulus *1. Cor. 10, 4.* Talia in Euſebio, Hilario, Athanaſio & alijs occurrunt. Cætera, quæ poſt diſputationes ſequuntur à c. 25. ad c. 31. ubi diatypoſes incipiunt, ex hiſtoricis depromi poſſunt. Poſt diatypoſes ſequuntur canones, quos etiam habent Tomi Conciliorum. Poſt hos *cap. 33.* eſt Paphnutij contra cœlibatum diſputatio, quam Socrates, Sozomenus & alij habent, de qua ſupra. C. 34. Miletij actio recenſetur, quam & alij ex Actis Synodi notarunt. Subnectitur Epiſtola Synodica ad Orientales. c. 35. extat Euſebij epiſtola, quæ & c. 36. occupat. c. 37. Conſtantini ad Epiſcopos & populos. & adv. Arium, ad Alexandrinos & omnes orthodoxos & ad Epiſcopos, qui Concilio non interfuerunt. Omnia repeiuntur etiam alibi. Adjicitur partibus duabus pars tertia, in qua ſunt tres Epiſtolæ, prima Conſtantini ad Arium & Arianos, altera ejuſdem ad Catholicam Eccleſiam Nicomedienſem, tertia rurſus ejuſdem ad Theodotum. Prima etiam edita eſt à Morello Architypographo Regio græcè, Latineque reddita à P. Morino. Eam tertio Tomo Annalium A. Chr. 319. n. 6. & ſeqq. inſeruit, è Vaticano Codice, & ſubinde annotationibus illuſtravit Card. Baronius. Extenditur ad n. 22. Meminit etiam harum literarum Epiphanius *hær. 69.* & pauca ex eis recitat, cum ait, *Attamen Rex zelo ductus epiſtolam magnam ad totam Romaniam contra Arium ſcripſit, eamque fide & omni ſapientia ac veris verbis refertam, ſicut & hæc hodie apud ſtudioſos ſervatur, hoc principium habens: Conſtantinus Auguſtus Maximus, Ario & Arianis. Malus interpres &, ut ita, dicam, ſtatua & imago diaboli eſt &c.* Deinde *inter alia & poſt multam contra ipſum ex divinis ſcripturis productam contradictionem etiam ex Homeri verſibus quendam contra ipſum invehens, miſeriæ gratia appoſuit; quem ipſum etiam hic appo-*

nere necessarium duxi, & hic est: Age sane, urge Ari, scutis opus est. Nec tamen hoc facias, rogamus. Cohibeat te saltem Veneris conversatio. Ita Epiphanius. Socrates etiam *lib. 1. c. 6.* has literas tangit, cum ait: *Alias quoque literas Imperator contra Arium & ejus opinionis fautores magis populari & fusa scribendi ratione composuit, quas quidem, quo ejus amentiam salsius morderet & lepida dissimulationis specie acrius pungeret, in singulis civitatibus passim divulgavit.* Est omninò illa ipsa Epistola, quam vetustissimæ membranæ Dalmatij conservarunt, è quibus Gelasius Cyzicenus eam in syntagma suum transtulit. Unde mirum est, quid Dionysius Petavius in animo habuerit, quod dixit, *eam inconditam ac frivolam esse, ut propemodum ab otioso aliquo facta & Constantini nomine publicata videri possit.* Sed expediat is rem cum Baronio. Pro Gelasio testantur Epiphanius & Socrates. Altera etiam edita est à Theodoreto *l. 1. c. 20.* ut & hic nihil suspicandum sit de Gelasio. Cæterum integram non habet Theodoretus, ut vel hinc (ne dicam de alijs ejusmodi monumentis, quæ subinde plenius exhibet Gelasius) appareat, eum sua ex Eusebio, Socrate, Theodoreto, Sozomeno &c. non compilasse, sed ex veteribus hausisse membranis. Baronius *ad Ann. Chr. 329. n. 12.* memorat, se reperisse integram una cum alia Epistola Constantini ad Alexandrinos missa, quas nactas Justinianus Imp. latinitate donatas miserit ad Vigilium Papam; ipse verò à Nicolao Fabro acceperat. Exhibet n. 13. Petavius non audet suspectam pronunciare, carpit tamen *lib. 1. Theol. dogm. de Trin. c. 5. n. 10.* Sed ut inspicienti patebit, non ex causa. Patrem dicit Constantinus *sine principio, sine fine parentem seculi, Filium vero, h. e. Patris voluntatem, quæ quidem neque per cogitationem est aliquam assumta, neque ad operum suorum perfectionem per exquisitam aliquam substantiam accepta. Sed Dei Filius Christus omnium opifex & immortalitatis ipsius largitor genitus est, quantum ad fidem pertinet, cui credidimus, genitus est; imò potius processit ipse, cum semper in Patre esset, ad ea ordinanda, quæ ab ipso facta sunt.* Nihil in his quidem verbis contra fidem. Manca videntur librarij vitio: quod de universa epistola conqueritur Baronius *n. 12.* Quid enim est dicere, *Filium verò, h. e. Patris voluntatem &c.* Hiat sanè oratio. Quod Filium *Patris voluntatem* vocat, quid absoni? Ita voluntas Patris est, ut virtus, sapientiaque. Anne, quia Petavius putat, non Filium,

sed

ſed Spiritum S. per voluntatem proceſſiſſe, abnuit ita loqui? *Videatur Interventio pro myſt. Trinitatis & AntiCornæus cap. 17.* Rectè verò dicit, quod Filius Patris voluntas non δι᾽ ἐνθυμήσεως τινὸς ἀνειλῆφθαι per cogitationem aliquam ſcil. extrinſecus excitatam aſſumatur: neque πρὸς τὴν τῶν ἔργων αὐτῶν τελεσιουργίαν διά τινὸς ἐξεζητημένης οὐσίας κατελήφθη ad operum ſuorum conſummationem per aliunde ſc. exquiſitæ ſubſtantiæ intuitum & imaginem accepta fuit. Ita enim revera eſt. Rectè porrò dicit, Filium Dei genitum eſſe ſc. ab æterno, non paulo ante opificium orbis, proceſſiſſe verò ἐνεργητικῶς & δημιουργικῶς ad operandum, cum ὑποστατικῶς ſemper in Patre eſſet. Sed placuit Petavio ex ſubdola in Patres reverentia ſtilum in Conſtantinum inferre. Illud intricatius eſt apud Gelaſium, quod Conſtantinus dicere legitur, *Omnes probè noſtis, Dominum Deum ſc. & Salvatorem Chriſtum Patrem & Filium eſſe, Patrem dico ſine principio, &c.* Aliter legitur in ea, quam à Fabro Baronius habet. *Dominum Deum & Salvatorem Chriſtum ſubtiliter omnes cognoſcitis, dilecti Fratres, Patrem dico ſine principio, ſine fine, generatorem ſeculi ipſius; Filium autem h. e. voluntatem Patris.* Omninò igitur & hic in vitio jacet locus. Tertia ep. ad ſecundam ſpectat, nec habet, quod ſuſpicionem νοθείας faciat. Quia itaque cætera omnia Gelaſij γνήσια ſunt, nec ex ſcriptoribus, quos hodiè habemus, conſarcinata; quia pleniora, & magis integra; quis jam de Diatypoſibus dubitet? Referunt ſanè illæ ſtilum illius ſeculi, uti in ἐκθέσει liquidum dabitur: referunt ſtylum Concilii, imprimis in materia Euchariſtiæ, quod ex collatione cum Canone quinto apparebit, de quo & Iſaacus Caſaubonus exerc. 16. ad Baron. Annal. ſect. 50. & 51. Nihil habent analogiæ fidei adverſum. Nulla juſta de illis ſuſpicandi ſiniſterius cauſa eſt. Pontificij & Calviniani hodie & olim aliqui, & quidem potiores judicijque exactioris, approbarunt. Videamus ergo, cum Deo, quomodo ſenſum verborum inſtitutionis Dominicæ expreſſerint divini Patres. Ait Gelaſius ad finem diatypoſeos 8. p. 157. Ταῦτα ἐκ τῶν σπουδασθέντων τοῖς ἁγίοις ἡμῶν πατράσιν ἐκκλησιαστικῶν διατυπώσεων, μικρὰ ἐκ πολλῶν, τῇ δὲ τῇ συγγραφῇ συνετάξαμεν, *Has ex elaboratis à ſanctis noſtris Patribus conſtitutionibus Eccleſiaſticis paucas ex multis hoc Commentario deſcripſimus.* Non igitur omnes diatypoſes nobis è membranis vetuſtis Gelaſius communicavit.

SECTIO III.

Διατύπωσιν de S. cœna exhibens & ejus ἔκθεσιν proponens.

SS. Nicæni Concilij Patres, ut rectè pronunciat R. Balforeus *in not. p. 274.* de rebus Ecclesiæ duo decretorum genera fecerunt. Nam eorum alia διατυπώσεις, alia ὅροι dicuntur: quæ hoc à se invicem differre videntur, quod διατυπώσεις ad doctrinam de fide stabiliendam propriè spectabant, ὅροι verò ad disciplinam Ecclesiasticam constituendam & Clericorum mores conformandos ac emendandos referebantur. Liquet hoc ex verbis Gelasij Cyziceni, quæ habet *part. 2. p. 199. edit. Paris.* paulò ante Catalogum Episcoporum, cum ait: Ἐγὼ δὲ τὰ ἐν αὐτῇ τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ περὶ τῶν τῆς Καθολικῆς καὶ ὀρθοδόξου πίστεως, τῆς τε σεβασμίου ἑορτῆς τοῦ ἁγίου πάσχα, τῶντε τῆς ἐκκλησιαστικῆς θείας λειτουργίας διατυπώσεων, τῶντε περὶ τῆς ἐν αὐτῇ εὐταξίας κανόνων κριθέντα καὶ ὁρισθέντα ἐντάξας καταπαύσω τὸν λόγον. *Ego autem, quæ in ipsa sancta Synodo de Catholica & orthodoxa fide, & veneranda sancti paschatis festivitate, de divini Ecclesiastici officij constitutionibus, & de ipsius disciplinæ canonibus judicata & definita sunt, ordine proposuerim, huic sermoni finem imponam.* Ipse etiam Theodoretus ὅρους istos, quos νόμους vocat, esse ait περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς πολιτείας. Plures autem fuisse diatyposes, quam Canones censet Balforeus, & eo refert, quod 80, vel 70. canones cum Athanasio *in Ep. ad Marcum Papam* numerantur, cum ὅρους solum 20. fuisse, & à Gelasio scribatur, & à Theodoreto *l. 1. c. 8.* & in Actis Concilij Carthaginiensis non procul à principio in edit. Balsamonis. Videtur Balforeus in ea sententia fuisse, genuinam Athanasij ad Marcum esse Epistolam, in qua etiam fuit Guil. Lindanus *Panopl. l. 4. c. 89. fol. 44.* & Franc. Bernardin. Ferrarius *de antiquo Eccles. epist. genere p. 14. & alij.* Eam autem improbant Bellarminus & Baronius Cardinales. Ille ita loquitur *l. 2. de R. P. c. 25.* *Quod 20. Canones Concilij Nicæni non sunt omnes, probant nonnulli ex ep. Athanas. ad Marcum Papam, in qua petit exemplum Nicæni Concilij ex Rom. Pontif. scrinio, asserens, exempla, quæ erant Alexandriæ, fuisse cremata ab Arianis, sed hoc argumentum ridetur à Magdeburgensibus, & verè non est solidum. Nam illa incensio librorum accidit tempore Constantij Imperatoris,*

Ep. Athanasij ad Marcum cujus autoritatis?

ris, quando Athanasio expulso Georgius quidam Arianus in ejus locum ordinatus est, ut ipse Athan. testatur in Ep. ad omnes orthodoxos. Constat autem ex Chronico Hieronymi, Marcum Papam eo tempore fuisse defunctum. Deinde si Marcus Papa exemplar misisset ad Alexandrinos ex Romano scrinio, certe convenissent deinceps inter se exemplaria Romanum & Alexandrinum. Quomodo ergo in exemplari à S. Cyrillo ex Alexandria ad Africanos misso deerant isti Canones tres, qui inveniebantur in Romano? (Prius argumentum Bellarmini solidum est. Postremum facilem haberet expeditionem, si responderetur, Romanum deinde fuisse interpolatum & in scrinio vim passum.) Hic ad ann. Chr. 336, n. 19. ita loquitur. *Mirum certè, cum diu multumque inter Ecclesiam Africanam & Romanos Pontifices Zosimum & Bonifacium agitata sit controversia de numero Nicænorum Canonum, ipsos ejusmodi Epistolas (Athanasij ad Marcum & Marci ad Athanasium) præteriisse. At Mercatoris merces nonnihil suspectæ redduntur, utpote quæ germano rectæ rationis & temporis signo minimè inveniuntur esse signatæ. Quonam pacto quæso sub dictis Coss. potuit Athanasius Alexandria ad Marcum scripsisse, qui jam exul agebat hoc anno in Galliis? Et quænam sub Constantino grassatio Arianorum contigit in Aegypto, cum non Marci tempore, sed multo post, quando Constantius Georgium in locum Athanasij subrogavit, passa sit Ecclesia Alexandrina violentam Arianorum vastationem? Sed quonam pacto Marcus potuit X. Cal. Novembris scripsisse ad Athanasium, cum hoc ipso anno nonis Octob. reperiatur esse defunctus? Eum quidem non nisi octo menses sedisse, S. Hieronymus testatur in Chronico.* Cardinalibus suffragatur Possevinus cum ait, sine dubio non esse Athanasij. Confer D. Blondelli Pseudo-Isidor. *p. 436. & seqq.* Nihilominus Balforeus confutat Lindani & aliorum ex hac epistola pro pluralitate Canonum Nicænorum & Codicum Arabicorum fide argumentum. Nam docet, quod quicquid ultra viginti excurrit, non ad Canones εὐταξίας & πολιτείας, de quibus Theodoretus loquitur, referendum sit, sed ad διατυπώσεις pertineat.

Διατύπωσις ad quamcunque dispositionem designandam adhibetur. Hinc & Testator sæpè dicitur διατυπῶν, & testamentum dicitur dispositio διατύπωσις. Damascenus apud Budæum ex Chrysostomo: γράψον ἐν τῇ σῇ διατυπώσει, μετὰ τῶν τέκνων καὶ συγγενῶν συγκληρονόμον καὶ τὸν δεσπότην &c. Scribe in testamento §.8.

tuo

tuo post liberos & cognatos etiam cohæredem Dominum &c. Est etiam διατύπωσις informatio, quæ de rebus ad religionem pertinentibus fit, est adumbratio & expositio credendorum, est delineatio circa salutis media observandorum. S. Basil. de vit. solitar. ἀμαθῆ εἶναι δεῖ τῶν ἀνθρωπίνων διδαγμάτων, ἕτοιμον ὑποδέξασθαι τῇ καρδίᾳ τὰς ἐκ τῆς θείας διδασκαλίας ἐγγινομένας διατυπώσεις.

Ad tales θείας διδασκαλίας διατυπώσεις pertinent illæ è pluribus, μικρὰ ἐκ πολλῶν, quas Gelasius nobis fecit reliquas. Sic autem se habet diatyposis, quam nobis meditandam sumsimus, quinta.

§. 3. Περὶ τῆς θείας τραπέζης, καὶ τοῦ ἐπ' αὐτὴν μυστηρίου τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ χριστοῦ.

Ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης πάλιν κἀνταῦθα, μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχομεν. ἀλλ' ὑψώσαντες ἡμῶν τὴν διάνοιαν πίστει νοήσωμεν κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ, τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον. καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμᾶς πιστεύειν ταῦτα εἶναι τὰ τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα. διὰ τοῦτο γὰρ οὔτε πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλ' ὀλίγον, ἵνα γνῶμεν οὐκ εἰς πλησμονὴν, ἀλλ' εἰς ἁγιασμόν. Balforeus ita vertit.

De divina mensa, & de eo, quod in ipsa est, mysterio corporis & sanguinis Christi.

Iterum etiam hic in divini mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum, sed attollentes mentem fide intelligamus situm in sacra illa mensa agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum: & pretiosum ipsius corpus & sanguinem verè sumentes, credere hæc esse nostræ resurrectionis Symbola. Propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum, ut sciamus, quod non satietati, sed sanctimoniæ sumimus. Ita reddit Cuthb. Tonstallus, & Alf. Pisanus. Sequitur nunc tum ἔκθεσις, tum ἀπολογία.

ΔΙΑΤΥ-

ΔΙΑΤΥΠΩΣΕΩΣ

Ἔκθεσις

Ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης) De menſis tum profanis, tum ſacris, vide Thomam Dempſterum *ad Antiq. Rom. Roſini lib. 5. cap. 26.* Johan. Bapt. Villalpand. *Tom. 2. Com. in Ezech. part. 2. lib. 4. cap. 37. & 50.* Guil. Stuck. *Antiq. Conviv. l. 2. cap. 16. 17. & de ſacr. gent. p. 65. 66.* Joh. Meurſ. *de luxu Rom. cap. 9.* & alios. Nicæni Patres reſpexerunt ad Apoſtolum, qui 1. *Cor. 10. 21.* τραπέζης κυρίου καὶ δαιμονίων meminit. Nam & in idoliis menſæ ponebantur populo, tribubus, & ſodalitatibus. ἱερὰν τραπέζην habet Scholiaſtes Pluti. Conf. Meurſ. *Panathen. cap. 15.* Itaque diſtincta eſt τράπεζα, à θυσιαστηρίῳ. Unde nec neceſſe eſt inter Chriſtianos ibi eſſe θυσιαστήριον, ubi eſt τράπεζα. Poteſt alibi eſſe θυσιαστήριον, alibi τράπεζα ſicut & in idoliis fuerat. Et celebris quidem erat appellatio *menſæ Dominicæ* in Eccleſia veteri. Iſaacus Caſaubonus *exercit. 16. ſ. 36.* putat pro ipſa Euchariſtia ſumi. Sic apud Optatum Milevitanum *l. 5. pag. 91. contra Donatiſtas* dicitur: *Nolite vobis maieſtatis dominium vindicare. Nam ſi ita eſt, vindicent ſibi & miniſtri, qui menſæ Dominicæ famulantur, ut pro humanitate exhibita ab invitatis gratulatio eis referatur. Chriſti vox eſt invitantis*, venite benedicti Patris mei; *veniunt gentes ad gratiam.* (Gratiam ſumi pro Euchariſtia apud veteres, notat Caſaubonus, *ex. 16. num. 46.*) *Exhibet ille, qui invitare dignatus eſt. Miniſterium exercet turba famulorum. Non famulantibus, ſed paſcenti referendæ ſunt gratiæ. Vos nobiſcum miniſtri ſitis. Inverecundè totum vobis convivii dominium vindicatis.* Auguſtinus *de peccatorum meritis &c. contra Pelag. l. 1. cap. 24.* inquit: *Eccleſiæ Chriſti inſtitutum tenent, præter baptiſmum & participationem dominicæ menſæ, non ſolum non ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem & ad vitam æternam poſſe quemquam hominum pervenire.* Leo I. *de jejunio ſeptimi menſis ſer. 6.* Sic *ſacræ menſæ communicare debetis, ut nihil prorſus de veritate corporis Chriſti & ſanguinis ambigatis.* Sed ipſam Euchariſtiam immediatè à SS. Patribus intelligi, non neceſſarium eſt dicere. Menſa ipſa intelligi poteſt, ſed, ut ſic dicam, ἐκ προθέσεως, cum apparatu illo ſancto & divino, qui ex inſtitutione divina inſtruitur. § 2.

Menſa ſacra cum altari nō neceſſariò coniuncta.

§. 3. Cæterum veteres non sine Epitheto τὴν τράπεζαν appellarunt. Hinc θεία τράπεζα à P P. Nicænis dicitur: ἐπουράνιος τράπεζα in Liturgia, quæ Jacobo tribuitur: καταξιῶσαι ἡμᾶς μεταχεῖν ταύτης τῆς ἐπουρανίου τραπέζης. *Dignare nos participes reddere huius cœlestis mensæ.* ἱερὰ τράπεζα *homil. separata in 1. Cor. 10, 1.* οὐ μυστηρίων κοινωνία, οὐ τράπεζα ἱερὰ, οὐχὶ ἀπόλαυσις τοῦ σώματος, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος ἡμᾶς ὠφελῆσαι δυνήσεται; *Annon communicatio mysteriorum, nonne sacra mensa, nonne acceptio corporis, nonne perceptio sanguinis nos salvare poterunt?* μυστικὴ τράπεζα vocatur apud Chrysost. *hom. 6. ad pop. Antioch.* ἔπειτα ἐπὶ τὴν μυστικὴν τράπεζαν ἐξάγει τὸν λόγον, *Deinde transit ad sermonem de mystica cœna.* Theodoret. *de prov. serm X.* ἡ μυστικὴ αὐτὴν ὑποδέχεται τράπεζα. *Mystica mensa ipsam suscipit.* φρικώδης τράπεζα *mensa terribilis* vocatur, apud Chrysostom. *homil. 1. Cor. 11.* ἡ τράπεζα ἡ φρικώδης κοινὴ πᾶσι πρόκειται *terribilis illa mensa communis proponitur omnibus.* Λογικὴ τράπεζα vocatur à Theodoret. *serm. 6. de provid.* ἐπὶ τὴν λογικὴν μετέβη τράπεζαν ἡ τροφή. βασιλικὴ τράπεζα vocatur à Chrysostomo *hom. 6. ad pop. Antioch.*

§. 4. *Quo sensu sacra mēsa altare vocatur?* Cœpit post vetus Ecclesia appellare θυσιαστήριον & altare hanc mensam, non quod censeret, mensam illam θυσιαστήριον & altare esse, in quo propriè dictum sacrificium offeretur Deo, sed quod sanctissimi sacrificii, cuius umbram typumque gesserunt veteris testamenti sacrificia, in ea fieret dispensatio. Nisi gentilibus loquentes aut inter gentiles, aram & altare etiam appellare voluerunt veteres, ut in multis id eos fecisse scribit Baronius *ad ann. Christi 44. §. 86.* *Quid? non licuit*, inquit, *quæ apud Gentiles superstitioso cultu impiè agerentur, eadem expiata sacro ritu, ad pietatem transferre, ut maiori Diaboli contumelia, quibus ipse coli voluerit, Christus ab omnibus honoraretur? ut inter alios fecisse constat Magnum illum Gregorium, ob præclaras ab eo res gestas cognomento Thaumaturgum, qui Gentilium ferias superstitionibus cumulatas in festa ac celebritates sanctorum martyrum commutavit.* Sic & Marc. Antonius Columna *hydragiologiæ sect. 2 cap. 2. §. 9.* inquit; *Ex Ethnicorum commentis, multa ad veram pietatem ac Dei cultum desumpsit Ecclesia.* Polydorus Virgilius *invent. rer. l. 5. c. 1. multa*, inquit, *ab Hebræis, & non pauca à Romanis cæterisque Ethnicis ad nos instituta manarunt.* Et in *l. 4. proœm. non parum*, inquit, *multa à Iudæis, & non modica ab aliis Gentibus instituta*

tuta,

ſuta, aut caſu rationeve accepta, tam in frequentem uſum & conſuetudinem venêre, ut pro noſtris habeantur. Et *lib. 6. cap. 8.* inquit, *Ethnicos perinde in hac re* (feſtis) *ut in nimis multis aliis æmulamur.* Confer Nic. Hunnium *de Apoſtaſ. Rom, Eccl. per communionem cum Ethnicis cap. 4.* ita recepta aræ & altaris apud Gentes vocabula deflectere ad inſtitutum Eccleſiæ voluerunt. In Codice ſanè ſacro altare vel θυσιαστήριον nuſpiam τράπεζαν κυρίου notat. Hinc Patres, cum eam altare vocant, impropriè loquuntur, aut certè non eo ſenſu, quaſi ſacrificium aliquod proprii nominis in eo fieret. Qua ex cauſa negant, aras, altariave Chriſtianos habere. Minutius Felix ita *pag. 22.* introducit Cœcilium cum Chriſtianis expoſtulantem. *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulachra?* cui ſic reſpondentem introducit Octavium *pag. 73.* *Putatis nos occultare, quod colimus, ſi delubra & aras non habemus, quod enim ſimulachrum Deo fingam, cum, ſi rectè exiſtimes, ſit Dei homo ipſe ſimulachrum? templum, quod ei extruam, cum totus hic mundus opere eius fabricatus eum capere non poßit? Et cum homo laxius maneam, intra unam ædiculam vim tantæ majeſtatis includam? nonnè melius in noſtra dedicandus eſt mente? in noſtro imò conſecrandus eſt pectore? hoſtias & victimas Domino offeram, quas in uſum mei protulit? &c.* Arnobius *adv. Gent. lib. 6.* *Conſueſtis nobis crimen maximum impietatis affingere, quod neque ædes ſacras venerationis ad officia conſtruamus, non Deorum alicuius ſimulachrum conſtituamus, aut formam, non altaria fabricemus, non aras &c.* Plura vide in noſtra Myſſar. Miſſ. *c. 8. §. 28.* & apud Deſid. Herald. *ad Arnob. 6. pag. 229.*

Nec ullum indicium eſt, S. Patres menſam Domini pro- §. 5.
priè vocare ſacrificium. Producit Durantus *de Rit. Eccleſ. Cath.* *Canon 3.*
l. 1. cap. 15. Can. 3. & 31. è dictis Canonibus App. Notamus, ca- *& 31. A-*
nones Apoſtolorum dici non quia Apoſtolis authoribus & ſty- *poſtolorũ*
lo Apoſtolico ſcripti. Non malè iudicat, qui cenſet canones *expendi-*
iſtos conſarcinatos ex Actis aliorum Conciliorum, præcipuè *tur.*
autem Antiocheni, cum multa legantur in Antiocheno, quæ in Canonibus Apoſt. extant, nec reperiuntur in Nicæno, Sardicenſi & aliis. Nec veriſimile eſſe, Antiochenos Patres aliquid ex ipſis canonibus depropturos, diſſimulatis authoribus à quibus maiorem ſuis ſanctionibus authoritatem conciliare po-

potuiſſent videri, poſt Antiochenum Concilium & tempora Conſtantini collectos & authoritatis maioris gratia Apoſtolicos appellatos. Conf. Wittacker. *contr. 1. quæſt. 6. c. 12.* Raynold. *Cenſ. lib. Apocr. T. 1. lect. 44.* Parker *Polit. Eccl. lib. cap. 13.* Cocum *Cenſ. l. Apocr. pag. 3.* Non conſtat tamen altare in iſtis canonibus nuncupari ob ſacrificium quoddam propriè ſic dictum. Canon. 3. ita habet. *Si quis Epiſcopus vel Presbyter præter Domini de ſacrificio ordinationem alia quædam ad altare attulerit* (παρὰ τὴν τοῦ κυρίου διάταξιν τὴν ἐπὶ τῇ θυσίᾳ) *mel vel lac, vel pro vino, ſiceram, vel* ἐπιτήδευτα *confecta, vel aves, vel aliqua animalia, vel legumina præter ordinationem, deponatur,* πλὴν νέων χύδρων ἢ σταφυλῆς *præter nova legumina vel uvam tempore opportuno. Ne liceat autem aliquid aliud ad altare offerre, quam oleum ad luminare, & incenſum tempore ſanctæ oblationis.* Ibi per altare intelligitur locus, in quo elementa diſtribuendo corpori & ſanguini Dominico ſubſervitura reponebantur, quibus etiam collationes fidelium aliæ ſacro uſui non dicatæ admiſcebantur. θυσία & ἅγια προσφορὰ eſt ipſa diſpenſatio epuli tremendi.

§. 6. *Irenæus explicatur.*

Subnectit Durantus Irenæum, quod *lib. 4. cap. 20.* Apoſtolos ideo veros ſacerdotes eſſe probaverit, quia altari & Deo ſerviunt. Ponamus integra verba. *Sed & eſurientes accipere Sabbatis eſcas ex his, quæ adiacebant, non vetabat lex: metere & colligere in horreum vetabat. Et ideò Dominus his, qui incuſabant diſcipulos eius, quoniam vellentes ſpicas manducabant, dixit:* Non hoc legiſtis, quod fecit David, cum eſuriſſet quemadmodum introivit in Dei domum, & panes propoſitionis manducavit, & dedit eis, qui cum eo erant, quos non licebat manducare, niſi ſolis ſacerdotibus? *per legis verba ſuos diſcipulos excuſans, & ſignificans, licere ſacerdotibus liberè agere. Sacerdos autem ſcitus fuerat David apud eum, quamvis Saul perſecutionem faceret ei. Omnes enim iuſti ſacerdotalem habent ordinem. Sacerdotes autem ſunt Domini Apoſtoli, qui neque agros, neque domos hæreditant hîc, ſed ſemper altari & Deo ſerviunt, de quibus dicitur Deuter. 33. 9.* Non ſanè Irenæus ſacerdotes appellat Apoſtolos, ſignificatu proprio, ſed propter analogiã, quia ſe totos divino miniſterio dicarunt. Hoc eſt, phraſeologia Veteris Teſtamenti, *altari & Deo ſervire.* Fruſtra eſt ergo etiam Fevardentius, cum *not. 4.* ad hæc verba ſcribit. *Vel hinc profectò facile eſt videre, Chriſtianos à temporibus Chri-*

ſti &

sti & Apostolorum, martyrum & deinceps sua in templis altaria servasse, quibus Deo sacrificium incruentum corporis & sanguinis Christi in perpetuam mortis eius recordationem offerrent. Irenæus etiam Davidem sacerdotibus accensuit. Imo omnes iustos. De Davide sic *not. 2.* Fevardentius : *Eodem sensu David* sacerdos *sic dicitur, quo filii eius. 2. Reg. 8.* sacerdotes, *id est, viri principes ac primates. Sic enim* כהן *pro quo LXX. ἱερεῖς habent, vertit Santes. Aut certè in hoc particulari facto David sacerdotibus æquatus est, quod panes sacros urgente necessitate comederit. Denique potest David & sacerdos appellari, quod sacerdotibus Leviticis sacros hymnos concinendos & proposuerit & una cum ipsis sit modulatus: simulque laudis, orationis & cordis contriti hostias spirituales magna religione obtulerit.* Idem etiam *not. 3. vult,* inquit, *Irenæus pios omnes regali iuxta atque sacerdotali munere fungi, dum carnis lascivientis impetus lege spiritus coërcent, atque hostiam viventem, sanctam, beneplacentem Deo secundum Apostolicam institutionem seipsos exhibent, eleemosynas etiam & labiorum vitulos Deo Opt. Max. offerunt* &c.

Adducit Durantus Tertullianum, qui *de pœnit. cap. 9.* doceat, Christianos antiquitùs venerari aras Dei consuevisse. Sed apud Tertullianum aliter legitur ; scilicet pœnitentes olim solitos *ieiuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, mugire dies noctesque ad Dominum Deum, presbyteris advolvi & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere.* Probat hanc lectionem etiam Pamelius, & prolixè Iohan. Ludov. de la Cerda *adv. sacr. cap. 169. num. 12.* Adgeniculari viris sanctis *in usu,* inquit, *olim fuit.* Tertull. *de pœn. cap. 9. Presbyteris advolvi, charis Dei adgeniculari. Dionysius* epist. ad Demophilum σὺ δὲ τὸν προσπεσόντα τῷ ἱερεῖ παρὼν ἀπελάκτισας, *tu vero eum, qui se ad sacerdotis genua abiecisset calce detrusisti. Sic etiam in gentilismo usitatum. Dionysius Halicarnas. l. 6. de legatis Latinorum:* Καὶ τῶν γονάτων ἁπτόμενοι πάσης τῆς γερουσίας καὶ τὰς ἱκετηρίας παρὰ τοῖς πόσι τοῦ Ποστυμίου τιθέντες : totique senatui ad genua procidebant, positis ad Posthumii pedes supplicum insignibus. *Xenophon. 7. de Cyri institut.* Κύρου κατεφίλουν καὶ χεῖρας καὶ πόδας. *Cyri* osculabantur & manus & pedes. *Hæc adiicias Tertulliano velim.* Sic Cerda. Sed idem Tertull. *de orat. cap. 14.* aræ clarè meminit: *similiter,* inquit, *stationum diebus, non putant plerique, sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit, accepto corpore Domini.*

§. 7. *Tertullianus explicatur.*

Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit? an magis Deo obligat? Nonne solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris: Accepto corpore Domini, & re servata, (ita putat legendum Fr. Iun.) *utrumque salvum est, & participatio sacrificii, & executio officii.* Erat, *inquit, Onufrius Panvinius de stationibus urbis Romæ pag. 73.* precandi genus, cum stantes orabant. quod *de geniculis non adorare*, vocat idem Tertullianus, quem orandi morem die Dominico per totum id tempus, quod inter Pascha & Pentecosten est usurpatur. Tertullianus *de cor. milit. die Dominico ieiunium nefas duximus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ ad Pentecosten usq; gaudemus.* Vnde precationes istæ stationes vocantur. Tertullianus *l. de ieiunio* eas interdum in vesperam usque perductas esse ait: *arguunt nos Psychici, quod ieiunia propria custodiamus, quod stationes plerumque in vesperam perducamus, quod etiam Xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne & iurulentia.* Ita & stationes à ieiuniis distinguit *l. 2. ad uxor. ut si statio facienda est, maritus de die condicat ad tabernas si ieiunia observanda sunt, maritus eodem die convivium exerceat, si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio adveniat. Stationes,* inquit idem, *dies suos habent, quarta & sexta feria,* & infra: *Cur stationibus quartam & sextam Sabbati dicamus, & ieiuniis parasceven.* Videantur plura apud Onufr. Cerda contendit cap. 104. n. 15. stationem esse idem quod ieiunium. Unde & cap. 138. n. 3. vult *stationem solvere* esse ieiunium solvere. Agnoscit autem cap. 160. n. 16. Veteres stationem à ieiunio manifestè distinguere. Hærere se tandem dicit sententiæ Albaspinei & Petavii *in not. ad Epiph.* negantis, stationem esse ieiunium. Confer Pomp. Hugonium *hist. station. Rom. disc. general.* Simpl. Verinus *Epist. ad Iul. Pac. pag. 109.* aliter legit & intelligit Tertullianum, de quo nunc locus dicendi non est. Id tantum notamus, *aram*, Tertulliani sensu, non ita vocari, ut sacrificium propriè sic dictum inferat. Locum orationum & sacrificiorum, ad quem religiosè standum, designat.

§. 8. *Cyprianus explicatur.*

Hoc modo & Cyprianus *altare Domini* vocat epist. 49. *Deus,* inquit, *unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui aut sacerdotium novum fieri, præter unum altare & unum sacerdotium, non potest.* Et epist. 55. *Quid superest, quam ut Ecclesia Capitolio cedat, & recedentibus sacerdotibus ac Domi-*

ac Domini altare removentibus in Cleri noſtri ſacrum venerandumque conſeſſum ſimulacra atque idola cum aris ſuis tranſeant, & Novatiano declamandi adverſus nos atque increpandi largior & plenior materia præſtetur, ſi ii, qui ſacrificaverunt & Chriſtum publicè negaverunt, non tantum rogati & ſine acta pœnitentia admitti, ſed adhuc inſuper cœperint terroris ſui poteſtate dominari. Epiſt. 63. dicit, per Salomonem Prov. 9. *Spiritum S. typum Dominici ſacrificii ante præmonſtraſſe immolatæ hoſtiæ, & panis & vini, & altaris & Apoſtolorum facientem mentionem.* Ubi ſacrificium non Deo, ſed hominibus oblata ſacramenta appellat, & altare idem dicit, quod menſa vocatur. Nec ad ſacrificium propriè ſic dictum & recenter oblatum ſpectat, cum ep. 65 ait, Fortunatiano fas non fuiſſe *ſacerdotium, quod prodidit, ſibi vindicare & poſt aras Diaboli accedere ad altare Dei.* Ut & epiſt. 66. cum ait: *ſinguli divino ſacerdotio honorati & in clerico miniſterio conſtituti non niſi altari & ſacrificiis deſervire, & precibus atque orationibus vacare debent.* Quomodo etiam Novatianus altare collocare & ſacrificia offerre contra altare & ſacrificia orthodoxorum dicitur ep. 73.

Bellarminus adiungit Cypriano Euſebium Cæſarienſ qui ipſi Concilio Nicæno interfuit. Satis autem frigidè, *Euſebius*, inquit, l. 1. monſtr. de Evang. c. 6. *multa dicit de altari Eccleſiæ.* Quid verò dicit? Audiamus ex ipſo. Exponit vaticinium Eſa. 19. 19. quo dicitur, altare Iehovæ futurum in media terra Ægypti. & ait: *Inſpice ſi non hodiè, h. e. noſtris interim temporibus ipſis oculis cernantur non ſolum Aegyptii, verum etiam omne genus hominum, qui ante hac ſimulacris addicti erant quosque Aegyptiorum appellatione Prophetica prædictio ſignificat, à multor. Deorum ac dæmonum cultu impio liberatum, & verum Prophetarum Deum invocans & adorans. Vota autem faciunt non pluribus amplius Dominis, ſed uni ſoli Domino, quemadmodum ſacrum prædixit oraculum. Et huic quidem* altare incruentarum & rationalium hoſtiarum, *ut nova N. T. myſteria poſtulant, per totum terrarum orbem erectum eſt: & cum in Aegypto, tum in reliquis gentibus, quæ mores Aegyptiorum imitantes ſuperſtitionis errore tenebantur, hac ipſa ætate noſtra cognitio veri Dei relucens fidem iis, quæ à Prophetis prædicta ſunt indubitatam adiungit.* Ecce altare, ſed incruentarum rationaliumque hoſtiarum, hoc eſt, precum ac hymnorum. Ita Euſebius paulo poſt: *Adorant igitur ſummum Deum omnes barbari & Græci, non Hieroſolyma*

§. 9. *Euſebius explicatur.*

curren-

currentes, neque cruoribus aut sacrificiis placantes, sed domi suæ apud seipsos, spiritu & veritate incruento puroque obsequio illum colentes. Idem l. 10. H. E. c. 4. producit panegyricum Paulino Tyri Episcopo dedicatum, in quo magnifici templi structura describitur. Meminit is altaris tanquam Sancti Sanctorum in medio sanctuarii siti, *atque ut à plebe & multudine non posset accedi, cancellis ex ligno fabricatis circundati.* Sed anne sacrificio recenter adornando, propriè sic dicto dicati? Non sic Eusebius. Ita enim infra altare explicatur: *Augustum porrò, ingens & unum altare quid aliud significat, quam purum sanctum sanctorum animi, qui est communis omnium sacerdos, cui ad dextram aßistens magnus ipse totius orbis Pontifex Iesus unigenitus Dei filius, & fragrans incensum & precum sacrificia, sanguinis & concretæ materiæ expertia, ab omnibus læto aspectu & supinis & erectis manibus excipiens, cœlesti Patri Deo omnipotenti offert, ipseque primus Patrem adorat, & solus dignum decus tribuit ac venerationem, deinde ab eo sine intermißione flagitat, ut nobis omnibus benignus & propitius esse perseveret.* At Joh. probaturus Bapt. Casalius Rom. *de sacris veterum Christ. ritibus c. 38. p. 212.* in lege gratiæ altare sacrificio externo & propriè sic dicto dicatum extitisse, impudenter adducit Eusebium, *quod* in orat. de laudibus Constantini in medio *post relationem Ecclesiarum, quas ille ædificaverat Constantinopolis, Antiochiæ & Hierosolymæ, de Romanis sic inquiat:* In Lateranensi palatio Ecclesiam Salvatori dedicavit & ei continentem basilicam nomine S. Johannis Baptistæ condidit eo loco, quod ipse baptizatus à S. Sylvestro à lepra mundatus est, quam idem Pontifex consecravit 5. id. Novembr. qua die imago Salvatoris in pariete depicta populo Roman. apparuit. *Item quod referat:* In sanctorum numero locorum imprimis semper fuisse insignem eam Vaticani partem, quam S. Petri confessionem appellant: Illuc Constantinum octavo die post susceptum Baptismum venisse, depositoque diademate & humi iacentem vim lacrymarum profudisse, mox sumto ligone & bidente terram eruisse, indeque XII. terræ cophinis honoris causa Apostolorum oblatis, ac loco Basilicæ Principis Apostolorum designato Ecclesiam ædificasse. *Idem quod subdat:* Etsi B. Sylvester in consecratione *altaris* Principis Apostolorum decreverit, ut deinceps non nisi ex lapide altaria ædificarentur, ta-

men

men basilicæ Lateranensis altare fuisse è ligno erectum. Nam cum à S. Petro usque ad Sylvestrum propter persecutiones Pontifices certo loco consistere non possent, quocunque eos necessitas compulisset, sive in cryptas, sive in cœmiteria, sive in ædes piorum; super illo altari ligneo ad arcæ similitudinem concavo sacra fecisse, quo altari S. Sylvester, reddita Ecclesiæ pace, honoris causa Principis Apostolorum, qui in illo sacrificasse dicitur, & reliquorum Pontificum, qui usque ad id tempus ad mysteria conficienda eo usi fuerant, in Lateranensi prima Ecclesia collocato sancivisse, ne quisquam in eo præter R. Pontificem missam deinceps celebraret. Sic Casalius contra omnem veritatem ista tribuit Eusebio, qui disertè tradit, non à Sylvestro Romæ, sed Nicomediæ ab Episcopo baptisatum Constantinum, de quo supra s. 1. §. 30.

§. 10. Gregorius Nazianzenus expenditur.

§. 10. Gregorius Nazianzenus *in laud. Gorgon. orat. 25. edit. Leoncl. 11. edit. Bill.* §. *10.* meminit θυσιαστηρίου, sed intelligit sacram mensam orationibus & Eucharistia fruenda frequentatam. Sic Nazianzen. de Gorgonia. *Desperans omnium aliorũ auxiliis ad mortalium omniũ Medicum confugit, noctisque intempesta caligine observata, cum levius aliquanto morbus urgeret,* τῷ θυσιαστηρίῳ προσπίπτει μετὰ τῆς πίστεως *ad altare cum fide procumbit, eumque, qui super illud colitur* τὸν ἐπ' αὐτῷ τιμώμενον, *cum magno clamore obtestans omnibusque nominibus appellans, atque omnium rerum, quas unquam mirificè gesserat, commonefaciens, (nam utriusque T. historias callebat) tandem pia ac præclara quadam* ἀναισχυντίᾳ *impudentia effertur. Eam, quæ Christi fimbria sanguinis profluvium compresserat, imitata quid fecerit, audite. Caput cum pari clamore uberrimisque lacrymis (mulierculæ illius instar, quæ olim Christi pedes irrigarat,) altari admovens, nec se ante ab eo discessuram minitans, quam sanitatem consecuta sit, ac deinde hoc suo pharmaco totum corpus perungens ac sicubi quippiam* τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισεν *signorum pretiosi corporis aut sanguinis manus ceu thesaurum arripuerat, id lacrymis admiscens, ô rem admirandam, protinus liberatam se à morbo sentit.* Vbi θυσιαστήριον sacram mensam denotare, clarum est. Malè ergo hinc concludunt Bellarm. *l. 1. de Missa cap. 16.* Durantus *l. c.* & alii, quia Nazianzenus θυσιαστήριον vocat, sacrificium propriè sic dictum ibi fieri. Certè θυσιαστήριον antiquitus etiam vocatur

O locus

locus, in quo S. menſa erat repoſita. Dionyſius, vulgò Areopagita, *de Eccl. Hierarch. cap. 5.* Ὁ μὲν ἱεράρχης ἐν μέσῳ τοῦ θείου θυσιαστηρίου καθίσταται. Quid per θυσιαστήριον notetur, explicat Scholiaſtes Nazianz. Ὁ δὲ ναὸς θυσιαστήριον, ἐν ᾧ ἡμῖν ἡ θεία τῶν μυστηρίων πρόκειται τράπεζα. Hinc in antiquorum ritualibus περικυκλῶν θυσιαστήριον. Ignatius *epiſt. ad Eph.* ἐὰν μή τις ᾖ ἐν τοῦ θυσιαστηρίου, ὑστερεῖται τοῦ ἄρτου τοῦ θεοῦ. Ubi ἐν τὸς τοῦ θυσιαστηρίου εἶναι eſt ibi eſſe, ubi ſacra menſa eſt. Nimirum θυσιαστήριον ſacrarium, altarium, ſeu, ut Philoxenus, ἡρῷον. Etiam vox θυσιαστηρίου non tantum de holocauſtorum altari, ſed etiam de θυμιάματος ſumitur *Luc. 1, 11. Ap. 8, 3.* Sic θυσιαστήριον atrium Iudæorum indicat, in quo altare holocauſti. *Apoc. 14, 18.* ut enim verſ. 17. ἐκ τοῦ ναοῦ ex ſanctuario exierat unus Angelus, ſic ἐκ θυσιαστηρίου alius, quod de altari propriè dicto dici nequit. Et *cap. 11, v. 1.* ut à ſanctuario diſtinguitur θυσιαστήριον, ideoque ad θυμιατήριον non pertinet, ſic & in hoc προσκυνεῖν dicuntur. Itaque ad atrium integrum referendum, non ad ipſum altare, ſic ut τῇ αὐλῇ ἔξωθεν τοῦ ναοῦ exteriori templi atrio contradiſtinguatur. Rurſus Ignatius *in epiſt. ad Trallenſes.* Ὁ ἐντὸς θυσιαστηρίου ὢν ei, qui ſine Epiſcopo & Presbytero & diaconis agit, opponitur. Ita & *in Epiſt. ad Magneſ. & ad Philadelph.* ſumitur. Videatur hac de re Leo Alatius *epiſt. 1. de templis Græc. recentioribus num. 11. & ſeqq.* qui hunc locum θεῖον ἄδυτον, ἅγια ἁγίων, ἱερατεῖον, & ἅγιον βῆμα appellari notat. *Num. 13.* in ſancto illo bemate ordinariè duo, quandoque etiam tria altaria fuiſſe, ait: ubi tria fuerunt, in eo, quod ad ſiniſtram eſt exeuntibus libros, veſtes, & alia utenſilia repoſita fuiſſe; in nonnullis tamen Eccleſiis muro etiam medio, vel tabulato à reliqua bematis parte ſeparata & aditu adaperto in eodem muro cum bemate communicatum. Ibi carbones ad altare pro ſuffitu ferendos accendi, ſacris lebetibus calefaciendis attendi, ut more ſolito aqua fervens, ſacro calici tempeſtivè infundatur, cereis etiã accenſis Evangelio præiri, quando lectionis cauſa fertur ad ſuggeſtum, & ſacra munera, cum ab altari minori ad ſacrã menſam ſolenniter, antequam conſecrentur, deferuntur, & poſtquam conſecrata fuerint, à S. menſa ad altare minus reportantur, ut quicquid ex illis reliquum eſt, à Sacerdote vel diacono abſumatur. Ubi duo tantum ſunt altaria, minus vocatur

πρόθεσις

πρόθεσις, in quo omnes res ad ſacramentū pertinentes, panis & vinum, reponuntur, & exinde ad maius, quod *ἁγίαν τράπεζαν* vocāt, transportantur, quæque non uſurpantur, in protheſin denuò referuntur, & à miniſtris conſumuntur. Gorgoniæ igitur recurſus ad θυσιαστήριον ad opinionem ſacrificii ibi fieri ſoliti, aut etiam præſentis, trahi non debet, quorſum inſuper eum trahit Bellarm. *lib. 4. de Euchariſt. cap. 4. §. 11.* Neque enim verba Nazianzeni requirunt, ut cum Iac. Billio *in Schol.* dicamus, *morem antiquiſſimum à Gorgonia obſervatum fuiſſe, quo Chriſtiani domi quoque Euchariſtiam aſſervare atque eſitare ſoliti ſunt*: Verba Nazianzeni ita habent; *Gorgonia εἴπου τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισεν ſicubi quippiam antityporum pretioſi corporis aut ſanguinis theſaurizaret manus ipſius.* Id dici non potuit de Gorgonia, ſi ſacra illa elementa, quibus corpus & ſanguis Domini diſpenſatur, ſecum domo attulit, & in altare ipſa repoſuit. Quomodo namque Nazianzenus eventualiter eſſet locutus, & dixiſſet, *Gorgoniam caput altari admoviſſe, in complexu eius hæſiſſe, lacrymis illud madefeciſſe, & ſolicitā fuiſſe, εἴπου ſicubi theſaurizare poſſet antitypa corporis & ſanguinis Chriſti*, ſi illa ipſa attulit ſecum? Præterea quomodo dicere potuit Nazianzenus, intentam fuiſſe Gorgoniam, ut manus ipſius theſaurizaret illa antitypa, ſi iam illis fuerunt impletæ? θησαυρίζειν eſt theſauri inſtar aliquid conſequi, aliquid in theſaurum reponere. Hoc ergo voluit Nazianzenus, Gorgoniam cum nocturno tempore in templum ſe contuliſſet, inprimis ad ſacram ſe menſam contuliſſe, eam ardentiſſimis ſuſpiriis fuiſſe complexam, lacrymas ad eandem uberrimas ſparſiſſe, & in ea manu avida, ut nocturno tempore fieri ſolet, quæſiviſſe, in illa palpitatione, an ex elementis ſacramento maximo adhibitis aliquid, ſive panis eſſet, ſive vinum, reperire & ingentis theſauri inſtar arripere, ſicque ſuis lacrymis ſolatium aliquod acquirere poſſit. Hoc verbis Nazianzeni congruum eſt. Nimirum fiebat, ut panis & vini aliquæ reliquiæ ſupereſſent interdum in ſacra menſa. Has illa legere inſtar ingentis theſauri, has cum lacrymis ſumere voluit.

Simpl. Verinus ad Iul. Paciū pag. 112.

Quid de facto Gorgoniæ iudicandum, hic non attinet disquirere. P. Martyr contra Stephanum Gardinerum *part. 1. obiect 38. pag. 175.*

§ 11. *P. Martyr examinatur.*

Pag.175. Te, inquit, *pie lector, tui maximè causa fideliter moneo, exemplum istud Gorgoniæ & aliorum similium non esse proponendum nobis ad imitandum: nimirum ut reliquias & frustula sacramentorum nobiscum in sudariolis aut mantilibus circumferamus. Vis enim universa illorum est, ut ad S. Cœnam adhibeantur, ut comedantur & bibantur; quemadmodum Dominus præcepit. Dum enim ibi usurpantur, & verbis Domini clarè atque apertè recitatis adhibentur, magnum ad salutem nostram adiumentum adferunt: præter hunc autem usum nihil est in illis aliud, quam abusus & superstitio. Deinde ista muliercula, quod salva eius fratrisque Gregorii pace dicatur, videtur in Christiana Religione non satis fuisse instructa, quæ altari opus esse crediderit, ut preces suæ à Domino audirentur. Sacra quidem loca preces fidelium faciunt efficaciores, si adsit piorum cœtus. Dominus enim promisit se effecturum, quicquid à duobus aut tribus in eius nomine convenientibus peteretur. Neque unquam deest promisso suo, sed quæcunque in sacro cœtu impetu & impulsu S. Spiritus postulantur, benignè largitur. Adest etiam orantibus in cubiculo & intimis penetralibus, qui sacri conventus copiam non habent. Pollicitus enim, qui vel sic orant, eos quoque patrem cœlestem, qui videt in abscondito, auditurum. Est item id attendendum, sacram mensam, ubi cœna dominica est celebranda, non propriè dici altare, licet Patres ea voce passim abusi fuerint, quod cum fecissent, credidit plebs, illam sacram mensam non minus symbolum fuisse, quam Hebræorum altare, sicut Epistola ad Hebræos interpretatur. Quod tamen non ita est. Præterierunt enim veterum umbræ: utque non amplius habemus altare, sic illud genus figuræ & symboli apud nos desiit. Christiani tamen illis temporibus, moti, plus quam oportuit, verbis Patrum, in ipsa mensa, ceu in symbolo Christi, eum consueverunt adorare, quem in illo significari putarunt.* sic Martyr. Bellarm. *libr. 2. de Euchar. cap. 18.* malè accipit censuram de Gorgonia: *Illam*, inquit, *sanctam*] *fœminam satis defendit ab istius impii Apostatæ petulantia, tum S. Gregorii autoritas, qui illam non solum prædicat, ut sanctissimam & optimam, sed etiam testatur, fuisse doctissimam in literis utriusque Testamenti, tum evidens miraculum, quod illa ipsa nocte accidit &c.* Nihil in hoc negotio arbitramur. Notamus tantum, Gorgoniam in facto, & Gregorium Nazianzenum in pronunciato iudicio de facto non esse infallibilem, cum nec Pontifici Rom. hoc casu hanc excellentiam adscribere velit Bellarminus. Certè Gorgonia parum ante obitum baptisata est, adeoque & mysteriis di-

vinis

vinis contra ordinem divinum interfuit, quod ad id, de quo supra *sect. 1. §. 32.* dictum adnotari potest. Patet id ex Gregorii Nazianzeni confessione. Ita enim *in orat. ad funus Gorgon.* αὐτῇ μὲν οὖν ὑπόγυιον ἦν τὸ τῆς καθάρσεως καὶ τελειώσεως ἀγαθὸν, ἣν κοινὴν δωρεὰν καὶ δευτέρου βίου κρηπῖδα παρὰ θεοῦ πάντες λαβόντες ἔχομεν. μᾶλλον δὲ πᾶς ὁ βίος κάθαρσις ἦν αὐτῇ καὶ τελείωσις. Καὶ τὸ μὲν τῆς ἀναγεννήσεως, εἶχεν ἐκ τοῦ πνεύματος, τὸ δὲ ἀσφαλὲς ταύτης ἐκ τῶν προβεβιωμένων. Καὶ μόνη σχεδὸν, ἵν᾽ εἴπω τολμήσας, σφραγὶς ἀλλ᾽ οὐ χάρισμα ἦν τὸ μυστήριον. Εν δὲ τοῖς πᾶσι προσστεθῆναι ζητοῦσα τὴν τοῦ ἀνδρὸς τελείωσιν &c. Baptismum per κάθαρσιν & τελείωσιν intelligi, dubium non est. Nam & hunc velut signaculum regenerationis, cum iam ante verbo Evangelii regenita esset, accepit ipsa, & cum in ultimo vitæ discrimine versaretur, collatum viro suo gestiit. Illud videndum, quid Nazianzenus dicere voluerit, Gorgoniæ, cum versaretur circa τελευτὴν ὁσίαν καὶ περιβόητον sanctam & celebrem mortem ὑπόγυιον fuisse τὸ τῆς καθάρσεως καὶ τελειώσεως ἀγαθόν? Hesychio ὑπόγυιον est, vel προσδόκιμον, ἐγγὺς, ἢ ὁμοῦ, *expectatum, propinquum, instans*, vel τὸ πρὸ ὀλίγου γεγονὸς, καὶ τὸ ἕτοιμον, πρόσφατον, *paulò antè factum, paratum, recens.* Sic & Suidæ ὑπόγυιον, ἐγγύτερον, πρόσφατον, νεωστὶ γινόμενον &c. Sic & Phavorinus: ὑπόγυιον λέγεται τὸ ἐγγύτερον, καὶ πρόσφατον, τὸ ὑπὲρ γύιον καὶ τὴν χεῖρα ὂν &c. Sic ὑπόγυιος τελευτὴ *mors instans* apud Isocrat. *ad libr. Iason.* & ὥρα τῆς βλαστικῆς ὑπόγυιος *tempus germinationis proximum* apud Theophrast. *lib. 5. de C. pl. cap. 4.* Et τὰ ὑπόγυιον μνήμην ἔχοντα *exempla recentis memoriæ* apud Herod. *libr. 1.* Et priorem quidem interpretationem secutus est Cornarius. Ita enim locum reddit. *Ipsa igitur purgationi & expiationi iam appropinquabat, quam donum commune & secundæ vitæ principium à Deo accipientes habemus, seu potius tota vita illi purgatio erat & expiatio. Et hanc quidem ex generatione à spiritu, securitatem verò ex vita conceperat transacta. Et solum ferè, ut audacter loquar, signaculum erat, non gratia mysterium. Cæterum cunctis mariti expiationem addere desiderabat.* Ita quidem mysterium baptismi nondum percepisset Gorgonia, cum in templo altari esset advoluta, & quæreret antitypa corporis & sanguinis Christi. Sed baptismo Gorgoniam iam tinctam fuisse, liquet ex antecedentibus, ubi clarè de ea Nazianzenus! *O fœmineam naturam, quæ propter commune salutis certamen naturam virilem superasti, atque ostendisti,*

maris & fœminæ non animos, sed corpora sola distingui! ô miram à baptismo puritatem & sponsam Christi animam in puro corporis thalamo! Hinc aliter Billius reddit: *Iam verò baptismi imitationem purgationisque divinæ bonum, quod commune beneficium & secundæ vitæ fundamentum à Deo omnes habemus, haud pridem acceperat. Imò verò tota vita illi nihil aliud erat, quam purgatio ac cœlestis imitatio. Ac regenerationem quidem à spiritu S. habebat, verum eam ante acta vita in tuto collocabat, atque in ipsa sola, ut audacius dicam, baptismus signaculi rationem habebat, non gratiæ: Porrò unum hoc reliquis omnibus accedere cupiit, ut maritus quoque aqua lustrali tingeretur.* Non itaque in infantia à parentibus suis baptismo adhibita fuit, malo seculi more, quo etiam Episcopus, qualis Gorgoniæ & Nazianzeni parens, negligebat filios baptisari, quod de Gregorio Nazianzeno patet ex iis, quæ in Ind. Iniquit. *part.6.pag.146 & seq. §.67.68.* annotavimus. Neque etiam in adolescentia, & eo tempore, quo viro nupta est, hoc est, *vitatis matrimonii & cœlibatus incommodis, quicquid in utroque commodum erat, delegit, inque unum coëgit, alterius nempe sublimitatem, & alterius securitatem, & reipsa ostendit, neutrum horum suapte natura tale esse, ut nos prorsus vel Deo, vel mundo adstringat, vel ab his penitus nos separet, sic quidem, ut alterum natura omninò fugiendum sit, alterum prorsus expetendum, verum mentem esse, quæ & nuptias & virginitatem rectè moderetur*, ut Nazianzenus de ea *l.c.* ait. Laudatur in eo statu, quod *marito coniuncta, nunquam à Deo disiuncta fuerit; quod postquam mundo naturæque hactenus obsecuta, ut carnis legi, vel ei, qui hanc carni legem indixit, satisfaceret, totam se postea Deo consecraverit; quod maritum bonum Dei conservum elucrata sit; quod corporis sui fructum, filios & nepotes, Spiritus S. fructum fecerit, prolem & universam familiam instar unius animæ Deo purificaverit*, & quæ alia sunt, quæ in ipsius laudibus habentur. Porrò ita in laudes Gorgoniæ effunditur frater: *sic omnes virtutum numeros absolvit, ut ne mediocriter quidem unam quisquam alius. sic rursus in unoquoque genere excelluit, ut vel unum solum instar omnium abunde sufficeret. O squalidum corpus & indumentum virtute sola florens! O animam corpus propemodum etiam sine cibo velut materiæ expers retinentem! vel ut rectius loquar, ô corpus sibi ipsi moriendi necessitatem etiam ante mortem imponens, ut libertatem consequeretur anima, nec à sensibus impedimenti quicquam acciperet; ô noctes insomnes & psalmorum cantus, & stationem ex die*

in diem

in diem desinentem. *O David solis piis animis non prolixè cavens ! O tenera membra in terra provoluta, seque asperè præter naturam exercentia ! O lacrymarum fontes præ tribulatione profusarum, ut in exultatione messem faciant ! O nocturnum clamorem nubes penetrantem ad Deumque pervadentem. O spiritus fervorem præ rationis desiderio nec canes nocturnos, nec frigora, nec imbres, nec tonitrua, nec grandinem, nec tenebras extimescentem. O fœmineam naturam, quæ propter commune salutis certamen naturam virilem superasti, atque ostendisti, maris & fœminæ nomine non animos, sed corpora sola distingui. O miram à baptismo puritatem & sponsam Christianimã in puro corporis thalamo.* Videmus Gorgoniam demum baptismum percepisse, cum iam liberorum pariendorum difficultatem superasset, hoc est, Deo, qui naturæ hanc legem indixit, satisfecisset, ut se totam postea illi consecraret, ut supra loqui audivimus Nazianzenum. Atqui is contra differentes baptismum, quocunque id fiat prætextu, gravissimè invehitur, *Orat. in S. bapt. quæ est ed. Leon. §. 40.* Quæ autem recens, sive paulò ante ultimum morbum, qui vitæ ipsius finem attulit, baptisata fuit, anne etiam abstinuit à participatione corporis & sanguinis Domini? Si fecisse evinci queat, malè fecit, quæ tanti mysterii usu se privavit. Nam cum mortis desiderio teneretur & perpetuis precibus à Deo eam contenderet, baptisata videtur. Solebant moribundi, aut in periculoso morbo positi baptismum olim expetere. Ita de Theodosio seniore. Orosius *lib. 7. cap. 33.* *Theodosius cum experientissima providentia totam cum Mauritania Africam meliorem pristinis legibus reddidisset, instimulante & obrepente invidia iussus interfici apud Carthaginem, baptisari in remissionem peccatorum, præoptavit, & postquam sacramentum Christi, quod quæsierat assecutus est, post gloriosam seculi vitam etiam de vitæ æternitate securus percussori iugulum ultro præbuit.* De Theodosio iuniore Socrates *lib. 5. cap. 6.* *In morbum incidens, cupiebat baptismo donari, quippe ex maioribus religionem iam olim didicerat Christianam, fideique consubstantialis se totum addixerat.* Cumque ipsa baptismum consecuta esset, ad recens exemplum maritum invitasse videtur. Intuebatur enim ille ὑπογύιον τῆς καθάρσεως καὶ τελειώσεως ἀγαθὸν non sine stimulo. Bonus itaque conservus, ut ieum Nazianzenus vocat, non multum hic eam ante se voluit relinquere. At illa iam ante altare frequentare

solita

ſolita fuit. Hinc in morbo quodam prodigioſo & inſolenti, uti vocatur apud Nazianzenum, *cum is aliquanto levius urgeret, ad templum properat, altari advolvitur, eum cuius ibi publica celebrari ſolet memoria implorat, & antitypa corporis & ſanguinis Chriſti theſaurizare manibus quærit*, ut ſupra commemoratum eſt. Quantum adfuerit morbus hic ab ultimo, non conſtat. Res ſoli Epiſcopo & Nazianzeno à Gorgonia indicata fuit. Potuit longo à fine vitæ intervallo contigiſſe, ſed obiter. Ad viam redeundum eſt.

§. 13. *Optatus Milevitanus de altaribus ſui temporis.*

Illuſtris locus eſt Optati Milevitani *adverſ. Parmen. lib. 5. init.* quem adſcribere placet. *Quid tam ſacrilegum, quam altaria Dei (in quibus & vos aliquando obtuliſtis) frangere, radere, removere? In quibus vota populi & membra Chriſti portata ſunt, quo Deus Omnipotens invocatus ſit, quo poſtulatus deſcendit Spiritus S. unde à multis pignus ſalutis æternæ & tutela fidei, & ſpes reſurrectionis accepta eſt. Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non iuſſit Salvator poni, niſi quæ eſſent de pace condita. Depone, inquit, munus tuum ante altare, & prius concorda cum fratre tuo, ut poſſit pro te ſacerdos offerre. Quid enim eſt altare niſi ſedes & corporis & ſanguinis Chriſti? Hæc omnia furor veſter aut raſit, aut fregit, aut removit. Hoc igitur inexpugnabile nefas, ſi de aliqua ratione deſcendit, uno modo fieri debuit. Sed, ut æſtimo, alio loco copia lignorum frangi iuſſit, alio, ut altaria raderent, lignorum inopia imperavit, ut removerentur, ex parte verecundia iuſſit, ubique tamen nefas eſt, dum tantæ rei manus ſacrilegas & impias intuliſtis. Quid perditorum conductam referam multitudinem? & vinum in mercedem ſceleris datum? quod ut immundo ore ſacrilegis hauſtibus biberetur, calida de fragmentis altarium facta eſt. Si livoris iudicio nos vobis ſordidi videbamur, quid vobis fecerat Deus, qui illuc invocari conſueverat? Quid vos offenderat Chriſtus, cuius illic per certa momenta corpus & ſanguis habitat? Quid vos etiam offendiſtis vos ipſi, ut illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum ſpatia ſanctè, ut arbitramini, obtuliſtis? dum impiè perſequimini manus noſtras illic, ubi corpus Chriſti habitabat, feriſtis & veſtras. Hoc modo Iudæos eſtis imitati. Illi iniecerunt manus Chriſto in cruce: à vobis perculſus eſt in altari. Si Catholicos illic inſectari voluiſtis, vel veſtris illis antiquis oblationibus parceretis. Ibi modo ſuperbus inventus es, ubi iamdudum humilis offerebas? Ibi libenter peccas, ubi pro multorum peccatis orare conſueveras. Hoc faciendo in numerum ſacrilegorum ſacerdotum libenter intraſtis, ſociatit ſceleribus profanorum. De*

quibus

quibus apud Dominum Helias Propheta querelam deponit. Hinc enim locutus est, quia res est Dei, ubi Deo aliquid à quocunque oblatum est. Sufficeret insaniæ vestræ, quod membra laniastis Ecclesiæ, quod Dei populos jam diu in unitate positos vestris seductionibus divisistis. Inter hæc omnia vel altaribus parceretis. Cur vota & desideria hominum cum ipsis altaribus evertistis? Illac ad aures Dei ascendere populi solebat oratio. Cur concidistis precibus viam? & ne ad Deum supplicatio de more solito adscensum haberet, impia manu quoddammodo scalas subducere laborastis? Et tamen cum omnium vestrum una sit conjuratio, in hoc titulo simili errore dissimiliter deliquistis. Si suffecerat removere, non licuit frangere. Si oportuit frangere, rasisse peccatum est. Si enim non licuit, sicut inter vos placuit, rectè videtur fregisse, qui fregerit. Iam reus est, qui majorem partem radendo servavit. Quæ est ista nova & stulta sapientia, novitatem quærere in visceribus majestatis, & remota quasi quadam corporis cute, in latente corpore cutem quasi alteram quærere, quod ad se pertinet, & in se totum est, quod unum est. Vnde cum aliquid fuerit ablatum, minui potest. Rasisti equidem, quod tibi visum est: sed adhuc ibi est, quod odisti. Quid, quod si sic conjurastis, ut, quæ à nobis in nomine Dei in ipso mysterio tacta sunt, immunda viderentur, quis fidelium nescit, in peragendis mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri? Inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi, non lignum. Aut si tactu posset penetrari velamen, Ergo penetrantur & ligna. Si penetrari possunt ligna, penetratur & terra. Si à vobis lignum raditur, & terra, quæ subter est, fodiatur. Altam facite scrobem, dum pro vestro arbitrio quæritis puritatem. Sed observate, ne veniatis ad inferos, & ibi inveniatis Core, Datam & Abiron, schismaticos, magistros scil: vestros. Ergo & fregisse vos & rasisse constat altaria. Quid est quod in hac re subtili quasi languere visus est furor? Videmus enim vos postea mutasse consilium, & altaria a vobis non jam frangi, sed radi tantummodo aut removeri: si hoc sufficiebat, illa quæ prius facta sunt judicatis, quia fieri minimè debuerunt à nobis. Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam calices sanguinis Christi portatores. &c.

§. 14. *Notabilia ex Optato.*

Hinc elicimus varia de ritibus & usibus altarium seculo Optati Milevitani, seculo quarto florentis: I. Ea fuisse lignea adhuc: Ibi; *copia lignorum frangi jussit* &c: Et ibi; *calida de fragmentis lignorum.* Mensas sive altaria lignea, in Africa, ubi Optatus scripsit, adhuc Augustini ætate usitata fuisse, constat ex ejus

I. *Ea fuisse lignea.*

 tract.

tract. 26. *in Ioh.* ubi ait, *ſacramentum corporis & ſanguinis Dominici in dominica menſa præparari & de dominica menſa ſumi.* Et Ep. 50. queritur, *Donatiſtas ligna altaris effregiſſe.* Autor qq. V. & N. T. q. 101. *Officium,* inquit, *Diaconi eſt, portare altare.* Unde univerſalem Eccleſiam non obligavit Sylveſter Epiſcopus Rom. cum, *uti Gerſonem lib. 4. contra Floretum ſcribere Gabr. Biel ſuper canon. lect. 13. meminit,* tempore Conſtantini Magn. aras primum lapideas ſtatui juſſit. Nam ſub Conſtantino Imp. *Ariani in Alexandrinum irrumpentes templum* τὰ συμψέλλια, καὶ τὸν θρόνον, καὶ τὴν τράπεζαν, ξυλίνη γὰρ ἦν, *& alia foras elata combuſſerunt,* inquit Athanaſ. *in Ep. ad ſolitariam vitam agentes T. 1. pag. 656.* Theodoretus etiam *lib. 5. H. E. c. 17.* cum deſcribit Ambroſii contra Theodoſium proceſſum, ait, *hunc tempore, quo* τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ τὰ δῶρα *offerenda, ſurrexiſſe, cum ante humi proſtratus jacuiſſet.* Sozomenus *lib. 8. c. 7.* Eutropij ſub ſacra menſa jacentis meminit. Pulcheriam Theodoſii ſororem ex auro gemmisque pretioſis admirabile quoddam donarium, & ſpectaculum omnium pulcherrimum, *ſacram menſam,* Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ dedicaſſe, idem refert *lib. 9. c. 1.* Sed & alicubi altare lapideum *menſa ſacra* fuit. Ita Gregor: Nyſſenus *ſerm. de Baptiſmo pag. 533. Altare,* inquit, *hoc ſanctum, cui aſſiſtimus, lapis eſt natura communis, nihil differens ab alijs cruſtis lapideis, ex quibus parietes noſtri extruuntur, & pavimenta exornantur; ſed ut Dei cultui conſecratum atque dedicatum eſt, ac benedictionem accepit, Menſa ſancta, altare immaculatum eſt, quod non amplius ab hominibus, ſed à ſolis ſacerdotibus, ijsque venerantibus contrectatur.* Itaque quod ad materiam quidem attinet, indifferenter habebatur.

§ 15. Altare ligneum Petri, fabuloſum.

Id denique addo, quod ſupra dicentem notavi Caſalium, quod & Alexander ab Ales *part: 4. ſum: q. 36. membr: 3.* refert, *Altare ligneum, in quo Princeps Apoſtolorum & primi Pontifices ſacra fecerunt, à Sylveſtro in Lateranenſem Eccleſiam collocatum, ex hujus decreto; ubique altaribus lapideis alibi erectis, à ſolis ſummis Pontificibus etiamnum uſurpari,* non ita, ut refertur ſe habere. Nam autor Mirabilium urbis Romæ, quem edidit Joh. Lupardus Romanus, *in deſcript. Eccl. Lateran. pag. 4.* ait, *In altari majori, in quo nemo præter Romanum Pontificem celebrat, eſt altare illud ligneum, in modum arcæ, quo utebantur primi illi Pontifices portatili, ob perſecutionem.* Et Onufr. Panvinius *de VII. urbis Eccleſiis pag. 119.* ait: *In media baſilica Lateranenſi*

nensi posticum versus extat ara maxima, sive altare majus basilicæ marmoreum, super cujus marmoreo ciborio, quatuor columnis cum capitulis Corinthijs sustentato, in tabernaculo ferreis cancellis optimè circumcluso & munito extant sacratissima App. Petri & Pauli capita. Sub altari hoc, ait, pag. 126. *est altare ligneum à S. Sylvestro stabilitum, & ferreis cratibus septum, sub quo infinitæ sunt sine certo numero & nomine sanctorum reliquiæ.* Non igitur usurpant post erectum altare majus marmoreum Pontifices Romani altare ligneum, quia totum à marmoreo obtectum est. Ipsum enim altare majus tabulis marmoreis quinq; ad modum arcæ est fabricatum, inquit Panvinius p. 118. Mirum sanè esset, si altari ligneo, Principi Apostolorũ Petro usitato, uteretur sum̃us Pontifex, cum in Lateranensi Basilica esse mensam, in qua ultimã cœnã percepit Dominus noster cum suis discipulis, memoretur apud Lupardum *p. 5.* & Panvinium *p. 122.* Quanquam Francisc. Gonzaga *Hist. seraph. part. 2. p. 338.* notet, in conv. S. Francisci Mantuæ de Mensa Christi, ubi cum discipulis cœnã fecit, quatuor locis haberi. Idẽ *part: 3. p. 884. Monast: 8.* in Monasterio S. Claræ Asturicæ Augustæ asservari, ait, fragmentum ejus mensæ, in qua cum discipulis ultimam Christus cœnã fecit.

II. *Linteamine lignum Sacræ Mensæ cooperiebatur.* Sic Optatus: *Quis fidelium nescit, in peragendis mysterijs ipsa ligna linteamine cooperiri?* Rursus. *Inter ista sacramenta velamen potuit tangi.* Iterum. *Si tactu possit penetrari velamen.* &c: III. *In altari reponebatur sive offerebatur panis & vinum.* Ita Optatus. *In altaribus vos aliquando obtulistis.* Et rursus. *In altaribus fraternitatis munera jussit Salvator poni, non nisi quæ de pace essent condita.* Iterum. *In altaribus per longa temporum spatia sanctè, ut arbitramini, obtulistis.* IV. *In altaribus calices erant in massam revocabiles.* Sic Optatus. *Fregistis calices, quorum species revocastis in massas, mercem nefarijs nundinis procurantes.* Et rursus. *Massas istas passim vendi potuistis. Emerunt forsan in usus suos sordidæ mulieres. Emerunt pagani, facturi vasa, in quibus incenderent idolis suis.* Qualis massa sit, in quam revocabantur calices à Donatistis confracti, Optatus non explicat. Ante Optatum in Africa in Ecclesia Cirtensi repertos fuisse calices duos aureos & sex argenteos, idque Diocletiano octies, Maximiano septies Coss. testis est, qui acta sub Diocletiano recitat, Augustinus *lib. 3.* §. 16.

II. *Ea fuisse linteamine tecta.*

III. *In illis oblata panis & vinum.*

IV. *In illis erant calices in massam conflabiles.*

V. *In illis præsens Domini corpus & sanguis.*

contra Cresconium Grammatic. c. 29. V. *Præsentiam corporis & sanguinis Dominici substantialem inter sacramenta fuisse in altaribus*, crediderunt tempore Optati. Hinc ait: *In altaribus membra Christi portata sunt.* Rursus. *Ex altaribus à multis pignus salutis æternæ & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est.* Et iterum. *Quid enim est altare, nisi sedes & corporis & sanguinis Christi?* insuper. *Christi in altaribus per certa momenta corpus & sanguis habitabat.* porro: *In altari Christi corpus habitabat.* Præterea; *fregistis calices sanguinis Christi portatores.*

VI. *Ad illa preces fusæ.*

VI. *Ad altaria preces publicæ fundebantur.* Ita Optatus. *In altaribus vota populi* &c: *Deus omnipotens invocatus. Postulatus descendit Spiritus S.* Rursus. *Deus illuc invocari consueverat.* Iterum. *In altari pro multorum peccatis orare consueverat.* Post. *Vota & desideria hominum cum ipsis altaribus evertistis. Illac ad aures Dei adscendere populi solebat oratio. Cur concidistis precibus viam, & ne ad Deum supplicatio de more solito adscensum haberet, impia manu quodammodo scalas subducere laborastis.*

17. Collatio *inter diatyposin de baptismo & cœna.*

Πάλιν κἀνταῦθα] Respicit hæc diatyposis ad præcedentem de baptismo, quæ ait: *baptisma nostrum non oculis corporeis considerandum, sed mentis. Aquam vides, considera* τὴν ἐν τοῖς ὕδασι κρυπτομένην τοῦ θεοῦ δύναμιν, *virtutem Dei in aquis absconditam. In S. enim Spiritu & igne baptisari nos docet Evangelium. In fide enim baptisantis & fide baptisati per sacram invocationem plenas sanctificatione Spiritus & ignis divini aquas considera. Ipse enim, inquit, baptisabit vos Spiritu sancto & igne. Descendit itaq., qui baptisatur, reus peccatorum & obnoxius servituti corruptionis, & adscendit liberatus ab hac servitute & peccato, factus filius Dei & hæres. &c.*

I. *Quoad præsentiã divinam.*

Est autem benè observanda, jam à Nicæna synodo usurpata *Baptismi & Eucharistiæ*, collatio. Et quidem *primò* quoad *præsentiam rei divinæ.* Ita enim Conc. Nicænum de baptismo: *Considera virtutem divinam in aquis absconditam. In Sancto Spiritu & igne baptisari nos docet Evangelium.* Et rursus: *plenas sanctificatione divini Spiritus & ignis aquas considera.* Ambrosius *de ijs, qui mysterijs initiantur cap. 5.* quo agit de baptismo: *Crede adesse dominum Iesum invocatum precibus Sacerdotum, qui ait, ubi fuerint duo aut tres, ibi ego sum. Quanto magis, ubi est Ecclesia, ubi mysteria sua sunt, ibi dignatur suam impertire præsentiam.* Et, qui sub Ambrosij nomine hactenus publicatus, *lib. 2. de sacram: cap. 5. Venit sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, præsentiam Filij, & Spiritus Sancti.* Et lib. 1. cap. 6.

Non

Non sanat aqua nisi Spiritus S. descenderit, & aquam illam consecraverit. Ipsum etiam corpus Christi, licet alio modo, in baptismo adesse *lib. 1. de sacram. cap. 1.* idem autor ait, ubi tractat de unctione in baptismo: *Considera, ubi capias Sacramenta cœlestia. Si hic corpus est Christi, hic & angeli constituti sunt.* Rursus Ambros. *de his qui mysterijs init. c. 3. de baptismo: Crede ergo divinitatis illic esse præsentiam.* Unde fas est dicere, *in aqua, cum aqua, & sub aqua est SS. Trinitas.* Plura habet D. Gerhard. *Tom. 4. de bapt. §. 83.* Πάλιν κἀνταῦθα, ad eum plane modum, in quæstione *An sit* divinæ rei præsentia in SS. Eucharistiæ elementis agnoscenda. Adest enim *veritas signo & virtus sacramento*, ut loquitur Cyprianus *de unctione Chrismatis.* Sed de hoc postea plura. *Secundo* quoad *dignitatem sacramentalem.* Agnoscuntur baptismus & Eucharistia à Concilio Nicæno in censu sacramentorum, ideoque inter se conferuntur inprimis. Et alibi duorum illorum mysteriorum baptismi & dominicæ mensæ fit mentio. Gelasius Cyzicenus noster *lib. 2. cap. 30.* producit historiam Acesij, qui Constantini severum è Schola Novati proposuit canonem; *quod non oporteat eos, qui post baptismum peccarunt, quamvis pœnitentes, admittere, nec* τῆς κοινωνίας τοῦ μυστηρίου τοῦ λοιποῦ ἀξιοῦσθαι, *nec reliqui sive alterius mysterij communione dignari.* Acta sunt ista cum Acesio Novatianorum Episcopo in synodo Nicæna, ubi βαπτίσματος καὶ τοῦ λοιποῦ μυστηρίου aperta fit mentio. Ibidem *in diatyposi 6.* Hac *spe sanctum baptisma percepimus, & salutarem sanctorum ejus membrorum participationem suscepimus.* τὴν σωτήριον τῶν ἁγίων αὐτοῦ μελῶν μετουσίαν appellat diatyposis, communionem sanctissimi corporis & sanguinis Christi. Nec circa tempora Concilij Nicæni aliqui Dd. Ecclesiastici vel à Bellarmino *lib. 2. de effect. sacram. cap. 24.* vel ab alijs observantur, qui aliquem alium actum Ecclesiasticum in eundem cum baptismo & Eucharistia sacramentorum ordinem collocarint. Nihil Athanasius, nihil Hilarius vel obiter de aliquo actu sacro, quem his connumerent. Eusebius, qui Conc: Nicæno interfuit, à nonnullis adducitur, quod confirmationis mysterium olim connumeratum baptismo fuisse memoret. Sic enim ex Christophorsoni translatione lib. 3. Hist. Eccl. c. 17. juxta lat. vers. græcè 23. de Episcopo, cui Johannes Apostolus adolescentem commendavit,

2. Quoad dignitatem sacramentalem.

Adeoque duorum sacramentorũ tunc receptissimorum.

Eusebius explicatur.

mendavit. *Episcopus ille adolescentulum sibi concreditum in domum suam recipiens, educavit pro suo, in officio continuit, fovit humaniter, ad extremum baptismi sacramento illuminavit. Postea verò, ubi sigillo Domini, i, e. sacramento confirmationis, tanquam perfecta, tutaque animi custodia, obsignasset, nonnihil de cura & observatione in eo custodiendo remisit,* NB *de suo addit* Christophorsonus, *id est, sacramento confirmationis.* Græca ita habent: Ὁ δὲ πρεσβύτερος ἀναλαβὼν οἴκαδε τὸν παραδοθέντα νεανίσκον ἔτρεφε, συνῆχεν, ἔθαλπε, τὸ τελευταῖον ἐφώτισε. Καὶ μετὰ τοῦτο ὑφῆκε τῆς πλείονας ἐπιμελείας καὶ προφυλακῆς, ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας, τὴν σφραγῖδα τοῦ θεοῦ. Presbyter in domum receptum adolescentem, sibi commendatum, nutrivit, custodivit, fovit, tandem baptisavit. Et postea ulteriori industria & custodia abstinuit, utpote perfectum ipsi præmunimentum conferens, signaculum Dei. Potest esse Sacramentum baptismi, in quo ipsi σφραγὶς θεοῦ collata, non illa, quæ frontibus, sed mentibus confertur. Gregorius Nazianz: *orat. in S. lavacrum* σφραγῖδα disertè baptismum vocat. Et Basilius *in exhort: ad bapt:* Damascenus *lib. 4. c. 10.* Δία βαπτισμοῦ ἀρχὴ ἑτέρου βίου γίνεται ἡμῖν, παλιγγενεσία καὶ σφραγὶς καὶ φυλακτήριον καὶ φοτισμός. Si autem omnino de alio à baptismo distincto actu interpretemur, quid obstat, quo minus ipsam Eucharistiã intelligamus. Hæc veteribus est τὸ τελειωτικὸν τῶν πάντων μυστηρίων μυστήριον & τελετῶν τελετή. Confer Isaacum Casaub. advers. Baron. ex: 16. Autor lib. de cœna Domin: in tit: *de cœna Domini & prima institutione consummantis omnia sacramenti.* Hinc & *confirmatio* antiquitus vocata *Eucharistia*, quia baptisatis olim protinus conferebatur tanquam Sacramentorum complementum & perfectio, quod latè docet IOSEPHUS VICECOMES *in antiquit: baptismi lib. 5. c. 34.* Alcuinus *tract. de ceremoniis bapt.* ita scribit de baptisato & chrismato: *Confirmatur postea corpore & sanguine Domini, ut sciat per talia mysteria diabolum expulsum ab ejus corde ac Christum inhabitare.* In ordine Romano *tit. de ordinat: Diaconorum: Expleta confractione Diaconus minor levata de subdiacono patena refert eam ad Pontificem, ut communicet corpore Dominico. Sed ipse Pontifex confirmatur ab Archidiacono in calice Sancto, de quo parum refundit Archidiaconus in majorem calicem, sive in scyphum, quem tenet acolythus, ut ex eodem sacro vase confirmetur populus.* Sic ergo nihil obstat, quo minus

Eucharistia olim confirmatio.

etiam

etiam Euchariſtia σφραγὶς θεȣ̃ dici queat. Non ergo certum eſt, quod Petr. Arcudius *l. 2. c. 4.* ſcribit: *Hic diſtinguit Clemens baptiſmum à confirmatione, quam ſigillum Domini vocat* &c: Quod autem Cyprianus in Ep. ad Jubajanum ait, *ſuo tempore baptiſatos præpoſitis Eccleſiæ fuiſſe oblatos, & per orationem & manus impoſitionem Spiritum S. conſecutos, & ſignaculo Dominico conſummatos*, ad ceremoniam baptiſmi pertinet, qua ſpiritualis actio in baptiſmo facta repræſentabatur olim. Non eſt autem peculiare ſacramentum.

Petr. Arcadius refutatur.

Tertiò *quo ad elementorum permanentiam.* De aqua baptiſmi 18.
dixerunt Veteres, eam μεταϛοιχειȣ̃σθαι. Cyrillus *in Iohannem c. 3.* 3.
διὰ τῆς τȣ̃ πνεύματος ἐνεργείας τὸ αἰσθητὸν ὕδωρ πρὸς θείαν τίνα καὶ ἀπόρρητον μεταϛοιχειȣ̃ται δύναμιν. *Per Spiritus operationem ſenſibilis aqua ad divinam quandam & ineffabilem transformatur virtutem* Notat hæc Simplicius Verinus *de Transſubſt. pag. 53.* & exinde rectè concludit, cum μεταϛοιχείωσις de pane & vino in Sacr. cœna à SS. PP. uſurpatur, non eſſe exinde ſubſtantiæ elementorum mutationem concludendam, adeoque Hugonem Grotium transſubſtantiationem exinde non commodè deduxiſſe. Nam & poſita μεταϛοιχειώσει, ut apud Photium inquit Ephraimus, τὸ βάπτισμα τὸ ἴδιον τῆς αἰσθητῆς ȣ̉σίας, τȣ̃ ὕδατος λέγω, διασώζει, καὶ ὃ γέγονεν, ȣ̉κ ἀπώλεσεν *baptiſma & quod proprium eſt ſenſibilis ſubſtantiæ ſervat, & quod factum eſt, non perdit.* Ad eundem modum ſcribit, τὸ παραλαμβανόμενον παρὰ πιϛῶν σῶμα χριϛȣ̃ καὶ τῆς αἰσθητῆς ȣ̉σίας ȣ̉κ ἐξίϛαται, καὶ τῆς νοητῆς ἀδιάκριτον μένει χάριτος. *Quod accipitur à fidelibus corpus Chriſti, nec ſenſibili ſubſtantia excidit, nec ab intelligibili gratia manet ſeparatum.* Hinc Theodoretus *dialog. 2.* ait, *viſibilia ſymboli honoraſſe Deum in Sacramento*, ȣ̉ τὴν φύσιν μεταβάλλοντα, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικότα, *non natura eorum transmutata, ſed ad naturam gratia addita.* Quare ita orthodoxum facit loqui: ȣ̉δὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὰ μυϛικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίϛαται φύσεως. μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας ȣ̉σίας καὶ τȣ̃ σχήματος καὶ τȣ̃ εἴδȣς, καὶ ὁρατά ἐϛι, καὶ ἁπτὰ, οἷα καὶ πρότερον ἦν. *Neque enim poſt ſanctificationem ſymbola à propria natura excidunt, ſed manent in priori ſubſtantia, figura & ſpecie, & viſibilia ſunt & tangibilia, ſicut erant prius.* Autor de cœna Domini apud Cyprianum ſubſcribit, ſi rectè legatur: nam depravatam habet lectionem. *Panis,* inquit, *iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie,*

Quo ad elementorum permanentiam.

Cyprianus emendatur.

nec

nec natura mutatus, omnipotentia verbi factus est Caro, & sicut in personæ Christi humanitas videbatur (& revera sine ulla mutatione naturæ manebat) *& latebat divinitas, ita sacramento visibili ineffabiliter se divina infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta devotio, & ad veritatem, cujus corpus sacramenta sunt, sincerior pateret accessus, usque ad participationem spiritus* &c. *Nec natura mutatus* legendum esse, alibi notatum est. Ita constanter loquuntur supra adducti Patres. Ephraimus: *τῆς αἰσθητῆς ὐσίας ὐκ ἐξίςαται.* Theodoretus. *Τῆς οἰκείας ὐκ ἐξίςαται φύσεως.* Et rursus. *ὐ τὴν φύσιν μεταβαλών.* Et rursus. *μένει ἐπὶ τῆς προτέρας ὐσίας ϗ τῦ εἴδυς*; naturam & effigiem conjungit. Johannes Constantinopolitanus, sive sit Chrysostomus, sive alter Patriarcha, qui sub Justiniano vixit, ad Cæsarium Monachum: *Antequam sanctificetur panis, panem nominamus; divina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote liberatus est ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici corporis appellatione, etsi* NATURA PANIS *in ipso permansit.* Gelasius Rom. *adv: Eutychem & Nestorium: Certè Sacramenta, quæ sumimus, corporis & sanguinis Christi, divina res est, propter quod & per eadem divina efficimur participes naturæ, & tamen* NON desinit substantia *vel* NATURA *panis & vini.* Istam etiam lectionem requirunt verba & scopus. Comparatur enim *panis Omnipotentia verbi caro factus* humanitati in persona Christi, in qua latebat divinitas. Humanitas permanebat in persona Christi & videbatur, nec tantum effigies non mutata est, sed etiam natura. Sic & panis permanet in sacramentali porrectione & videtur, nec ejus tantum effigies, sed etiam natura, non mutatur. Sic scopus est, sic lectio scopo concordat. Sic ergò baptismus & Eucharistia concor-
19. dant, atq; ideò à diatyposibus Nicænis conferuntur.

4. Quartò etiam *quoad efficaciam.* De baptismo inquit Canon
Quo ad efficaciam. Nicænus seu diatyposis 4. *Considera virtutem Dei in aquis absconditam.* Et rursus: *plenas sanctificatione spiritus & ignis divini aquas considera.* Et rursus. *Baptisatus adscendit liberatus à servitute peccati & filijs Dei annumeratus &c. πᾶλιν κἀν τῦυθα.* Iterum etiam in divinæ mensæ participatione talia speremus, vult innuere nostra diatyposis. Ita veteres utrumque Sacramentum *salutem & vitam* appellarunt, utrumq; gratiam & spiritale donum, utrumque in remissio-

in remissionem peccatorum dari, utroque in memoriam passionis ejus celebrari, crediderunt, ut alibi annotatum.

Μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχομεν. 20.
Ita Catena Græc. ad Joh. 6. Τὶ δ' ἐστιν, σαρκικῶς νοῆσαι; τὸ ἁπλῶς εἰς τὰ προκείμενα ὁρᾷν, καὶ μὴ πλέον τι φαντάζεσθαι. Δεῖ γὰρ τὰ μυστήρια τοῖς ἔνδον ὀφθαλμοῖς κατοπτεύειν, τουτέστιν, πνευματικῶς. *Quid est autem corporaliter intelligere? Hoc est simpliciter, quæ in mensa proposita sunt dona, spectare, non plus aliquid sibi imaginari. Mysteria enim internis oculis sunt consideranda, id est, spiritualiter.* Ita Theodoretus *dial. 1. ex* diatyposeos sententia loquitur: μὴ τῇ φύσει τῶν βλεπομένων προσέχειν, ἀλλὰ διὰ τῆς τῶν ὀνομάτων ἐναλλαγῆς πιστεύειν τῇ ἐκ τῆς χάριτος γεγενημένῃ μεταβολῇ, *non attendere eorum quæ cernuntur substantiæ, sed per nominum enallagen credere ei quæ facta est per gratiam mutationi.* Ita Victor Antiochenus *in Marc. h. l.* ἄλλος δέ φασι, διδάσκει ἡμᾶς μὴ πρὸς τὴν φύσιν ἀφορᾷν τῶν προκειμένων, ἀλλὰ διὰ τῆς γενομένης ἐπ' αὐτῆς εὐχαριστίας ταῦτα ἐκεῖνα εἶναι πιστεύειν. *Alius* inquit, *docet nos, non ad naturam eorum, quæ in mensa proposita sunt, respicere, sed per benedictionem, quæ super illis fit, credere ea ipsa esse.*

(margin: τὰ προκείμεναι.)

Cæterum τὰ προκείμενα primum sumta fuerunt ex ipso convivio, quod sacramentum accepturi celebrarunt. Deinde ubi ista secreta fuerunt, parata sunt ex communi Ecclesiæ ærario. Collationes id fidelium fecerunt, de quibus jam in Act. Ap. aliqua mentio. Justini Martyris tempore, ut is memorat *in apolog.* οἱ εὐποροῦντες καὶ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ ὃ βούλεται δίδωσι, καὶ τὰ συλλεγόμενα παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται. *Præsidebant enim,* ut Tertullianus habet Apolog. c. 39. *probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti. neque enim pretio ulla res Dei constat. Etiam si quod arcæ genus est, non de ordinaria summa, quasi redemtæ religionis, congregatur: modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, & si modo velit, & si modo possit, apponit. nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis duntaxat ex causa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt.* Hinc etiam elementa sacramenti comparata. Collationibus adjunctæ oblationes. In synodo Gangrensi καρποφορίαι

21. *Vnde sumta?*

1. *Ex collationibus.*

2. ἐκκλησιαστικαὶ can. 7. dicuntur. PseudoClemens Constit. Apo-
Ex oblationibus. stol. lib. 7. c. 30. interprete Car. Bovio Episc. Ostunensi: *Primitias fructuum torcularis, & areæ, boum quoque & ovium dabis sacerdotibus, ut benedicantur horrea & cellæ tuæ, & fructus terræ tuæ, stabiliarisque frumento, vino & oleo, & augeantur armenta boum tuorum, & greges ovium tuarum, omnem decimam dabis orphano ac viduæ, pauperi & advenæ, primitias panum calidorum, cadum vini, olei atque mellis, nucum quoque, uvæ & aliarum rerum primitias dabis sacerdotibus &c.* Clemens idem lib. 2. c. 26. vocat προσφορὰς. αἱ τότε ἀπαρχαὶ καὶ δεκάται καὶ ἀφαιρέματα καὶ δῶρα, νῦν προσφοραὶ, αἱ διὰ τῶν νῦν ἐπισκόπων προσφερόμεναι τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ.

Arca primitivæ Ecclesiæ. Mansit iterim arca seu ærarium, in quod reposita alia munera, quæ in pecunia aut mobili re alia offerebantur, unde viduis, pupillis, cæterisque dispensatum fuit. Mentio fit *arcæ* in vita Stephani: *Omnia vasa Ecclesiæ Archidiacono suo Xysto in potestatem dedit, vel arcam pecuniæ.* Collationes Cyprianus *Corbonam, Oblationes, sacrificium* appellavit. *lib. de opere & eleemos. Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ Corbonam omninò non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis?* Arcam *gazophylacium* vocat Concilij Carthaginiensis canon 94. *Oblationem dissidentium fratrum, neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiant.* Ex oblationibus igitur, quibus panis, vinum, aliaque similia, quæ esui erant, altari imponebantur, sumta porrò elementa. Offerentes enim etiam communicabant, nec à non communicantibus olim oblationes recipiebantur. Poterat communicans etiam non offerre, si id facultates forte non permitterent. Interim qui obtulit, communicavit. Locuples apud Cyprianum supra ob id reprehensa, *quod in Dominicum sine sacrificio veniat, & quod partem de sacrificio, quod pauper obtulerat, sumat.* Augustin. *serm. 63. Oblationes, quæ in altari consecrentur, offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicet.* Ambros.

22. *serm. 34. Omnes Christiani omni Dominica debent offerre & communicare.* Et post in quadragesima quinta; *moneo, die omni, aut saltem omni Dominica offeratis & communicetis.*

Digressio contra Gabr. Albaspineū, Episc. Aurelianens. Negat Gabriel Albaspineus Episcop. Aurelian. *lib. 1. observ. sacrar. c. 5.* testimonia hæc de Eucharistia intelligenda. I. quia *quicquid ita offerebatur, pauperibus & clericis alendis designabatur,* ut ex

Cypriano

Cypriano constet, qui dixit, *universa, quæ dabantur, pupillis & viduis conferri.* II. *Quia non est verosimile, panes sine fermento esse oblatos, quales debebant esse, qui ad corporis Christi consecrationē apponebantur, cū scirent, quod reliquum fuit, à pauperibus consumendū fuisse.* III. Quia Epiphanio teste, *in suis sacris veteres usi fuerunt parvo pane, ad id facto & rotundæ formæ, atque ei simillimo, quo utimur, non autem quolibet pane, qui offerebatur.* IV. Quia teste Pij I. epistola, *per parochias certis diebus eulogiæ missæ sunt ex oblationibus sumtæ, & ex fermentato confectæ, ut scirent, qui in agris & oppidis degebant, se à communione Episcopi matricisque Ecclesiæ non esse separatos, ut ait Innocentius. Ex his omnes, antequam illæ in agros missæ, qui in matricibus Ecclesiis erant, communionis cum agricolis testandæ causa, particulam aliquam degustarunt. Hic ergo panis benedictus consecratione sacerdotis alius à pane Eucharistico.* Sic Albaspineus, qui insuper addit, *per ejusmodi oblationes & eulogias, quæ etiam ex oblationibus fidelium sumebantur, jus aliquod communionis quæsitum fuisse. Hinc pœnitentes,* teste Concilio Arelatensi II. *post mortem in cæterorum fidelium communionem per oblationes potuisse revocari, cum illorum nomine à superstitibus exhiberentur: id fieri non potuisse, nisi singuli ex fidelibus ex ejusmodi oblationibus partem aliquam degustassent: unde privatis oblationibus jus communionis reparari non potuisse, sed solis in Ecclesia factis: ejus rei non aliam reperiri causam, nisi quod censerentur in communionem restituti, si cæteri fideles eorum donis communicassent & partem aliquam degustassent: ideò etiam Ecclesiam pœnitentiū munera tanto studio respuisse, quia scil. mos fuit, de ejusmodi muneribus particulas unicuiq; fidelium offerre, ut corporis Christi imaginem aliquā & communionē exprimerent. De oblationibus pœnitentiū repudiatis agere Concilij Eliberini C. 28. cum ait:* Episcopū placuit ab eo, qui non comunicat, munera accipere nō debere. *Ilerdensis Concil. C.13. cum ait:* Catholicus, qui filios suos in hæresi baptisandos obtulerit, oblatio illius in Ecclesia nullatenus recipiatur. *Conc: Carthag: IV. Can. 93, 94.* verbis supra recitatis. *Concil. Valentini Hisp. can. 1. cum ait:* SS. Evangelia ante munerū illationem in ordine post legātur, quatenus salutaria præcepta D. N. Jesu Christi, vel sermones sacerdotis, non solum fideles, sed etiā catechumeni & pœnitentes audire licitum habeant. *Ex his verbis constare, pœnitentes recessisse ab Ecclesia, antequam munera fidelium altari apponerentur. In Concilio Arelatensi* II. *Can. 12. dubitatum fuisse, an pœnitentis oblatio*

esset recipienda, si, antequam explesset pœnitentiam, fato oppressus. Sed meritò eorum dona, qui non communicabant, fuisse rejecta. 1. *quia nomen illius, cujus munera recipiebantur, semper offerebatur cum ipsis muneribus, ut constat ex can. 2. ep. Innocent. At verò minimè consentaneum, ejus munera accipi, qui dignus non habebatur, cujus nomen publicis precibus enunciaretur.* 2. *quia munera illa in ipsis sacris benedicebantur, solennibusque verbis nomine totius Ecclesiæ Deo offerebantur. At hominis impuri, nocentis & nondum plenè in fidelium corpus restituti munera eis indigna videbantur, quæ in sacris Deo offerrentur, quæ in ipsis sacrificiis solennibus benedicerentur; quæ Ecclesia accepta haberet, & suo nomine Deo commendaret, ex quibus denique partem aliquam omnes sumerent. Quæ omnia cum summa religione ab eis fierent, nullaque alia re Ecclesia magis probare posset, se partem & societatem cum aliquo habere, quam omnibus his ritibus, idcirco pœnitentium & aliorum, qui extra Ecclesiam degebant, dona spreta fuisse. Fuisse itaque oblationes illas genus quoddam communionis, quod tanto in honore & religione apud veteres fuit, ut nihil antiquius post Eucharistiam haberent, quam ejusmodi oblationes, nullusque communionis modus ad summam & absolutissimam communionem, quæ erat Eucharistia, magis accederet & tam prope, ut mysterij, sacramenti, consecrationis, sacrificij nomine appellaretur. Innocentium ep. ad* Decentium c. 5. *vocare has oblationes* sacramenta, *quia non longè portanda sunt sacramenta, quæ verba de Eucharistia accipi nequeunt, cum dicat, se loqui de fermento.* Hactenus nova Albaspinei opinatio.

23. Sed ad testimonia de oblationibus Veterum, ut aliquid dicatur, resp. ad. 1 Cum Cyprianus dicit, *quicquid offerebatur, pauperibus & Clericis alendis designatum esse*, non loquitur exclusivè, quasi nullis insuper aliis usibus Ecclesiæ oblationes istæ fuissent adhibitæ. Albaspineus ipse ad communionem fidelium illas oblationes refert. Veteres in diversos usus retulerunt. Quid obstat, quo minus ex illis depromi potuerit, quod communioni Eucharisticæ accommodaretur? Adde Joh. Stephanum Durantum *de ritibus Eccl: Cathol. l. 2. c. 26. pag. 345. & seqq.* Ad 2. Qui offerebant, panes eo modo præparabant, uti illos usitatos in sacris esse cognoscebant. Ubi azymi in usu, azymos offerebant, ubi fermentati, fermentatos. Neque enim azymi aut fermentati panis in sacris usus universalis fuit. Conf. Anticogentianas

meas

meas de Cœna considerat. *dissert. 2. §. 10.* Ad 3. nihil obstat, præter panes in alimenta Clericorum, pauperumque & in eulogias distribuendos, etiam panes ita fuisse accommodatos ad usum Eucharisticum, adeoque minores à fidelibus offerri potuisse, ut facilis & expedita fieri posset distributio. *Conf. dissert. citat. §. 13.* De loco Epiphanij mox aliquid disseremus, ubi de pane & vino aliquid dicendum.

Baronij sententia de fermentatis eulogijs veterũ proponitur.

Ad IV. Pij 1. epistolæ, etiam duæ posteriores, planè su- 24.
spicione non carent. Cujus autoritatis sit decretum, quod Pio adscribitur, non constat. Eulogias, quarum Pius meminit, peculiare quiddam fuisse, non autem id, quod communiter in oblationibus fidelium fiebat & apparebat, docet Baronius annalium *Tom. 3. ad ann. Christ. 313. contra D. Latinium.* Recitat decretum Melchiadis Papæ *ex concordia canonum Biblioth. Vatic.* ubi dicitur; *Hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur* FERMENTUM. Adjungit locum *ex lib. de R. Pontificibus, in Siricio. Hic constituit, ut nullus presbyter missas celebraret per omnem hebdomodam, nisi consecratum loci Episcopi designati susciperet declaratum, quod declaratur* FERMENTUM. Addit Innocentinm R. P. qui *in epist. ad Decentium: De* FERMENTO *vero*, inquit, *quod die Dominico per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes nostræ Ecclesiæ intra civitatem sunt constitutæ: quarum presbyteri, quia die ipso propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco* fermentum *à nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se à nostra communione maximè illa die non judicent separatos: quod per parochias fieri debere, non puto, quia non longè portanda sunt sacramenta: nec nos per cœmiteria diversa constitutis presbyteris destinamus, ut & presbyteri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam.* Adfert antiqui Ritualis hæc verba. *Quinta Dominica in quadragesima, Sabbato datur* FERMENTUM *in consistorio Lateranensi:* Confert huc canonem Pij Papæ *ex T. 1. Conc. sub. Pio ex Cod. quinque libr. lib. 2. c. 117.* qui habet: *Vt de oblationibus, quæ offeruntur à populo & consecrationibus, quæ supersunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis, presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido & convenienti, ut post missarum solennia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico & in diebus festis exinde acci-*

piant, quæ cum benedictione prius faciat. Notat circa hæc Baronius; 1. *rem esse planè obscurißimam, quæ fuerit ista de* FERMENTO *per Ecclesias mitti solito consuetudo.* 2. *Mißionem* fermenti *fuisse symbolum unionis* in R. Ecclesia, quod ex Innocentij verbis elicit, ibi: *ut se à nostra communione &c.* Ritum ex *Matth:13.* haustum, ubi regnum cœlorum fermento confertur. 3. Benedici consuevisse fermentum ab ipso Episcopo, quod elicit ex verbis Siricij & Melchiadis, ibi: *consecratu Episcopi.* 4. Ex benedicto fermento massam coagmentatam, panemque formatum; quod ex verbis Melchiadis sumit, cum dicit, *ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum*; ac si diceret, quod nominatur fermentum. 5. Usum hujus panis fermentati fuisse, ut ille minutatim concisus in singulos fideles, (ut qui S. Eucharistia non communicassent, saltem hoc communionis signo censerentur esse fideles) erogaretur atque ab Episcopo ad singulorum titulorum præsbyteros mitteretur. Id etiam ex Melchiadis verbis elicit. 6. Ritum illum non tantum Romæ & in Occidentali Ecclesia, sed etiam in Orientali fuisse servatum. Elicit hæc ex *Can. 14. Concilij Laod.* quo dicitur, *Sanctas oblationes ad vicem Eulogiarum per festivitatem paschalem ad alias parochias mitti minimè oportere.* Hujus rationem dat, quod *in festivitate paschali nequaquam eulogijs, sed Eucharistia communicare omnis populus deberet: in cæteris autem anni diebus licenter præterquam in diebus jejunij quadragesimæ, ne occasione eulogiarum jejunium frangeretur.* Hinc synodum illam *can. 49.* statuisse, *non oportere in quadragesima panem offerri, nisi Sabbato & Dominica tantum:* quibus diebus Orientalibus Christianis nefas erat. Adducit etiam pro usu hujus ritus apud Orientales Greg. Naz. *orat in Fun. Patr.* ubi *panum sanctificatorum & signatorum* meminit. 7. Eulogias illas fermentatas ab hæreticis non fuisse acceptas. Elicit hæc ex *can. 32.* ejusdem concilij, qui habet. *Quod non oporteat eulogias ab hæreticis accipere, quia sunt maledictiones potius, quam benedictiones.* Et ex Epiphanij presbyteri Indiculo *ad Hormisd. Cod. Vatic. Ep. R. P. I.* qui ait: *si hæretici non sunt, quomodo sacramenta confecerunt, ut canistra plena omnibus erogarent, ne imminente, ut dicebant, persecutione communicare non possent.* Summatim ait: nihil aliud esse fermentum, quam *fermentatum*

mentatum panem benedictum, quo ob communicationis symbolum ab Episcopo impertirentur cuncti parochiales presbyteri, qui eundem sub se constitutis fidelibus distribuerent certis diebus: fermentum fuisse appellatum ad distinctionem azymi panis, ex quo soleret confici Eucharistia: Sacramentum, ob sacræ rei, h.e, Catholicæ unionis, signum. Sic Baronius de isto negotio, quem Severin. Binius *in annot.* passim describit. Ex quo, quod supra dictũ, non ostenditur, omne id, quod oblationibus fidelium collatũ fuit, fuisse in eulogias conversum, passim mittendas, sed potius aliquid in fermentum usurpatum, nec propterea omne fermentatũ fuisse, quod Albaspineus ex Pio contẽdit.

Cæterum Melchiadis & Siricij verba satis obscura 25. sunt tum *ortu*, tum *sensu*, ut quid sit missio fermenti ex illis capere tuto non possimus. Innocentij verba etiam intricata sunt. I. Dicit Innocentius: *Omnes ipsius Ecclesias intra civitatem esse constitutas*, ideò *superfluè consuli se de fermento, quod die Dominico per titulos tur. mittit.* Parochiæ, ad quas non mittebatur fermentum, quia non longè portanda sunt sacramenta, annon etiam fuerunt Ecclesiæ Romanæ? Dicit Baronius, non fuisse titulares. Sed sic Innocentius dixisset, ad parochias non mitti fermentum, non quia longius à se dissitæ, sed quia non titulares. Insuper si communionis contestatio causa missi fermenti est, cur solis titulatis, & non etiam parochialibus Ecclesiis mittebatur illud? Præterea si constitutum fuit, per titulos solos mittere fermentum, quid ambigebat Decentius? cum nosset titulos omnes intra civitatem esse. Dicit Baronius, fuisse in suburbijs alias *complures Ecclesias & Sanctorum memorias, sed nullam, ad quam populus colligi consueverit.* Quomodo Innocentius vocat parochias, si ad eas populus colligi non est solitus. Malè Baronius ex Innocentio colligit, *ad presbyteros in cœmiterijs constitutos propterea non fuisse fermentum missum, quia plebem, quam colligerent, sibi subditam nullam haberent, nullus posset usus esse fermentiti, quod ob Catholicæ communionis symbolum confectum esset.* Nam partim hoc non dicit Innocentius, sed hoc tantum, *ad presbyteros in cœmiteriis constitutos non mitti fermentum, ut & presbyteri eorum conficiendorum potestatem habeant ac licentiam*; partim falsum est, presbyteros in cœmiterijs, plebem, quam colligerent, nullam habuisse. Cœmiteria fuisse Christianis, quod nunc

Innocentij verba expendun.

nunc ſunt templa, poſt Onufrium Panvinium *de ritu ſepeliendi* monet Joh. Stephanus Durantus *de ritibus Eccl. Cathol. l. 1. c. 33. n. 3. & 4.* Magna frequentia collectam olim ad cœmiteria fuiſſe plebem ex Prudentij de cœmiterio Cyriacæ in agro Verano & Hippolyti carmine docet Joh. Lud. de la Cerda *Adverſ. ſacr. c. 86. n. 10.* &, ex quo deſcripſit, ipſe Baronius *ad ann. 226. n. 9. 10. 11. 22.* Qui debuiſſet etiam Innocentij verba *partim* conciliare cum Melchiadis & Siricij decretis, qui *conſecratu Epiſcopi* fermentum confici volunt. Cum Innocentius dicat, *ad presbyteros in cœmiterijs conſtitutos ideo fermentum non deſtinari, ut & ipſi ſacramentorum* ſc: fermenti *conficiendorum jus habeant atque licentiam* : *partim* etiam rationem eorundem explicare, cur ad iſtos presbyteros nullum fermentum deſtinatum fuiſſe ideò dicatur, *quia ſic ipſorum ſacramentorum conficiendorum obtineant jus atque licentiam.* Anne per omiſſionem iſtam conſecuti ſunt iſti presbyteri jus atque licentiam, ſi, quod Baronius ait, *in cœmiterijs nulla plebs, ac perinde nullus uſus fermenti*, quod ob Catholicæ communionis ſymbolum conficiendum eſſet? Denique per parochias ſuburbicarias ſeu extra urbem poſitas Innocentius vetat mittere fermentum, quia ſacramenta non ſunt longè portanda. Quæ hæc ratio? Fuit ne tanti æſtimandum illud fermentum, ut non longè portandum eſſet, cum longiſſimè portari (& quidem commodè potuerit) debuiſſet Catholicæ communicationis ſymbolum, ſi omninò hinc inde tranſportari debuit, latiſſimèque etiam per parochias diffundi.

26. *Pij I. verba ad fermentum Baronij nō pertinent.*

23. De loco Pij Papæ putamus, eum huc non pertinere. Teſtari is ſatis apertè videtur, eſſe, quæ ad Euchariſtiam ſumebantur, elementa electa vel de oblationibus populi, vel de conſecrationibus, quæ ſuperſunt ex priori diſtributione, vel de panibus, quos fideles (utique ſingulariter ad uſum ſacrum præparatos & ordinatos. Cur enim aliàs ab oblationibus populi diſtinguerentur?) deferunt ad Eccleſiam, vel de illis, quos presbyter attulit. Illos panes ante ſolennia miſſarum dividendos & diſponendos eſſe, monet Pius & in vaſe nitido proponendos. Cur? *ut poſt miſſarum ſolemnia, qui communicare* (dele *non*) *fuerint parati, eulogias omni die Dominico & in diebus feſtis exinde accipiant.*

accipiant. Res perſpicua eſt. Miſſarum ſolemnia, ſunt preces illæ & recitationes, quas olim adjungebant & præmittebant communioni. Illis abſolutis accedebatur mox, non ad largitiones in fideles & pauperes, ſed ad ipſam myſteriorum participationem. In eum finem convenientibus inciſionibus panis adornatus fuit, ut illicò communio peragi potuerit. Non igitur apparatus is non paratis ad communionem, ſed paratis fiebat. Si enim non parati fuerunt ad communionem euchariſticam, quomodo ad Catholicæ communicationis ſymbolum parati? Sic emendatus Pius nihil de fermento loquitur. Eulogiam pro Euchariſtia ſumi ex 1. Cor. 10, 16. tralatitium eſt.

Canon. 14. *Concilij Laodiceni* à Baronio & Binio de *fermento* 27.
exponitur. Contradicit Theodorus Balſamon Patriarcha Antiochen. *in NomoCan. Phot. Comm. h. l. Quod*, inquit, *fit hodie à Latinis in feſto Paſchæ. Diſtribuunt enim Laicis azyma, poſtquam ſanctificata fuerunt, perinde ac communia. Hoc etiam olim fiebat à noſtris, ut eſt veriſimile, in ſanctis myſterijs. Canon ergo hoc prohibet, & ſtatuit, non eſſe huc & illuc transferenda ſancta, perinde ac communia & vulgaria.* Τὰ ἅγια & ἁγιάσματα veteribus notare ipſa elementa myſterijs deſtinata, notiſſimum eſt. Vide Cauſabon. *exerc. 16. §. 47.* Canonem 32. Baronius pro fermento adducit & hoc nomine Eulogiarum intelligit. Gloſſa juris Canon. *Cauſ. 1. q. 1. c. 66.* ubi Laodic. Concilij canon ponitur, exponit benedictiones, *ſacramenta vel dogmata.*

Canon 14. Concilij Laodiceni nil de fermento Baronij loquitur.

Nec Canon 32.

28.
Canonem 49. Bellarminus ad communionem præſanctificatorum refert, cum *lib. 4. de Euchar. c. 25. § ſextus ritus*, ait: *Communionis præſanctificatorum uſus apud Græcos erat in tota quadrageſima, excepta die Dominica & Sabbato, in Eccleſia latina iſte uſus fuit & adhuc manet feria VI. hebdomadæ ſanctæ. Nam eo die non fit conſecratio, & ipſe etiam ſacerdos in publica actione communicat ſub una ſpecie. Hujus conſuetudinis, quod ad Græcos attinet, meminit Laodicenum Concilium* can. 49. *& Trullanum* can. 52. *Quod attinet ad Latinos meminit Innocentius* l. ep. 1. c. 1. *Liber Sacrament. S. Gregorij* in officio Paraſceves, *ordo Romanus antiquus* in officio ejusdem diei, *Rabanus* l. 2. de inſtit. Cleric. cap. 37. *Micrologus* lib. de Eccleſ. obſerv. cap. 19. Confert etiam Theod. Balſamon Canon. 49. Laodic. cum Trullano 52.

Nec Canon 49. Quid in eo cõmunio præſanctificatorũ.

in quo præſanctificatorum προηγιασμένων diſertè fit mentio. Illa autem non ſunt fermentum Baronij. Ita enim canon Trullanus. *In omnibus ſanctæ quadrageſimæ jejunij diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & S. Annunciationis die, fiat ſacrum præſanctificatorum miniſterium.* Theodor. Balſamon in *Comm: h. l. Præſanctificatorum miniſterium incruentum ſacrificium non dicimus, ſed oblationem prius oblati & perfecti ſacrificij ſacrique myſterij.* Non ſunt præſanctificata vel panis fermentatus, vel azymus tantum prius conſecratus, & in ſacrario conſervatus, ut vult Bellarminus, quem meritò h. l. in fraude corripimus. Ita enim ſacramentarium (quod Pamelius Gregorio M. tribuit, in certo fundamento) *ad feriam* VI. *quæ eſt Paraſc:* DIACONUS *cum ſubdiacono & acolytus pergant in ſacrarium, vel ubi poſitum fuerat corpus Domini, quod pridie remanſerat, illudque cum calice & patena ſummo cum honore & reverentia ad altare deferant. Quo ſupermiſſo ſacerdos ſtans ante altare dicat: præceptis ſalutaribus moniti &c. Pater noſter. Sequitur: Libera nos quæſumus Domine. Et cum dixerint* Amen, *ſumet ſacerdos de ſancta & ponet in calicem, nihil dicens. Deinde communicat ipſe & omnis Clerus.* Nihil hic pro communione ſub una. Panis & calicis fit mentio. At *Micrologus* Bellarminum planè confundit. Ita is c. 19. *Non eſt*, inquit, *authenticum, quod quidam intingunt corpus Domini, & intinctum pro complemento communionis populo diſtribuunt. Nam ordo Romanus contradicit, qui & in Paraſceve vinum non conſecratum cum Dominica oratione & Dominici corporis immiſſione jubet conſecrare, ut populus plenè communicaret. Quod utique ſuperfluo præciperet, ſi intinctum Dominicum corpus à priori die ſervaretur, & ita intinctum populo ad communicandum ſufficere videretur. Iulius quoque Papa in ordine ſuo Epiſcopis Aegypti ſcribens, hujuſmodi intinctionem penitus prohibet & ſeorſim panem, ſeorſim calicem, juxta Dominicam inſtitutionem, ſumenda docet. Vnde & B. Gelaſius Papa, in ordine 17. ſcribens quibuſdam Epiſcopis, excommunicari illos præcipit, quicunque ſumto corpore Dominico à calicis participatione ſe abſtinerent. Nam* (ut ipſe in eodem decreto aſſerit) *hujuſmodi ſacramentorum diviſio ſine grandi ſacrilegio provenire non poterit.* Ita Micrologus.

Sacramẽtariũ Gregorij nihil pro cõmunione ſub una.

Micrologꝰ nil pro cõmunione ſub una.

29\. Nazianzenus, quem Baronius pro ſuo fermento citat, nihil ad id facit. Narrat is, ſe matri ægrotanti in ſomnis apparuiſſe cum caniſtro referto candidiſſimis panibus, quos ſuo more

Gregorius Nazianz.

benedixiſſet

benedixisset & signasset. Quid hoc ad fermentum per Ecclesias missum? Sed satis ista disquisita in præsens. *nil de fermentatis eulogijs.*

Redeundum est Albaspineum. Is interpretationi verborum Innocentij ad Decentium Baronianæ planè adversatur. 30. Baronius enim accipit Innocentium, tanquam noluisset eulogias in agros mitti, partim quia in agris nulla fuit titularis Ecclesia, ad quam populus colligeretur, partim quia non longè existimabat portanda esse sacramenta. Albaspineus ex verbis Innocentij colligit *pag. 26.* certis diebus eulogias missas, quæ ex ipsis oblationibus sumebantur, & ex fermento conficiebantur, *ut scirent, qui in agris & oppidis degebant, se ab Episcopi matricisque Ecclesiæ non esse communione separatos*, & necesse fuisse, *eadem die qua eulogiæ mittebantur ex ijsdem omnes, qui in matricibus Ecclesiis erant, particulam aliquam degustasse, alioqui nulla inter eos, & qui in agris morarentur, interfuisset societas & communio, nullumque unionis symbolum.* Sed Albaspineus nequaquam evincite *cū eulogiæ ad agrestes parochias mitterentur, omnes qui in matricibus erant Ecclesiis, ex eadem massa particulam aliquam degustasse.* Nam missio ipsa eulogiarum erat symbolum communionis, nec necesse erat, ut mittens ex eadem massa participaret. Satis fuit, si ab Ecclesijs missæ eulogiæ, quas publicas vocabant, ex oblationibus fidelium aut Ecclesiæ mittentis bonis proficiscerentur. Fuerunt enim symbolum benedictionis à mittente Ecclesiæ transmissæ. Neque opus fuit, ut qui in matricibus Ecclesijs sacramentali interfuerunt communioni, ad eulogiarum harum communionem admitterentur. Multo minus sequitur, si vel maximè eulogiarum panis omnis fermentatus fuisset, non fuisse etiam azymum panem oblationibus illatum, ubi azymi usus obtinuit. Populus, quid pro eulogiis, quid pro Eucharistia requirebatur, ex consuetudine Ecclesiæ diversa, procul dubio haud gravatim intulit. Unde frustra Cyprianum aut Augustinum aliter, quam de oblationibus & communione Eucharistica Albaspineus interpretatur. *Albaspineus & Baronius cōmittūtur.*

31. Concilij Arelatensis II. Can. 12. non vult, pœnitentes post mortem in cæterorum fidelium communionem & societatem potuisse revocari & admitti per oblationes, quas eorum nomine parentes offerebant. Ita enim habet. *De his, qui in pœnitentia* *Concilij Arelatensis II. Can. 12. expenditur.*

nitentia poſiti vitam exceſſerunt, placuit, nullum communione vacuum debere dimitti, ſed pro eo, quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius recipiatur. Petrus Crabbe & Sev. Binius notant, hunc Canonem eſſe ex Concilij Nicæni Can. 13. (ita enim legendum, pro 12.) Is autem ita habet: *De his, qui ad exitum veniunt etiam nunc lex antiqua regularisq; ſervabitur, ita ut ſi quis egreditur è corpore, ultimo & neceſſario viatico* τοῦ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι *minimè privetur. Quod ſi deſperatus & conſecutus communionē oblationisq; particeps factus iterum convaluerit, ſit inter eos, qui communionem orationis tantummodo conſequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito & poſcenti ſibi communionis gratiam* αἰτοῦντος τοῦ μετασχεῖν τῆς εὐχαριστίας, *Epiſcopus probabiliter* (μετὰ δοκιμασίας *poſt probationem*) *ex oblatione dare debebit.* Ἐπιδότω legunt nonnulli, nulla προσφορᾶς mentione facta. Alij μεταδιδότω τῆς (εὐχαριστικῆς utique, de qua ante) προσφορᾶς. Cum igitur ait canon Arelatenſis *qui vitam exceſſerunt*, videtur dicere voluiſſe, qui ad exitum vel exceſſum vitæ pervenerunt, vel etiam perveniſſe videntur, quos Canon Nicænus appellat ἐξοδεύοντας, uti latina habet, *qui egrediuntur è corpore*, quibus tamen contingere potuit, ut convaleſcerent. Nec loquitur niſi de Euchariſtiæ communione, quam diſertè exprimit canon Nicænus. Et innuit Arelatenſis, cum ait, *placuit nullum* (ſc. in ſtatu pœnitentiæ Eccleſiaſticæ perſiſtentem & extremis vitæ neceſſitatibus obrutum,) *Communione vacuum debere dimitti.* Quomodo non communione vacuus dimittitur, qui ſine Euchariſtiæ deſiderato viatico vitam exceſſit, & poſt mortem demum in communionem & ſocietatem Eccleſ: Catholicæ recipitur? Si mortuus ante communionem, quomodo non ſine communione dimiſſus? Quod dicitur, *oblatio illius recipiatur*, de oblatione non poſt mortem à ſuperſtitibus demum pro ipſo facta accipiendum eſt, ſed de ea, qua communionem euchariſtiæ vel ut τελευταῖον καὶ ἀναγκαιότατον ἐφόδιον petijt. Non enim communionem ſine oblatione veteres petebant, ut ex oblatis Deo ſacrificium pararetur. Unde valdè ſibi indulget Epiſcopus, cum ex iſto canone infert, neceſſariò ex ejuſmodi oblationibus partem aliquam ſingulos ex ſacris delibaſſe, quia alias non cenſerentur in communionem reſtituti, ſi cæteri fideles eorum donis non communicaſſent, nec aliquam partem deguſtaſſent. Quaſi

verò

verò non ſatis fuiſſet ad communionis cum Eccleſia Catholica conteſtationem, ſi permitteretur, ut munera inferrent.

Huc pertinent canones, quos cumulat Epiſcopus: Eliberinus, *non debere ejus munera accipi, qui non communicat.* Sc. qui non eſt dignus communione Euchariſtica, neque dignus judicabatur oblatione ad altare. In eam ſententiam concedit Ilerdenſis, qui vetat *ejus oblationes recipi*, ſc. cum ad Euchariſticam communionem eas proponit, *qui filium hæreticis dedit baptiſandum.* Ita Carthaginenſis IV. canon. 93. & 94. cum vetat, *oblationes diſſidentium fratrum, vel in ſacrario, vel in gazophylacio recipi*, & jubet, *dona pauperes opprimentium refutare.* nil aliud intendunt, quam ut excludantur Euchariſtia, ad quam acceſſuri offerebant tum ſacrario, tum gazophylacio. Et magnum argumentum eſt, ex oblationibus fidelium elementa ſacramenti cœnæ depromta, quia cum munerum illatio incipiebat, jam exeſſe jubebantur catechumeni & pœnitentes, cum vel nondum, vel aliquandiu non admitterentur ad ſacramentum, quod Concilij Valentini Hiſpan. canon primus ab Albaſpineo productus mandat. Morem latius explicat Cauſab. *exerc: 16. n. 43.* Hinc miſſa Catechumenorum in canonibus Conciliorum frequens. Eſt autem illa divini cultus pars, cui licuit intereſſe nondum baptiſatis, in addiſcendis tamen elementis Chriſtianæ religionis & partibus occupatis. Licuit autem intereſſe, uſq; ad ſacramenti Euchariſtiæ celebrationem. *Miſſa catechumenorum fiebat ante actionem ſacramentorum. Miſſa verò fidelium poſt confectionem & participationem eorundem*, inquit Alcuinus. *Populus enim ſolenni obſervatione dimittitur.* Rab. Maurus lib. 1. Inſt. Cler. c. 32. Miſſa, inquit, *eſt tempore ſacrificij, quando catechumeni foras mittuntur, clamante Levita; ſi quis catechumenus remanſit, exeat! & inde Miſſa, quia ſacramentis altaris intereſſe non poſſunt.* Remigius lib. off. Miſſ. *Miſſa*, inquit, *dicta eſt, ut Iſidorus ait, ab emittendo. Nam tempore, quo ſacerdos incipit conſecrare corpus Dominicum, dicendum eſt à Diacono poſt Evangelium, ſi quis Catechumenus eſt, procedat foras. Et quia tunc emittuntur Catechumeni ab Eccleſia, qui non debent intereſſe ſacris myſterijs, ideò dicitur miſſa ab emittendo.* Ivo ep. 79. *Miſſam catechumenorum à miſſa ſacramentorum ſecernit. Hinc Concil. Carthaginenſe 4.* c. 84. quod extat canon.

32.

Miſſa Catechumenorum quid?

Episcopus de consecr. dist. 1. *Episcopus nullum prohibeat ingredi in Ecclesiam & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive Iudæum, sive hæreticum usque ad missam Catechumenorum.* Plura habent Joh. Steph: Dutantus *de ritibus Eccles. Cath. lib. 2. c. 1. n. 2. &c.* Sic ergo nihil attulit Albaspineus, quod probet, ex oblationibus fidelium elementa sacræ cœnæ sumta non fuisse.

Panem requirit, non attento azymus an fermentatus sit.

33. Τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ ποτηρίῳ] Requirit synodica diatyposis I. *verum panem* in sancta mensa. *Azymus*, an *fermentatus* esse debeat, non determinat. Nec illud definit, quod fermentatus panis *sit magis sacramentalis, analogicus & artoclasticus*, ut pronunciat *in rapsodia sua super Inst. Calv.* Zvvingerus. *l. 4. c. 18 p. 1102.* quamquam iterato protestatus pag 1101. *non multum referre, sive panis usurpetur* ἄζυμος, *sive* ζυμωτὸς. Sanè qui panis 1. *Deo benedicente, applaudente tota Ecclesia, congratulantibus aliis Ecclesiis, expulsus est*, 2. cum *magis sacramentali, analogico & artoclastico* permutatus, 3. qui *imbecilliorem habet rationem formalem cibi, nec mysterij cibationis spiritualis magnitudinem tam evidenter* repræsentat: 4. qui *inter Iudaizantia azyma* est numerandus, 5. qui *facultatem confortandi pari passu & gradu cum fermentato* non habet, de eo *multũ refert*, ne amplius usurpetur. At panis azymus, Zvvingero profitente. 1. *Deo benedicente, applaudente tota Ecclesia, congratulantibusque Ecclesiis aliis exactus* est. 2. cum fermentato ceu *magis sacramentali, analogico & artoclastico* optimè permutatus. 3. habet *imbecillem rationem formalem cibi, nec mysterij cibationis spiritualis magnitudinem tam evidenter* repræsentat: & 4. inter *Iudaizantia azyma* est numerandus, præsertim 5. quia *facultatem confortandi pari passum cum fermentato* non habet. De eo igitur *multum refert*, ne amplius usurpetur. Deleatur igitur, quod dixit Zvvingerus, *non multum refert, sive panis usurpetur* ἄζυμος, *sive* ζυμωτὸς. Et tamen, omnino ita est, sive præsentia sive absentia fermenti in pane Eucharistico nihil ad rem pertinet. Nam si ad rem pertinet hujus vel illius panis usurpatio, maximè in prima cœna ad rem pertinuisset panis azymi usurpatio, quæ tùm procul dubio facta fuit. At contrarium magis arridet Zvvingero, cui fermentum perplacet azymis exactis. Nec verò apparet, quomodo azymus *minus sacramentalis, analogicus & artoclasticus sit*, quam fermentatus com-

munis

munis panis. Nam partim in pane, *ut sic*, sive *azymus* sit, sive *fermentatus*, nihil est sacramentale. Pertinet ex se ad regnum potentiæ, ad primum symboli Ap. articulum, ad quartam petitionem orationis Dominicæ, & futurus fuisset, etiamsi nullum unquam sacramentum fuisset ordinatum. Opus est igitur nova vocatione, non divina ordinatione, &, ut vocant veteres, *μετασοιχειώσει*, ut in pane sit aliquid sacramentale: partim analogiæ illæ, quas ad sacramentale esse pertinere putat Zvvingerus, etiã in azymo reperiri possunt. *Convenientiã* inquit Zvvingerus, *majorem agnoscimus panis cibarij propter analogiam cibationis, cui respondet in signato cibatio animæ per corpus Christi.* Ergò tamen panis azymus convenientiam habet ad significandam cibationem spiritualem, licet fermentatus seu communis majorem. Sed quæso cibatio corporalis, quomodo significat cibationem spiritualem? Anne *ut actu facta* aut *futura* ex recepto pane sacramentali, an verò *ut possibilis & fieri solita?* Si *hoc modo*, non apparet, cur magis fermentati, quam azymi panis receptio significationem sacramentalem perficiat. Nam ut significetur, sicut per panem receptum fieri potest & solet cibatio corporalis, ita recepto corpore Jesu Christi sit cibatio animæ spiritualis, non opus est attendere qualitatem panis, azymus ne an fermentatus sit. Cum fieri possit & soleat, etiam non fermentato cibari & satiari corpus. Si *illo*, h. e. si ita interpretanda significatio panis; *sicut jam fit aut mox futura est in me cibatio corporalis ad receptionem hujus panis naturalis, ita fit fietque ad receptionem panis mystici*, h. e. *corporis Christi in anima mea cibatio spiritualis*, rursus incertum est, quomodo non contingere possit, ut azymi panis portiuncula cibationem corporalem æquè perficere possit, ac portiuncula fermentati. Nam differentia sane perexigua, imò nulla est. Urget Zvvingerus *n. 3. p. 1102. qualitatem tamen non esse susque deque habendam, quæ si desit prorsum, panis non habet rationem formalem cibi, sin adfuerit imbecillis, imbecillior erit ratio, nec mysterij cibationis spiritualis magnitudo tam evidenter & veraciter in diluto signo elucescet. Nunquid Patres olim contra Marcionem veritatem carnis Christi evicerunt ex veritate panis ceu Sacramenti & signi? Nunquid ipsi Lutherani Sacr. Cœnam evacuari putant panis veritate & substantia*

ſtantia è medio ſublata? Quidni ergo veritas cibationis quæque noſtræ ſpiritualis per carnem Chriſti arguatur ex veritate & ut ſic loquar idoneitate panis alimentarij? At 1. facultas alimentaria in ſingulis portiunculis fermentati etiam panis valde imbecillis eſt. Quantulum enim ex illis quæſo in ſuccum ſanguinemque hominis tranſibit & in ſubſtantiã convertetur? Eritne propterea imbecillis etiam ratio ſignificationis ſpiritualis, nec myſterij citabionis ſpiritualis magnitudo tam evidenter in diluto ſigno eluceſcet? Dicis, non ad portiunculas, ſed ad integrum panem devotionem & analogiæ ſpeculationem dirigendam. Deum immortalem! Quaſi non etiam à portiuncula azyma ad integram maſſam, imò, ſi ita evagari placeat, ad plenũ medimnum, aut totum etiam horreum ſpeculatio extolli queat. Patres veritatem carnis Chriſti nequaquam evicerunt ex veritate panis ceu ſacramenti & ſigni. Quomodo enim ſequetur, in hoc ſacramento eſt verus panis. Ergo in eo eſt verum corpus, vera caro Chriſti? Ita potius argumentantur: Si non eſt vera & realis caro, verum & reale corpus Chriſti, tum nec in S. Cœna poteſt exhiberi corpus Chriſti per verum & realem panem, nec adeò panis ſacramentalis verus & realis poteſt verè dici corpus Chriſti. Ita Tertullianus *contra Marcionẽ lib. 4. c. 40. Chriſtus,* inquit, *acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum fecit, hoc eſt, corpus meum dicendo, id eſt, figura corporis mei. Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Cæterum vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet. Aut ſi propterea panem corpus ſibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus ſuum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens, veterem iſtam fuiſſe figuram corporis Chriſti, dicentis per Hieremiam, Adverſus me cogitaverunt cogitatum dicentes, venite conjiciamus lignum in panem ejus, ſcilicet crucem in corpus ejus. Itaque illuminator antiquitatum, quid tum voluerit ſignificaſſe panem, ſatis declaravit, corpus ſuum vocans panem. Sic & in calicis mentione teſtamentum conſtituens ſanguine ſuo obſignatum, ſubſtantiam corporis confirmavit. Nullius enim corporis ſanguis poteſt eſſe, niſi carnis. Nam & ſi qua corporis qualitas non carnea opponeretur nobis, certè ſanguinem niſi carnea non habebit.*

Tertullianus explicatur.

Ita con-

Ita consistit probatio corporis de testimonio carnis, probatio carnis de testimonio sanguinis. Dicit Tertullianus, quia Christus præsentem exhibet panem, eumq; non futurũ, sed præsens suum corpus vocat, & id quidem, quod pro hominibus traditur, si nullum est phantasma in pane, nullum utiq; phantasma esse in corpore. Cum panem figuram corporis Christi vocat, non intelligit analogiam, sed χαρακτῆρα, τεκμήριον, σχῆμα, quo præsentissimum corpus Christi firmatur. Aliter si intelligas, Marcionem non stringet Tertullianus. Nos non qualitate, sed veritate & substantia panis sublata sacramentum, quod ex terreno & cœlesti constat, evacuari censemus. Uterque verò tam azymus, quam fermentatus panis, verus & substantialis panis est. Uterque etiam est alimentarius, posito unum altero melius nutrire. Hoc sanè ad spiritualem cibationem intendendam parum, imò nihil conferet, cum major vel minor illa nutritio in pane fermentato aut azymo invisibilis sit, & ex subjectorum diversitate planè diversa, & præterea immensa sit inter corporis & spiritus cibationem differentia. Non evitat Zvvingerus, quamdiu propter majorem cibationem corporalem panem ad cibationem spiritualem promovendam aptiorem judicat fermentatum, quo minus inferatur, ne tantillum quidem fermentati sumendum, quantulum ex semiscisso pane sumitur. Ad satietatem panis comedendus esset, non eam quidem quæ corpus infarcit & distendit, sed eam, quæ naturæ satisfacit. Sic enim analogia evidens est: sicut panis hic satisfecit desiderio stomachi latrantis, & omnem esuriem extinxit, ita latranti conscientiæ satisfecit panis cœlestis, & omnem extinxit mentis angorem. *Atqui*, inquit Zvvingerus, *non multi panis sumtio præcepta est, quæ spectaret potius ad corporis, quam animi pasturam, sicque fidei obstaculo esset.* Atqui si veritas cibationis nostræ spiritualis per carnem Christi, arguitur ex veritate cibationis corporis, uti urget Zvvingerus, non obstaculum foret, sed augmentum fidei, si multi panis sumtio fieret: sic enim quantitas cibationis corporis argueret quantitatem & satietatem cibationis spiritus. Non enim speculator analogicus potius spectaret ad corporis, quam animæ pasturam, sed ita

tantam tamque abundantem corporis paſturam ſpectaret, ut ſimul apud animam ſuam meditaretur, quantum quamque abundanter ſpiritus paſtus ſit per carnem Chriſti. Sic quantitas ſigni moneret de quantitate communionis ſalutifera ex ſignato in hoc epulo quærendæ, ſecus ac Zvvingerus arbitratur. Aut redeundum ad terminos, quos ex Sacr. literis diatypoſis Nicæna poſuit, τῷ ἄρτῳ nos debere προσέχειν, licet non ταπεινῶς. Non ſubſcribo Bellarmino (ut reſpondeā ad quæſitum Zvvingeri) lib. 4. de Euchariſtia cap. 9. putanti, *non eſſe probabile, primis illis annis Eccleſiam fermentato uti maluiſſe pane, quam azymo, quia Eccleſia in pluribus Iudaizaverit, & factum Domini recens fuerit.* Id tantum noto, azymi panis uſum & in communi vita, extra ſolennitates paſchales, non fuiſſe nullum. Unde non ſit Judaizantibus ceremonijs annumerandus. Cum maximè hoſpitalis eſſe voluiſſet Lothus, infermentatos panes appoſuit angelis convivis ſuis; Gen. 19, 3. Anne ut ex Zvvingeri opinione parcius cibaret? aut Judaiſaret? Pythoniſſa Saulem refocillatura conſternatum etiam azymos coxit. *1. Sam. 28, 24.* Nec dubito Zvvingerum etiam quandoque azymos comediſſe, & de cibatione non multum fuiſſe conqueſtum, nullo autem modo judaizaſſe. Placet Bullingeri *decad. 5. ſerm. 9.* pronunciatum. *Odioſa eſt excitata contentio ſuper materia cœnæ dominicæ, contendentibus his pane azymo, aliis verò fermentato eſſe utendum. Atqui apud veteres quondam de his nullæ movebantur rixæ.* Nam *Eccleſiæ pro libertate ſua utebantur utroque. Videtur quidem Dominus in prima illa cœna uſus eſſe pane azymo, in menſa ex veteri more celebrandi paſcha relicto, unde non paucæ Eccleſiæ pane infermentato uſæ ſunt, quæ tamen fermentato pane utentes non damnabant hæreſeωs.* Unde liquet, quam nulla fuerit *Dei benedictio*, & proinde vaniſſimus *Eccleſiæ plauſus*, *Congratulatio* autem *Eccleſiarum* intempeſtiva, cum Zvvingerus *orbiculos azymos* ex Eccleſia, hactenus libertate ſua in illis uſurpādis uſâ, *exegiſſet.* Quo enim fundamento ex dictis *benedictionem divinam* ſingularem atque adeò juſtas *plauſus & congratulationis* cauſas Zvvingerus probaturus ſit, nullatenus apparet. Notamus autem meritò trepidantem Zvvingeri calamum. Dixi, in S. Cœnæ deſcriptione panis fieri mentionem ſine qualitatis determinatione, &c.

ne, & quamvis ex tempore ipſo conſtet, qualis tum panis uſurpandus eſſet, tamen ſine reſtrictione Spiritum S. nobis panem commendare voluiſſe. Adduxi locum *Pſal. 104, 15.* ubi in genere pani confortandi virtutem tribui adnotavi. Neſcivit, quo ſe verteret Zvvingerus. Quærit: *An facultas iſta* (confortandi) *placentulis Romanenſibus pari paſſu & gradu competat?* Sit ita, in impari gradu & paſſu panis azymus, quam fermentatus confortandi virtutem habeat. Sed quid hoc ad myſterium? fuitne pro magna *benedictione* divina propterea agnoſcendum, fuerunt ne tanti *plauſus*, tantæq; *congratulationes* Baſileenſibus propterea faciendæ, ſi aliquo gradu paſſuque confortandi vis major ipſorum S. Cœnæ ex introductione fermentati panis ſit adnata? Aut negat, panem azymum confortandi virtutem habere, aut non. Si negat, experientiæ reclamabit. Adeſt ibi ſubſtantia triticea, ſuo nondum deſtituta ſpiritu, ſuis viribus alimentariis nullatenus ſpoliata, licet fermento carens. Si non negat panem azymum confortandi virtutem habere, cur dicit: *ſed vel heic agnoſcat Cenſor, panem convenientiorem in cœna futurum, cum facultate confortandi conjunctum?* Si enim & azymus cum facultate confortandi conjunctus ſit, cur *convenientiorem & facultate confortandi præditũ* panem requirit? Quanto quæſo paſſu graduve bucella fermentata *orbiculum azymum* in facultate confortandi ſuperat? Explicet hoc quæſo Zvvingerus ſcrutator viſcerum! Hem quantum pinguedinis corporalis & ſpiritualis ſuis per fermentum addidit! Sed quid illud eſt, quod de pane Americano addit? *Si*, inquit, *facultas confortandi adſit pani Americano, præ orbiculis Papanis, cur in defectu inevitabili eo ad S. cœnam uti piaculum foret, quale damnaverat antea in Beza, Polano, aliis?* Nunquid hoc vult, ſi adſit farina, ex qua orbiculi azymi confici poſſunt, in America potius pane ex radicibus confecto S. cœnam celebrandam eſſe, quam orbiculis azymis utendum? Cur non ſuadet, ut fermentetur, ſi adſit triticea vel ſiliginea farina, ne Americano pane uti neceſſe ſit? Quomodo autem in caſu inevitabilis defectus potius Americano pane utendum ad S. Cœnam, quam orbiculis, ut vocat, Papanis? Anne ſi non alius panis adeſſet in America præter azymos illos orbiculos, propter confortandi facul-

di facultatem potius ad panem Americanum deflectendum? Ecce quorsum non protrudit Zvvingerum confortandi facultas, cum tam fortiter speculationibus suis nunc inhæret? Atqui ubi ego damnavi Americanum panem & à S. cœnæ usu exegi? uti Zvvingerus azymum? Nullo de ea re verbo egi Diss. 2. consider. §. *2. & seqq.* de vino aliquid injeci, & quid consuluerint Calvinus, Beza, Paræus, Bucanus, Sadeel, Tossanus, Polanus &c: recensui. De crisi Flor. Ræmundi aliquid *ibid.* & §. *3.* disputavi. §. *4.* observavi, quod de vino cum alio potus genere in regionibus illis dissitis permutando, ubi vini copia haberi nequit, à nonnullis asseritur, alijs ipsorum judicijs repugnare. Panis nuspiam mentio incidit. Dolendum est, sub oculis tot prudentissimorum virorum, quot generosa Basilea habet, non erubescere Zvvingerum ad istas ineptias. Suppeditet illi Deus facultatem confortandi bene fermentatam! Sed nondum desinit ineptire grandis adversus *azymos orbiculos* nauseator. Witakerum & Chamierum introduxi ratiocinantes: *Christus pane usitato seu azymo seu fermentato usus fuit. Ergo & nobis usitato potius S. Cœna celebranda.* Nimirum, reponit Zvvingerus, *existimat, majorem cœnæ autoritatem conciliari, si pane non usitato, sed ex inusitata pistrina & furno Pontificio, orbiculatus in mensam sacram efferatur. Major enim, quod haud obscurè insinuat, ex hoc devotio & animo tranquillitas, quam ex illo usitato & culinari, cibario & analogiam Calvinisticam secum trahente.* Sed quid hoc facit, quo minus adhuc ratiocinationis nervum incusem? Quomodo sequitur: *Christus in prima cœna tum usitato pane scil. azymo usus est: Ergo quotiescunque Cœna S. utimur, non alio pane uti debemus, quam qui eo, quo ista fruimur, tempore usitatus est.* Ergo si fermentato utimur, non alio in Cœna sancta uti debemus. Nonne in potestate hominum est, nunc illo, nunc isto panis genere uti? Quomodo adstringenda Ecclesia ad id, quod hominibus usitatum est? Si usus panis domi variat, quomodo exinde certa sumendi panis norma capi potest? Quod panis azymus illo tempore, quo Sacr. Cœnam instituit Christus, usitatus fuit, non ex rei familiaris instituto, sed ex divino præcepto fuit ortum, & pertinuit ad solennitatem paschalem. Talis lex in re familiari posita non est. Si Christus extra

tempus.

tempus paſchale in tali cœna, in qua ex peculiari matrisfamilias lautitia panis azymus occurriſſet, myſterium ſuum adornaſſet, nondum tamen ſequeretur, pane quocunq; forte occurrente utendum ſive azymo ſive fermentato. At illi juxta legem ordinariam alio uti non licuit. Nihil ergo concludunt Witakerus & Chamier. Addat quæſo Zvvingerus confortationem ratiocinationi. Tantum calumniam adjecit. Nemo noſtrum exiſtimat, *majorem cœnæ autoritatem conciliari, ſi panis non uſitatus* (ita voluit Zvvingerus ſcribere. Scripſit autem, *Pane non uſitato*) *orbiculatim in Menſam ſacram efferatur.* Nos in panis ſubſtantia & qualitate autoritatem S. Cœnæ non conſtituimus. Myſticum panis officium requirimus, quod eſt eo mediante dari ſumique corpus Chriſti. Dicit Zvvingerus, etiam ſignificationem requiri: *quia exhibitio fit mediante ſignificatione ſacramentali, tanquam excitativa & augmentativa fidei, quæ ſola eſt corporis Chriſti μεταληπτική, non os, aut venter, juxta illud πολυθρύλλητον, Chriſtus eſt cibus mentis, non ventris.* Addit, *officium μεταδόσεως, quod panis eſt, non debere confundi cum officio μεταλήψεως, quod non eſt panis, ſed communicantis, quod officium non ſemper reſpondet τῇ μεταδόσει verb. grat. in infidelibus.* Quotuplicem autem principij petitionem committit. Ubi enim in verbis inſtitutionis fundata eſt ſignificatio ſacramentalis? Nuſpiam inter actus S. Cœnæ, nuſpiam in verbis diſpoſitivis apparet. Niſi hoc velimus dicere, quia ex divina inſtitutione ad ordinem actuum ſubſtantialium hujus myſterij circa panem promiſſio ſacramentalis præſentiæ corporis Chriſti divinitus determinata eſt, ideo panem velut certiſſimum ὄχημα & τεκμήριον ſignificare inviſibile promiſſum præſens. Sicut arca fœderis advecta ſignificabat præſentiam tabularum & Dei. *1. Sam. 4, 4. & ſeqq.* Sed illa non eſt *ſignificatio analogiam Calviniſticam ſecum trahens*, ut Zvvingerus jocatur. Quid verò iſtud eſt? *Exhibitio fit mediante ſignificatione ſacramentali tanquam excitativa & augmentativa fidei.* Exhibitio fit, cum ipſa datio ſeu porrectio fit, non cum in manus ſumitur panis, non cum frangitur. Exhibitio enim μετάδοσις eſt. Quomodo igitur *mediante ſignificatione ſacramentali?* Hæc *aut* eſt in ipſis antecedentibus actibus, *aut* in aliquo dationem conſequenti actu, *aut* in ipſa

 exhibitione.

Sit in hac, quomodo ergo exhibitio fit *mediante ſignificatione ſacramentali*, cum in ipſa exhibitione ſtatuitur *ſignificatio ſacramentalis?* Sit *in illo*, quisnam erit? *Sumtio?* at illa non niſi *communicantis eſt*, inquit Zvvingerus. *Concoctio & confortationis* ex panis fermentati bucella *ſeu ſpes ſeu ſenſus?* At & hæc ad communicantem pertinent. *Sit in iſtis*, quomodo ergo exhibitio fit mediante ſignificatione? Significatio jam facta eſt, cum exhibitio ſequitur. Non eſt ergo exhibitionis medium. Actus illi jam tranſierunt, cum exhibitio fit. At & illud falſum eſt, *ex inſtitutione Christi ſumtionem & fractionem eſſe ſignificativos actus*, ut alias dicetur. Unde & in hoc principium Zvvingerus principium petit. Ignorationem vero elenchi committit, cum opponit ſumtionem corporis Chriſti ore factam ſumtioni fidei, cum hæc non ſint oppoſita. Imò corpus Chriſti ore ſumitur, ut fide ſumatur. Quid? exceptio Verbi Divini, quæ fit auribus, anne oppoſita eſt exceptioni potentiæ illius divinæ *Rom.1,16.* quæ fit fide? Anne, quod ulnis grandævus Simeon excepit Jeſum puerulum, obſtitit, quominus fide exciperet? *Luc. 2, 28.* Anne quod afflatu Chriſti diſcipuli Spiritum Sanctum acceperunt, *Ioh. 20, 22.* ideò non fide amplexi ſunt eundem? Scilicet exigua fides eſt, quæ ori periculum à ſumtione cœleſtis promiſſi metuit. Porro quomodo *ſignificatio ſacramentalis excitativa & augmentativa fidei eſt?* Adhuc ne ſignificationibus paſcimur? Nonne fidei noſtræ excitatio & augmentum eſt ab ipſo corpore Chriſti? Mirum, Zvvingerum ſignificationi adſcribere, quod ab abſoluto decreto pendet, quod ſolum fidei gradum & augmentum conſtituit, ſi hypotheſes ipſius veræ ſunt. *De Ventre* quod inſerit Zvvingerus, ventricoſa rurſus calumnia eſt. Nimirum os & venter ejus Deo carent, nec in os nec in ventrem eum admittit. Πολυθρυλλήτῳ autem abutitur, quo dicitur, *Chriſtus cibus mentis, non ventris*, & exinde concluditur. E. ore non percipitur ejus corpus. Verbum, mentis pabulum, nonne auribus percipitur? Quid obſtat, quo minus cibus ad regnum potentiæ & cibus ad regnum gratiæ pertinens uno excipiatur organo, licet non uno inſtituto, non uno modo, non uno termino. Nonne & ipſe panis, licet in ſe ſit Cibus ventris, in ſacramento eſt cibus mentis, ſi

ejus

ejus exhibitio eſt excitativa & augmentativa fidei, & tamen ore percipitur? Quæ autem iſta ſubtilitas eſt, *μετάδοσιν, quæ panis eſt, non debere confundi cum μεταλήψει, quæ communicantis eſt?* Nonne panis eſt τὸ μετάδοτον καὶ μετάληπτον in Sacra cœna? Ergo mediante pane fit *μετάδοσις & μετάληψις* corporis Chriſti, quæ in ſacra Cœna perficitur. Officium ergo panis eſt, ut & ad μετάδοσιν & ad μετάληψιν concurrat. Μετάδοσις eſt dantis, μετάληψις communicantis: μεταδιδόμενον eſt panis, eoq; mediante corpus Chriſti, & μεταλαμβανόμενον eſt panis, eoq; mediante corpus Chriſti. Sic nulla eſt in meis verbis fallacia. Petit verò rurſus Zvvingerus principium, cum inquit, *in infidelibus μετάδοσιν corporis Chriſti in S. Cœna non ſemper ſequi μετάληψιν.* Nam hoc eſt, quod nos negamus. Sic ergo, ut ex diverticulo in viam revertamur, autoritatem Sacr. Cœnæ non in qualitate panis quærimus, ſed in myſtico officio. Quid ad hæc *piſtrina inuſitata*, quid *furnus Pontificius? Quæ hinc major devotio? quæ animo tranquillitas?* Ubi hoc *haud obſcure inſinuamus?* Nonne hic piſtrina & furnus Calumniatoris? Quam facetus eſt circa panem analogiam Calviniſticam ſecum trahentem! Nimirum ante Ann. 1642. è furno Pontificio, ex piſtrina inuſitata, in ſacris myſterijs cibati fuerunt Baſileenſes. Quanta eſt vertigo viri circa panem orbiculatum! Ejus inſtitutum, ejus gaudium & tripudium eſt, ſi poſſit ex reformatione panis Cœnæ ſuæ autoritatem majorem conciliare. Hoc *Dei benedictio vocatur*: hoc *publicæ lætitiæ & congratulationis* incitamentum habetur. Jam ſplendidè adornata ſunt omnia. Panis præſto eſt, *qui analogiam Calviniſticam ſecum trahit.* Nunc tribus micis major panis & fermento ſubactus *myſterij cibationis ſpiritualis magnitudinem evidenter & veraciter illuſtrat*, quod *in diluto ſigno* tam *eluceſcere* non potuit. Nunc *veritas & idoneitas alimentarij panis clariſſimè arguit veritatem cibationis noſtræ ſpiritualis per carnem Chriſti.* Nunc *ſimilitudo & veritas ſigni veritatem condocefacit ſignati.* Valete *azymi orbiculares*, jam adeſt *panis cibarius, magis ſacramentalis, analogicus, & artoclaſticus*. Exeſto *piſtrina inuſitata! furnus Pontificius!* Quæ vis piſtrina nunc panem porrigere poteſt. Sic ſcilicet ſolet διυλίζειν τὸν κόνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνειν. Matth. 23, 24. Witakerum confuſius loquentem non bene defendit Zvvingerus.

rus. Dixit ille, *potius in fermentato celebrandum esse hoc sacramentum, quia communis & usitatus panis est, cum Christus pane usitato, seu azymo seu fermentato, usus fuerit.* Quæsivi ego, an nesciat, Christum fermentato non usum, sed azymo? Cur ergo scribit, *Christum pane usitato seu azymo seu fermentato usum fuisse.* Hic quiritatur, *me committere pseudermeniam verborum Witackeri. Eum nihil aliud voluisse dicere, quam Christum, sive azymo, sive fermentato pane usus fuerit, communi & alimentario pane usum fuisse.* Quidquid voluerit dicere Witakerus, non hoc dixit. Denique quod ad silentium suum obfirmavit animum Zvvingerus, &, postquam majorem, quam hactenus habuit, sacramento suo conciliavit autoritatem, in eo etiam suam firmare decrevit, quod nihil ad censuram meam responsurus sit, bene fecit. Optimè facturus fuisset, si & in sua rapsodia tacuisset, & non prodidisset suam imbellitatem, sique in principio à minis & fulminationibus abstinuisset, quæ à Rauracis in Alsatiam reboarunt.

34. *An Alexāder I. fermentatū in azymū mutarit?*

Alexandrum I. *azymum panem primùm in Ecclesiam invexisse reclamantibus Græcis*, partim certum non esse dixi, partim falsum esse monui. Certum non esse ideo, quia autorem non habet nisi è seculo decimoquinto, de eo, quod factum in seculo secundo. Nam Alexander I. vixit circa seculi secundi ann. 121. Platina anno 1472. Bergomensis anno 1494. Polydorus Virgilius seculo decimo sexto. Imo etiam ideò, quia ex antiquis nemo meminit. Zvvingerus contra: *Iam ad id prosilit, quod scripsi*, Alexandrum I. Episcopum Romanum azymum panem in Ecclesiam invexisse. *Hanc Censor vocat fabulam, procul dubio, quia azymi orbiculi magis sapiunt ipsius palato. Dicit*, se non hoc invenire apud Damasum & Eusebium. *Ergone, quicquid illi narrando prætererunt, fabulosum est? An verò etiam omne, quod narrarunt, ἀξιόπιστον est? Cur rejicit Platinam & Polydorum Virgilium, testes, quos ipse allegat, quorum testimoniis Gerhardus quoque utitur prædicto loco, ijsque connectit aliud ex Bergomensi. Anne historicorum Pontificiorum narrationes sublestiores sunt, quas veritas eis extorsit minus Pontificibus Romanis accepta? Quod si Alexander I. ausus fuit novo instituto vinum Eucharisticum aqua diluere, an fuerit ei piaculum, panem fermentatum convertere in azymum?* Sic Zvvingerus pro fermento oscitanter sanè. Nam

Rodolph.

Rodolph. Hospinianus *part. 1. hist. sacram. pag. 121.* quod annotavi, mecum sentit, *merito* de illa Alexandri constitutione *dubitari.* Sapuerunt ne & ipsius palato azymi orbiculi magis? Merito ergo antiquiores autores, quam sunt Platina, Bergomensis & Polydorus, requisivi, quia his neque Hospinianus credere voluit. Unde verò constat, veritatem hoc, quod de fermento in azymum mutato ab Alexandro I. narrant isti, ipsis extorsisse. Quam pariter incertum est, Alexandrum I. ausum fuisse novo instituto vinum Eucharisticum aqua diluere? Unde ergo probabile ex eo fieri potest, eundem exacto fermento azymum introduxisse? Videt Zvvingerus, quam imprudenter fecerit, quod tantum locutus sit, & nō omnino siluerit. Depromserunt ista Platina, Bergomensis, Polydorus, &, ante hos, Gratianus c. In sacramentorum, de consecr. d.2. ex Pseudo Alexandri epistola, *cujus*, ut Blondellus pag. 171. in Pseudo Isidoro loquitur, ad quem Zvvingerum remiseram, *artifex falsa nota consulari suam farraginem consignavit; barbaro eloquio portentosa de aquæ salsæ & aliorum elementorū consecratione dogmata edisseruit: in quæstione de Calicis Eucharistici mixtione, Hieronymi, Concilij 3. Carthaginensis, Concilij 3. Braccarensis, Canonis Missæ phrases est imitatus; sententias deniq; Ithacij Clari, Siricij, Concilij 3. Carth. Ruffini, primæ Clementinæ interpretis, Procli, Ennodij, Adriani I. pro arbitrio imitatus est.* Sanè si autoritate allegatorum nobis persuadere vult, Alexandrum I. azymum introduxisse, cum ad ejus usque tempora Romæ fermentatus esset usitatus, etiam cætera, quæ de sanctionibus Alexandreis illi recensent, asseverare tenebitur jam secundo post Christum seculo sanctione peculiari R. Episcopi Ecclesiæ fuisse proposita, quod nemo prudens asseverabit. Ita enim B. Platina: *Alexander R. P. primus ob memoriam passionis Christi in sacrificio addidit:* qui pridie quam pateretur, *usq; ad hanc clausulam*, hoc est corpus meum. *Instituit item, ut aqua, quam sanctam appellamus, sale intermixta interpositis sacris Orationibus, & in templis & in cubiculis ad fugandos dæmonas retineretur. Voluit quoq; aquam admisceri vino in consecratione sanguinis & corporis Iesu Christi, quo significetur Christum Ecclesiæ conjunctum esse. Oblationem quoque ex azymo, non autem ex fermentato, ut ante, fieri mandavit, quia hoc modo purior haberetur & Ebionitis hæ-*

Templa eo seculo fuisse, negat Hospin. de templ.

reticis calumniandi occaſio aufferretur. Ita Bergomenſis lib. 8. pag. 150. *Alexander, ſicut Gratianus in decretis refert, nonnulla conſtituit decreta, & primo quidem decreto publicato excommunicat præſumentes legatum ſedis Apoſtolicæ impedire, ut habetur* d. 94. c. ſi quis autem. *Mandavit item, ne ullus clericus ante ſecularem judicem accuſaretur.* 11. q. 1. cap. Relatum. *Statuit item ut una tantum Miſſa in Die celebraretur.* de conſecr. diſt. 1. c. ſufficit. *Oblationem etiam non ex fermentato, ſed ex azymo, ut antea conſueverant, fieri mandavit.* de conſecr. d. 2. c. In ſacramentorum. *Voluit etiam aquam in conſecratione ſanguinis Chriſti vino admiſceri, quo ſignificatur Chriſtum Eccleſiæ conjunctum eſſe, ut ibidem habetur. Inſtituit item, ut aqua, quam ſanctam appellamus, ſale admixta benediceretur & in fidelium domibus ſpargeretur.* de Conſ. d. 3. c. Aquam cum ſale. *Primus etiam ob memoriam paßionis Chriſti in ſacrificio hoc addidit,* qui pridie, quam pateretur &c. Certè iſta omnia initio ſeculi ſecundi in Eccleſiam fuiſſe invecta, nemo, cui antiquitatis per veſtigatio curæ eſt, affirmabit. Ut taceam, quæ Bergomenſis commemorat, plura, præterquam quod ex ſuppoſititia epiſtola ſunt, falſa eſſe. Nam quod Alexander *legatum primæ ſedis non eſſe impediendum* decreviſſe dicitur, Gratianus ex ep. 2. ſuppoſititia hauſit. Et tamen in ejus verbis non extat. Non dicit: Si quis legationem Apoſtolicæ noſtræ ſedis, ſed, *Si quis legationem veſtram,* (uti in epiſtola, Concilio Triburienſi & apud Burchardum habetur) *impedit, non unius, ſed multorum profectum avertit.* Gregorij XIII. adnotator habet; *Ea legatio videtur ſignificari, qua Apoſtolos & Epiſcopos pro Chriſto fungi docuit B. Paulus 2. Cor. 5.* Quod *de non accuſandis Clericis apud ſecularem judicem* decreviſſe Alexandrum dicit ex Gratiano Bergomenſis, depromtum eſt ex epiſt. 1. ſuppoſit. Et tamen Alexander hypobolymeus non decrevit primùm, imò neque decrevit, ſed S. Pauli conſilium inculcat ex 1. Cor. 6. quo vult *Chriſtianorum* (NB. non Clericorum tantum, uti Rubrica Gratiani habet.) *cauſas ad Eccleſias deferri.* Quod Chriſtianiſmo ſub gentilibus poteſtatibus preſſo valere debuit. *De una in die miſſa celebranda* decretum, quivis videt non quadrare in ſecundum à Chriſto ſeculum. Male Bergomenſis Alexandro I. tribuit, quod Gratianus in inſcriptione Alexandro II. qui undecimo ſeculo ſedit. *Azy-*

mum

mum fermentato substituendum, cap. alleg. apud Gratianum non dicitur, nulla vel azymi vel fermentati fit mentio. Verba c. sunt ex supp. 1. Ep. quib. in monito de aqua vino miscenda, habetur *sicut à Patribus accepimus, & ratio docet*. Quanquam verba Bergomensis ita sonant, ut azymum ex jure prioritatis restituendum, fermentato noviter introducto dicere videatur contra Platinam; Oblationem etiam, inquit, non ex fermentato, sed ex azymo, ut antea consueverant, fieri mandavit. Sequitur sanè ex his verbis, ex azymo antea consuevisse fieri oblationes, irrepsisse autem fermentatas. *In decreto de aqua cum sale benedicenda* iterum negligentiam suam prodidit Bergomensis & Platina. Nam Alexandro V. à Petro. illud tribuit Gratianus l. c. At excluso etiam Petro Alexander I. non quintus sed sextus à Petro est. Ipse Bergomensis vocat eum Papam 7. Accedit & illud, quod aquæ cum sale mixtura Donatistarum, non autem Catholicorum fuerit. Ita enim Optatus Milevitanus lib. 6. advers. Parmenian. Donatist. pag. 98. *Iam illud*, inquit, *quale est, quod in multis locis etiam parietes lavare voluistis & sine causa inclusa spatia* salsa aqua *& spargi præcepistis. O aqua quæ dulcis à Deo creata es, super quam ante ipsius natalem mundi sanctus spiritus ferebatur. O aqua quæ ut purum faceres orbem, lavisti terram! O aqua, quæ sub Moyse, ut, naturalem amaritudinem perderes, indulcata ligno, tot populorum pectora suavißimis haustibus satiasti. Restabat tibi post promotionem non leviter degradari. Præsentia Moysi in te amaritudo moritur; & à schismaticis hodie cum Catholicorum turba* dulcedo tua *vexatur. Pares patimur bellum, pares expectamus vindicem Deum*. Vel ex hoc solo *νοθείαν* epistolæ discere debuisset. Videt Zvvingerus, quibus autoribus nitatur, quam vanè mihi insultet! D. Gerhardus obiter ista recenset ex illis, ut adeo ei nulla causa fuerit, in ista penitius inquirendi. Ea autem Zvvingero fuit, qui fermento suo conciliare autoritatem ex eo voluit, quod primo post Christum seculo & initio etiam secundi panis eo imbutus usitatus fuerit, Alexandri demum ausu mutatus, substituto azymo. Investigare debuisset, quibus testibus illud posset tueri, tum quia domi habet dubitantem Hospinianum, tum quia foris me nactus est modestè commonefacientem. Nunc cum præsidium à

pertinacia ſumit & recentiſſimis teſtibus de re antiquiſſima aſſerenda adhuc inſiſtit, convincendus fuit luculentæ negligentiæ. Quam cum in re facili admiſit, in ſublimibus ab ipſo non eſſe metuendam, quis præſtabit vadimonium?

35. Falſum eſſe dixi, quod Zvvingerus affirmavit, RECLAMANTIBUS GRÆCIS *Alexandrum.I fermentato exacto azymum in Eccleſiam invexiſſe.* Nam reclamaſſe ſeculo ſecundo Græcos alicui mutationi circa panem Euchariſticum, nulla hiſtoria teſtatur, nulla ratio temporum admittit, immanis anachroniſmus eſt. Hic Græcos reclamantes nobis ſiſtere debuit Zvvingerus & bonam fidem præſtare. Quid vero cogit? Quaſi, inquit, *verò dubium ſit, Eccleſias Græcas jam inde ab Apoſtolorum temporibus fermentato pane uſas fuiſſe, ut in legem Pontificiam de azymo nunquam conſenſerint.* Quaſi verò hoc eſſet *reclamantes* ſiſtere circa azymum invectum *Græcos.* Quaſi verò ſi retinuerunt Græci fermentatum, ſtatim reclamaſſent Alexandreo, ſi quod fuiſſet, decreto. Quaſi verò non etiam fermentũ Græci inter ſe uſurpare potuerint, & Eccleſiæ Romanæ, tum anguſtis limitibus circumſcriptæ, in ſua diœceſi uſum azymi, tanquam rem ἀδιάφορον, relinquere. Quaſi verò & verum ſit, nullũ eſſe dubium, Græcos ab Apoſtolorum temporibus ſemper fermentato pane uſos fuiſſe. Debuiſſet Zvvingerus Epiphanij teſtimonium expendere, quod paulo ante in conſ. §. 10. contra D. Chamierum vindicavi, qui aſſerit, Ebionitas in hoc μυστήρια τελεῖν κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, quod διὰ ἀζύμων celebrent! Sancti in Eccleſia in azymis myſteria celebrantes, ſunt utique etiam Græcæ Eccleſiæ ſancti h. l. intelligendi. Pergit Zvvingerus ἀπολογεῖν. *De ſchiſmate nondum locutus ſum, quod demum, eodem tamen illo ſeculo, Anno Chriſt. 191. ſub Victore furioſo emerſit, qui propter ceremoniarum paſchalium, inprimis ſic dictorum Quarta decimanorum, quod non die Dominica, ſed decima quarta Luna paſcha celebraſſent, differentiam Eccleſias Aſiaticas excommunicavit.* Sed quid hoc ſchiſma ad reclamantes Græcos circa invectionem panis azymi pertinet? Non de pane, ſed de paſchate imperioſius agenti Victori ab Aſiaticis Eccleſijs, non ab univerſa Græca Eccleſia reclamatum fuit. Fuerunt enim inter orientales, qui Romanæ Eccleſiæ adhæſerunt.

Non

Non tamen Aſiaticas Eccleſias damnandas cenſuerunt. Aliud
ergo ſchiſma oſtendere debuit Zvvingerus, quo ſe non Victori
paſcha decima quarta luna celebrari vetanti aliquæ Aſiaticæ
Eccleſiæ oppoſuerunt, ſed *Alexandro* I. azymi uſum pro fer-
mentati invehenti RECLAMANDO ſe oppoſuerunt *Græci.*
At hic tum omnes ſiluerunt.

Sed pergit Zvvingerus ἰςορεῖν! *Certè conſtat, inter Latinos &* 36.
Græcos magnam ſemper concertationem fuiſſe, utrum azymo an fermenta- *Græcorum*
to pane in Euchariſtia utendum eſſet, in tantum, ut hi illos azymitas, illi *& Latino-*
iſtos fermentarios, tanquam hæreſis alicujus vocabulo notarint, quod & *rũ pugna*
Centuriatores ex Algero annotarunt Centur. XI. cap. I. p. m. 245. *Ni-* *de azymo.*
mirum Latini neceſſitatem Panis azymi exegerunt, quam Græci rejecerunt,
panem tantum ſimpliciter poſtulantes. Hinc (refert Gerhardus d. l. ex T. 4.
Concil. fol. 464.) Epiſcopus quidam Græcus in Concil. Florentino Ann: 1439.
dixit: de pane ſive azymus, ſive fermentatus ſit, Græci non curant, dum-
modo ex tritico conſtet. Quanquam poſterioribus temporibus Græci neceſſi-
tatem quoque exegerint panis fermentati, quod Gerhardus ibid. quoque ex
Ieremiæ Patriarchæ Conſtant. reſponſo ad A. C. c. 10. annotavit & perſtrin-
xit. Nunc hiſtoriam integram controverſiæ de pane azymo
& fermentato in Euchariſtia Zvvingerus explicavit! Sed nihil
ad ſui apologiam accommodavit. Ecce verò, quam confiden-
ter loquitur. *Certè* (juranti ferè credamus, ubi nulla teſtimo-
nia producit!) CONSTAT, (unde quæſo: an quia in Cent.
XI. ex Algero annotatur, pugnam ſeculo XI. inter Græcos &
Latinos fuiſſe?) *inter Latinos & Græcos magnam* SEMPER (ſed à
quo termino? an ab invectis ab Alexandro I. in Eccleſiam
azymis? At hoc falſum eſt. Quomodo ergo *ſemper?*) *concerta-*
tionem fuiſſe. Dixit Zvvingerus *magnam* ſemper *ſuper azymis inter*
Græcos & Latinos controverſiam fuiſſe, quia ſeculo XI. aliqua fuit
Centuriatoribus ex Algero notantibus. Quid ſeculum XI.
ad ſemper? Præterea Centuriatores inprimis *Cent. XI. cap. 6. §.*
Ritus circa Cœnam. ita referunt ex Sigeberto, tanquam circiter
annum D. 1054. inter Romanam & Conſtantinopolitanam
Eccleſiam de azymo pane controverſia fuerit mota. Sic ta-
men, uti *cap. 5. §. Criminati quoque ſunt.* ex Algero referant, *multis*
bonis Catholicis viſum fuiſſe, non eſſe contra fidem Chriſtianam ſeu azy-

mum, seu fermentatum sacrificetur, cum quia utrumque panis est, & sicut utrumque vitam transitoriam, sic corpus Christi dat æternam: tum etiam, quia quamvis Christus de azymo pane corpus suum fecerit, (forsitan non quia res, quæ fiebat, hoc exigebat, sed quia cœna in qua hoc factum est, panem alium non exhibebat,) tamen panem fermentatum non prohibuit. Cap. 8. §. *Schisma inter Romanū & Constantinop. Epp.* prolixè recensentur disputata inter eos, quibus se immiscet Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus. Baronius Annal. *ad Ann. Christ. 1054.* etiam controversiam contexit, & in primis *n. 13.* introducit Leonem IX. Pontificem Romanum, in hæc verba Michaelem Constantinopolitanum alloquentem. *Quis non stupescat, qui post tot sanctos & orthodoxos Patres per mille & viginti à passione Salvatoris annos novus Calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes & publicam persecutionem excitans, quicunque participarentur sacramentorum ex azymis.* Falsus ergo Zvvingerus in eo fuit, quando persuadet Lectori, *Centuriatores ex Algero retulisse*, SEMPER *inter Latinos & Græcos de azymo & fermentato magnam controversiam fuisse.* Falsus est Zvving. in eo, quod *Latini necessitatem panis azymi exegerint, quam Græci rejecerint, panem tantum simpliciter postulantes.* Nihil tale historia probata dictabit Zvvingero. Guido Perpinianus Carmelita, qui in principio seculi XIV. vixit, *in summa de hæresibus, de Græcor. hær. cap. 2. p. m. 32.* ita contra Græcos argumentatur. *Non impeditur efficacia verborum per accidentia panis, quæ sunt azymum & fermentatum, quia efficacia verborum respicit substantiam panis, quæ transsubstantiatur in corpus Christi, & non accidentia, quæ manent & non mutantur vi verborum Christi. Igitur ejus verba sunt efficacia, sive panis azymus fuerit, sive fermentatus.* Concludit *Guido. Græci ergo erroris cœcitate percussi redeant ad lucem veritatis, & credant Evangelicæ doctrinæ, quod Christus confecit ex pane azymo, & redeant ad S. Romanam Ecclesiam, quæ verum corpus Christi ex pane azymo confecit, nec Græcos damnat in hoc, imò concedit ijs ex pane fermentato corpus Christi conficere.* In Actis Concilij Florentini extat Josephi Methonensis scriptum contra Marcum Ephesium Metropolitam, qui pag. *696.* de hac materia ita cum Ephesio expostulat. *Objurgare quidem & detrahere nobis propter azyma novit, ignorat autem, Dominum per azymum olim peregisse mysticum sacrificium, nec putat*

Zwingeri falsa.

ἀδιάφορον

ἀδιάφορον indifferens, ſive per azymum, ſive per fermentatum conficere, ſed omnia fruſtra arbitratur, ſacerdotium, altare, Dominicam vocem, &c. & reliquos ritus, qui obſervantur, ſi non adſit ejuſdem maſſæ ſeu ejuſdem materiæ modicum acidumque fermentum. Et poſt. *Cum hæc ita ſe habeant, qua ratione erunt à nobis reprehendendi, qui azymo ſacrificant? De nobis autem ipſis dicimus, ita nos accepiſſe & noſtram conſuetudinem ratam habere. Nam & Apoſtoli domi panem frangentes ſacrificium factitabant, nec uſquam apparet, quæſitum ab illis panem azymum ad ſacrificandum. Rurſus cum dies eſſent azymorum, & fermentatus panis non eſſet Hieroſolymis, ſimiliter nuſquam apparet, quæſito fermentato illos conſecraſſe, quod ſcirent, materiam eſſe eandem, nempe farinam triticeam. Neque enim eo, quod modicum non adſit fermentum, invalida jam erunt omnia, quæ ad ſacrificium ſpectant &c.* Sic Græcus contra Græcum. Non itaque Latini neceſſitatem panis azymi exegerunt, ut Zvvingerus refert, ſed ſchiſmatici quidam Græci. A quibus tamen alij diſſenſerunt. Hinc *in act. Conc. Florent. ſeſſ. ult. quæ habentur T. 2. Concil. ed. P. Crabb. fol. 807. fac. b.* Græci à Summo Pontifice requiſiti, *ut de ſuis præſulibus aliquos ad eum mitterent, Ruthenum, Trapezuntinum, ac Mytilenenſem ad eum miſerunt, qui quæſiti inter alia ut de azymo ſuam exponerent ſententiam, reſponderunt, de pane ſive azymus, ſive fermentatus fuerit, Græci non curant, dummodo ex tritico conſtet.* Idem poſt fol 808. decreto in frequenti Græcorum conventu in domo Imperatoris abſentibus Latinis facto definitum, ſcil. *ſive in azymo, ſive in fermentato pane ſacramentum fieret, minimè referre.* Repetitum hoc idem in literis ſ. unionis Eugenij Pont. R. *In azymo, ſive fermentato pane triticeo corpus Chriſti confici veraciter &c.*

Requirit ſynodica diatypoſis II. *panem ſine reſtrictione ad certam formam.* Baronius *in Annal. ad Ann. Chriſt. 58. n. 64.* exiſtimat, *viguiſſe apud Iudæos eam conſuetudinem, ut conficientes panes rotundos eos inciſionibus in particulas plures ſignatos coquerent: id ſe ex Rabbino rerum Iudaicarum antiquarum perito accepiſſe, eos ſic inciſos coquere ſolitos, ut ſic ad uſum non eſſet opus illos incidere, ſed ſolum frangere, indeq; eveniſſe putat, quod de bucellis comedendis in divinis ſcripturis frequens mentio reperitur. Sicut etiam apud Romanos uſu fuit receptum, ut panem quemlibet placentamve quadrifida decuſſatum inciſione ad dividendum poſtea in partes quatuor coquerent, cujus ſingulæ partes quadræ nominarentur, non* 37.

Panem requirit ſine reſtrictione ad certam formam.

tur, non quod quadratam figuram referrent, sed quod quarta pars panis esset. Hinc Virgilium de conficiente panem dicere: Format opus, palmaque suum dilatat in orbem, & notat expressis æquo discrimine quadris. *Et Horatium lib. 1. ep. 17.* Qui dicit: clamat, victum date. Succinit alter, etiam mihi dividuo fundetur munere quadra. *Et Martialem lib. 3. epigr. 76.* Nec te liba juvat, nec sectæ quadra placentæ. *Et lib. 9. epigr. 95.* Libet tibi candidas ad aras Secta plurima quadra de placenta. *Et Iuvenalem, Satyr. 5.* Ut bona summa putes aliena vivere quadra. *Licet pro mensa alij quadram acceperint, ut in illo Virgilij 7. Aeneidos.* patulis nec parcere quadris. Sic ille pluribus, qui & *n. 65.* addit, *non solum communes panes ad esum paratos ejusmodi decussatione Crucis signum exprimente à majoribus consignari consuevisse, sed & eos ad sacrum Eucharistiæ usum absque fermento confici solitos,*

38. *Consid. de Cœna contra Zwingerum p. 75.*

Divina institutio & diatyposis Nicæna nihil de forma habent. Libertati Ecclesiæ illa in solidum relicta est. De forma placentularum orbicularium mota est controversia. Notavi, illam nobis moveri à rigidis Reformatoribus, inprimis Wendelino & Massonio, qui eos *spumam & nebulas* vocant. Salmasius sub nomine Simplicij Verini *ad Iul. Pacium de Transubst. p. 206. & in epistol. p. 281.* vocat *chartaceas crustulas.* Chamier *Tom. 4. p. m. 151.* farinacea folia. Zvvingerus illarum originem ad Annum Christ. 1060. retulit. Dixit enim clarè: *rotundas hostiolas in Papatu circa annum 1060. Bernoldi presbyteri Constantiensis ætate, autoribus vel Nicolao II. vel Alexandro II. vel Gregorio VII. non absq; gemitu piorum inolevisse.* Hoc pronunciatum ego falsum dixi & petij probari testibus idoneis. Quid Zvvingerus? *Ego peto vel unicum testem idoneum, qui doceat, nummularios istos orbiculos ante Ecclesiam Papatu deformatam in usu fuisse.* At jam Zvvingeri non est petere testes, sed dare, qui dicant, *inolevisse illos orbiculos nummularios Anno 1060. ætate Bernoldi presbyteri Constantiensis, sub vel Nicolao II. vel Alexandro II. vel Gregorio VII.* Nam orbiculi illi non ex se ancillantur vel transsubstantiationi, vel idololatricæ asservationi, uti incusat Zvvingerus. Quid enim forma illa ad hoc vel illud? Nihil cum Papatu habet commercij. Si igitur nullo idoneo teste probat Zvvingerus ætate Bernoldi Constantiensis

Quando placentæ orbicæ introducta?

tienſis presbyteri nummularios iſtos orbiculos inoleviſſe, in fabula eſt. Dixi 1. *Bernoldum non dicere, temporibus Pontificis R. alicujus coætanei ſui hoſtias introductas.* Reponit Zvvingerus 1. *Sufficit mihi, Bernoldum ſua ætate panis iſtam formam deprehendiſſe & reprehendiſſe, tanquam deviantem ab antiquitate.* 2. *Veriſimile eſt prorſus, illa ætate Καινεργίαν in Eccleſiam invectam, cum ante ipſum & Pontifices συγχρόνους nullus poſſit proferri autor, & ipſe videatur primus fuiſſe ejus reprehenſor. Hinc Caſſander ibid. ſcribit,* Bernoldum indigniſſimè videri tuliſſe, ætate ſua in quibusdam Eccleſijs oblatas panis, quæ priſca Eccleſiæ conſuetudine ad uſum ſacrificij ad menſam Domini à populo fideli offerebantur, ad imaginem nummorum & ad tenuiſſimam quandam & leviſſimam formam à veri panis ſpecie alienam fuiſſe redactas. Quare per contemtum minutias nummulariarum oblatarum appellat, imaginariam & umbratilem levitatem illis tribuit, & indignas eſſe panis vocabulo pro ſua tenuitate, ac propter eas officium atque religionem Eccleſiaſtici officij multum per omnem modum confundi aſſerit, pluribusque & acerbioribus dictis eas inſectatur &c. 3. *neque ego de primo autore aliquid certi definivi. Satis mihi fuit oſtendere, hoſtiolas iſtas panaceas non eſſe Chriſti inſtitutionis, non Apoſtolicæ imitationis, non Eccleſiæ puræ & priſcæ conſuetudinis, ſed Pontificiæ audaciæ.* Reſp. ad 1. non oſtendiſſe Zvvingerum, quod Bernoldus formam panis Euchariſtici reprehenderit. Quantitatem & exilitatem reprehendiſſe, verba volunt. ad 2. illud nunc annotamus, incertum eſſe, an Bernoldus Conſtantienſis ſit autor expoſitionis ordinis Romani, ex quo Caſſander in Liturgicis iſta depromit. Ita enim ipſe in epiſtola Liturgicis præmiſſa: *Vir quidam diligentiſſimus, & ut ea ætas ferebat, integritatis & puritatis in obeundis divinis miniſteriis ob ſervantiſſimus, inoleſcentes jam abuſus, nondumque univerſali conſuetudine & Rom. ſedis autoritate, cui plurima, imò omnia deferebat, confirmatos liberè notavit, & reprehendit, qui ſe ſub annum Domini 1089. ſcripſiſſe teſtatur. Eum ſuſpicor eſſe Bernoldum presbyterum Conſtantienſem &c.* Sed quicquid ſit, non accuſat Eccleſiam Occidentalem in univerſum. Caſſander ait: *in quibusdam Eccleſiis.* Nec accuſat oblatas, ſeu placentas orbiculares, ſed oblatarum *minutias*, ſeu oblatas *ad imaginem*

ginem nummorum, & ad tenuiſsimam quandam & leviſsimam formam, à veri panis ſpecie alienam redactas. Nec meminit, quo tempore introductæ fuerint *in quibusdam Eccleſiis* illæ minutiæ. Nondum itaq; *in re reprehenſa* Zvvingerus certam nobis fidem facere poteſt. Nam placentulæ univerſaliter receptæ, non ſunt *ad imaginem nummorum in tenuiſsima leviſsimaque forma confectæ*, non ſunt *minutiæ nummulariæ*, nec *habent imaginariam & umbratilem levitatem*, nec *propter eas religio officij Eccleſiaſtici multum per omnem modum confunditur*, ſicut de oblatis panis *in quibusdam Eccleſiis* uſurpatis *Expoſitor Ordinis Romani* conqueritur. Neque *in tempore*. Veriſimile eſt, inquit Zvvingerus, illa ætate illam Καινουργίαν in Eccleſiam fuiſſe invectam. Cur? *quia ante ipſum & Pontifices συγχρόνους nullus poſsit proferri autor.* Cujus autor? querelæne ſuper imminutas oblatas? an verò ipſius imminutionis in quibusdam Eccleſiis factæ? Zvvingerus ſe non ſatis explicat. Sed quomodo ſequitur, *ante ætatem Bernoldi nemo conqueſtus legitur de oblatis imminutis*. Ergo ætate Bernoldi demum invectæ ſunt. Multa diu durant, quibus non ſtatim ſe cenſor opponit & reprehenſor. Sed & ita concludit invalidè Zvvingerus, *non poteſt dari autor, qui prius invectas illas oblatas imminutas teſtetur.* Ergo veriſimile eſt, ætate Bernoldi fuiſſe invectas. At Bernoldus non teſtatur ſua ætate eſſe invectas, ſed uſitatas. Nec neceſſe eſt nobis ſemper certum autorem aſſignare rerum, quæ conſuetudine pedetentim introducuntur. Sed & illud Zvvingerus nondum probavit, autoribus vel Nicolao II. vel Alexandro II. vel Gregorio VII. rotundas hoſtiolas introductas fuiſſe, quos συγχρόνους Bernoldi ſeu Expoſitoris Ordinis Romani nominat non ſatis circumſpectè. Hic enim ſe ſcripſiſſe ait *Ann.* 1089. Nicolaus II. vixit *Ann.* 1058. Alexander II. *Ann.* 1061. Gregorius VII. *Ann.* 1073. Victor III. *Ann.* 1086. Vrbanus II. *Ann.* 1087. Quî omnes σύγχρονοι Expoſitoris Ordinis Romani? Sed quomodo autores minutarum oblatarum? *In quibusdam Eccleſiis illos inoleviſſe* Caſſander conjicit. Non ergo decreto Catholico. & expreſsè Caſſander illas oblatarum minutias inter abuſus nondum univerſali conſuetudine & Rom. ſedis autoritate confirmatos à Bernoldo habitas fuiſſe, ait. Sed hoc de facto. De jure reprehenſionis

prehensioni, etiam disquiri potest. Nam non quæcunq; à quocũq; reprehenduntur, statim jure reprehẽduntur. Videamus ergò, quo jure Expositor ordinis Romani insectatus sit oblatas sui temporis. *Mensura pugilli minima est omniũ mensurarum, unde poßit panis fieri, quæ scil. mensura legitimo jure constituitur sacerdotibus ad ministerium altaris. Quod si minor mensura, quam pugillus non invenitur in tota serie V. & N. T. & si nihil omninò debet fieri intra vel extra templum Domini absque mensura & ratione, videntur oblatarum minutia ad Christum & Ecclesiam nihil pertinere, quia sunt absque mensura & ratione.* Unde Expositor probat, mensuram pugilli adeò etiam in N. T. esse observandam, ut, quod infra eam est, *sit absque mensura & ratione?* Zvvingerus mensuram Judaizantem diceret, nisi ad palatum ipsi essent reprehensoris verba. Nonne autem minor est portio τὸ ψωμίον, quod Judæ datum? *Ioh. 13, 27.* Quomodo autem minutiæ illæ, si vel maximè usitatis minutiores fuissent, *sine mensura & ratione* esse dicuntur ab Expositore? Vel enim collectivè omnes oblatas intelligit, vel distributivè singulas singulis communicantibus porrectas. Si illas, omnino mensuram templi habent & pugillo similæ ampliores sunt. Si singulas distributas singulis, etiam bucellæ Zvvingeri erunt sine mensura & ratione, quia mensuram pugilli similæ, quæ mensura templi Domini, non adæquant. 3. Quomodo sine rubore Zvvingerus dicere potuit, *se de primo autore nihil certi definivisse.* Nonne disertè, AUTORIBUS *vel Nicolao II. vel Alexandro II. vel Gregorio VII.* PRIMUM *inolevisse* scripsit? Sed unde quæso probavit, orbiculares panes esse Pontificiæ audaciæ?

Dixi 2. Bernoldum asserere, *rotundos minutiorisque formæ panes jam tempore Gregorij M. in usu fuiße, vocatosque* coronas. *Inter Gregorium autem & Bernoldum esse intervallum annorum plusquam 530.* Zvvingerus respondet. *Quid istis panibus,* Coronis *dictis, commune fuit cum istis orbiculis panaceis, longo post tempore obtrusis? Bernoldus apud Cassandrum dicit:* à presbytero quodam tempore Gregorij duas Coronas, quales Christiana religio solebat offerre, cuidam personæ delatas pro ipsa & omnibus ejus domesticis. *Dicit, oblatam Sacerdotis ex pugillo similæ fieri debuisse ad modum coronæ, & tortæ panis.* Dicit, *mensuram pugillo minorem non inveniri in tota serie*

39. De Coronis.

V. & N. T. Dicit, *inter missarum sacramenta offerri, quæ olim fuerint populi donaria. Quid horum competit orbiculis hodiernis?* Sed nondum liquet, orbiculos hodiernos non fuisse olim usurpatos & nomine coronarum insignitos. Primum Zvvingerus verba expositoris malè dum recitat, facit sua. Sic Expositor dicit: *Oblationum forma atque mensura cum videatur fuisse antiquitus, prout erat cuiq; studium atque devotio in religione divina, possumus tamen ex scriptis B. Gregorij certiora quædam illius rei capere indicia, qui scribit lib. 4. Dialog. quendam presbyterum detulisse duas coronas cuidam personæ, quam dignam duxit tali mercede &c. quales coronas solebat tum Christiana religio offerre Deo pro se suisque omnibus.* Nequaquam vel Gregorius, vel expositor dicit, *Coronas illas à presbytero cuidam personæ delatas pro ipsa & omnibus ejus domesticis.* Gregorius lib. 4. c. 55. fabulam nobis narrat, *Virum quempiam presbytero juxta Centumcellas lavatum eunti frequenter servijsse. Cumque hoc sæpius fieret, eundem die quadam ad balnea iturum intra semetipsum cogitantem dixisse: Viro illi, qui mihi solet tam devotissimè ad lavandum obsequi, ingratus apparere non debeo: sed aliquid me necesse est ei pro eo munere portare. Tunc duas secum oblationum coronas detulit: qui mox, ut ad locum pervenit, hominem invenit, atque ex more ejus obsequio in omnibus usus est. Lavit itaque, & cum jam vestitus voluisset egredi, hoc, quod secum detulerat, obsequenti sibi viro pro benedictione obtulit, petens ut benignè susciperet, quæ ei gratia charitatis offerret. Cui ille mœrens afflictusque respondit, Mihi ista quare das pater? Iste panis sanctus est, ego hunc manducare non possum. Ego etenim, quem vides, hujus loci Dominus aliquando fui, sed pro culpis meis hic post mortem deputatus sum. Si autem mihi præstare vis, Deo omnipotenti offer hunc panem pro me, ut pro peccatis meis intervenias. Et tunc exauditum te esse cognoscas, cum huc ad lavandum veneris & me minimè repereris. In quibus verbis disparuit.* Non habuit igitur domesticos vir ille, inter quos divideret coronas, nec eo fine eos obtulisse illi presbyterum, Gregorius meminit. Expositor ait, Coronas illas Viro ignoto donatas tales fuisse, quales tum Christiana religio solebat offerre Deo pro se suisque omnibus. Malè Zvvingerus recitat, *à presbytero quodam tempore Gregorij duas coronas, quales Christiana religio solebat offerre, cuidam personæ delatas pro ipso & omnibus ejus domesticis.* Necesse autem fuit, ut ita legeret, aliàs non colligere

ligere potuisset, coronas illas majores fuisse nostris orbicularibus placentis, quia duæ illi *personæ & omnibus ejus domesticis sufficiebant*. Erubescat Zvvingerus, tam sæpe in falso deprehensus. Coronas illas illico sanctum panem agnovisse Virum illum, refert Gregorius. Ergo non fuerunt *communis*, *alimentarius*, *artoclasticus panis*. Pronunciet Zvvingerus, quanto majores fuerint nostris orbiculis. Novi, quid de dialogis sub nomine Gregorij etiam in schola Papali judicarint aliqui, inprimis Melchior Canus Episcopus *Loc. Comm. lib. 11. cap. 6*. Cui ob id valde irascitur Card. Baronius *ad Martyrol. p. m. 794*. Non multum tamen nonnullorum judicio à Gregorij ætate abfuit autor ille. Sed de coronarum quantitate ipse Expositor Ord. Rom. quem audacter Bernoldum esse dicit Zvvingerus, ad Ord. Rom. ubi de tonsura Clericorũ loquitur, disserit, & pronunciat, cum Corona clericorum Coronas has comparandas. Illa sanè in vertice capitis peracta non multo nostris orbiculis major est. Vide Guil. Durand. *in Rationali lib. 2. cap. 1. n. 26*. Jodoc. Lorichius *in thes. V. Clericus n. t. §. de latitudine*. inquit; *Sacerdotalem rasuram, quæ corona dicitur, debere latitudine esse magnæ hostiæ, cujusmodi utuntur Sacerdotes in Missa*. Quod secundo loco dicit, Expositorem asseverare, *Oblatam sacerdotis ex pugillo similæ fieri debuisse ad speciem coronæ & tortæ panis*, nondum evincit, Coronas illas esse ab orbiculis nostris multum differentes. *Manifestum est*, inquit Expositor, *cujus mensuræ vel formæ debeant esse Sacerdotum oblatæ, quæ ex pugillo similæ fieri jubentur & ad speciem coronæ, quod est tortam panis offerre*. Loquitur Expositor, quid fieri debeat, & quomodo Coronas majoris quantitatis esse necesse sit, non autem quid factum sit. Tortæ panis non omnes ejusdem quantitatis sunt. Quod tertio loco dicit, *mensuram pugillo minorem non inveniri in tota serie V. & N. T.* jam supra expensum est, nec arguit, Coronas non fuisse minores ex praxi Ecclesiæ. Quod dicit, *inter Missarum sacramenta nunc offerri, quæ olim fuerunt populi donaria*, nihil ad rem est, de qua quæritur. Vel enim vult dicere, ex populi donarijs ante hac Ecclesiæ factis sumi panem Eucharisticum, vel, olim seculis antiquis panem sacramentalem ex eo pane depromtum fuisse, quem pietas fidelium in commune contulit, hodie ali-

unde depromi: quicquid dicat Expositor, nihil dicit, quod Coronas majores nostris orbiculis faciat.

40. *Durantus notatur.* Pro Coronis his asserendis & seculo post Christum quarto inserendis laborat Joh. Stephan. Durantus *de ritib. Eccles. lib. 2. cap. 38.* cum ex Joh. Chrysostomi *hom. 83. in cap. 26. Matth.* hæc verba adducit: *Qua igitur re mundiorem non oportet esse eum, qui hoc sacrificio participaturus est? quos radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc* CORONAM *pertractat.* Sed mirum, qui in eam lectionem devenerit. Ita scribit Chrysostomus. Τινὸς οὖν οὐκ ἔδει καθαρώτερον εἶναι τὸν ταύτης ἀπολαύοντα τῆς θυσίας; ποίας ἡλιακῆς ἀκτῖνος τὴν χεῖρα, τὴν ταύτην διατέμνουσαν τὴν σάρκα, τὸ στόμα πληρούμενον πυρὸς πνευματικοῦ, τὴν γλῶσσαν τὴν φοινισσομένην αἵματι φρικωδεστάτῳ; ἐννόησον, ποίαν ἐτιμήθης τιμήν; ἀπολαύεις ποίας τραπέζης; ἥπερ ἄγγελοι βλέποντες φρίττουσι, καὶ οὐδὲ ἀντιβλέψαι τολμῶσιν ἀδείας, διὰ τὴν ἐκεῖθεν ἐκφερομένην ἀστραπήν. τούτῳ ἡμᾶς τρεφόμεθα, τούτῳ ἀναφυρόμεθα, καὶ γεγόναμεν ἡμεῖς χριστοῦ σῶμα καὶ σὰρξ μία. Pulcherrimus locus, sed in quo nihil de corona. Anianus ita reddit. *Qua igitur re mundiorem esse non oportet eum, qui hoc sacrificio participaturus est? quot radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc* CARNEM (*non, Coronam*) *perrumpit?* (incomodè Anianus. Rectius, *dividit, distribuit.*) *Os, quod igne impletur spiritali? lingua, quæ cruentatur hoc admirabili sanguine? Veniat in mentem tibi, quo sis honore honoratus, qua mensa fruaris! Ea nempe re nos alimur, quam angeli videntes tremunt, nec absque pavore propter fulgorem, qui inde resilit, aspicere possunt, & nos in unam cum illo massam reducimur, Christi corpus unum & caro una facti sumus.* Sic

Anastasius de Corona. Anianus Chrysostomi verba reddit. At verò Anastasius Bibliothecarius, quem Bellarminus in seculum nonum collocat & duobus seculis Bernoldo antiquiorem statuit, etiam CORONÆ facit mentionem. Sic enim in vita Zephyrini Papæ p. m. 7. Hic, inquit, *constituit, ut in præsentia omnium clericorum & laicorum & fidelium sive Levita, sive Sacerdos ordinaretur, & fecit constitutum de Ecclesia, ut patenas vitreas ante Sacerdotes in Ecclesiam ministri portarent, donec Episcopus missas celebraret, ante se sacerdotibus astantibus, & sic missæ celebrarentur, excepto quod jus Episcopi interesset, ut tantum clerus sustineret omnibus præsentibus ex ea consecratione de manu Episcopi jam* CORONAM *consecratam &c.* Simplicius Verinus *in ep. ad Iulium Pac. pag. 284.*

pag.284. ſub nomine Damaſi vitas Pontificum citat. Sed in Pontificali, uti editio Conciliorum Crabbæa & Veneta & Biniana exhibet, iſta verba non habentur. Adhæc, *Leges ibi*, inquit, *hodie Coronam ex vitioſa antiqua ſcriptura*, colloram pro Collura. Κολλύρα μεγάλη *Ariſtophani.* At cur mutemus lectionem cauſa nulla ſubeſt. Nec Codex Velſeri, ex quo Anaſtaſius editus eſt, hic ſuſpicari jubet. Et ſcholiaſtes Ariſtophanis Κολλύραν, τὸ ἔλαττον τοῦ ἄρτου. Heſychius κολλύρας vocat ἀρτίδια, μικρὰ, καθαρά.

Dixi denique, *Bernoldum illas coronas non improbare, ſed juſto mi-* 41.
nutius ſuo tempore introductam illarum formam, qua nummum vix ſuperarunt. Hic æſtuantem ſpiritum cogere Zvvingerus amplius nequit, ne in calumniam erumpat. *Quis non miretur*, inquit, *heic Vertumnum, uno rictu flantem & ſorbentem, ſibi intra paucas lineas contradicentem? Dixerat*, Bernoldum non dicere, hoſtias, de quibus controvertitur, temporibus Pontificis alicujus ſui coætanei introductas. *Nunc recalcitrando contra ſemetipſum ſcribit*: Bernoldum coronas improbaſſe, quarum forma ſuo tempore juſto minutius ſit introducta, qua numum vix ſuperaverunt. 2. *Bernoldus* Coronas *non improbavit, quas nec nos improbamus. Improbavit autem coronarum tempore Gregorij uſitatarum* μεταμόρφωσιν, *ſeculis poſterioribus in ſcenam productam, quam cenſor antiquitatis prætextu conatur palliare ac defendere. Vocat enim oblatarum minutias, ad Chriſtum & Eccleſiam nihil pertinentes, quia ſint absque menſura & ratione.* Non bene rictum ſuum Zvvingerus iſto proverbio expreſſit, quo me *uno rictu flare & ſorbere* dixit, cum mihi contradico. In tentantem vix poſſibilia, non vero in ſibi contradicentem jacitur iſtud dicterium Tranionis apud Plautum in Moſtellaria. Sed nec ego mihi contradico. Dixi, *Bernoldum* noſtras placentulas non notare, interprete Caſſandro, ſed illas, *quæ nummulariæ* ſunt, quas *oblatarum minutias* vocat, quibus *imaginariam & umbratilem levitatem* tribuit, quasque *pro ſua tenuitate panis vocabulo indignas* judicat, &c. Tales non eſſe placentulas noſtras. Ergo, quod in placentulas rotundas, quæ ob id *Coronæ* dicebantur, panis eucharisticus redactus fuit, non diſplicuit Bernoldo, ut vult Caſſander, ſed quod placentulæ iſtæ nimis eſſent exiles. Manet & illud, Bernoldum non dicere, hoſtias, de quibus contro-

vertitur

vertitur, temporibus Pontificis alicujus sui coætanei introductas. Dixit autem Zvvingerus, Bernoldi autoritate fretus, Pontificis alicujus sui coætanei & tempore & autoritate introductas esse. Referente Cassandro, aut potius interpretante, indignissimè tulisse videtur, ætate sua in quibusdam Ecclesijs oblatas panis ad imaginem numorum fuisse redactas. Quæ hæc contradictio? quæ recalcitratio? Non *metamorphosin coronarum*, sed imminutionem & extenuationem Bernoldum reprobasse, Cassander dicit, qui Expositorem ordinis Rom. in manibus habuit. Et quia non est quæstio, *an placentæ orbiculares sint Apostolorum ætate introductæ*, quas ipsi seculis posterioribus usurpari cœpisse concedimus, rectissimè monui, illi asseverationi, quam Zvvingeri schola opposuit Ecclesiæ, quod sc: *ætate Bernoldi autoribus Pontificibus R. inoleverint*, malè misceri Honorium Augustodunensem & Guil. Durandum. Neque Zvvingerus aliquid contra, quod ad rem pertineat, dicit.

42. *Epiphanij locus de panis euch. forma expenditur.*

Sed enimverò expectantem paratumque se sistit amplissimus homo, ut Epiphanio etiam teste in negotio nostro uteremur. *Expectabamus*, inquit, *interim à Censore aliam rationem pro antiquitate orbiculorum, quam quidam ejus similes ab Epiphanij, qui vixit circa Ann. Christi 400. ætate arcessunt, ut demonstrent, eos non esse à Papa introductos, quia Epiphanius in Ancorato panem Eucharisticum vocat στρογγυλοειδῆ, forma rotunda. Ast non nummulari sed terete. Quando verò hoc patrocinium orbicularijs patronis à Massonio* Anat. part. 4. c. 26. & *à Pareo* lib. 1. de symb. sacr. cap. 8. *jam pridem ereptum est, actum agere supersedeo.* Quis potuisset expectantem Zvvingerum ominari, qui ne spectans quidem existimavit sui officij esse, officio Theologi satisfacere. Certè non sine publico probro & orbis eruditi scandalo toties professus est, se nolle ad considerationes meas respondere, & tamen, *expectabamus*, inquit, *à Censore aliam rationem &c.* Quomodo expectabat aliam rationé, qui omnes aspernatus est. Fortassis existimavit, se in Epiphanij ratione magis evidentem esse posse. Certè si non rectius Epiphanium hoc loco tractasset, quam in materia de azymo, & quam ubique contra se adducta tractat, ubi pauca, eaque ineptè proponit, ad calumnias (quas non verbo dignor) satis

diffusus

diffusus, quod inprimis pag. 1127. docet, frustra fuisset. Nondum enim negotium omninò confectum est, etiam postquam Massonius, Paræus & Simplicius Verinus in ep. ad Jul. Pacium Epiphanium explicatum iverunt. Verba ejus in Anchorato ita se habent. Ὁρῶμεν ὅτι ἔλαβεν ὁ σωτὴρ εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ ὡς ἔχει ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ; ὅτι ἀνέστη ἐν τῷ δείπνῳ καὶ ἔλαβε τάδε, καὶ εὐχαριστήσας εἶπε, τοῦτό ἐστι μού τόδε. Καὶ ὁρῶμεν ὅτι οὐκ ἴσον ἐστὶν, οὐδὲ ὅμοιον, οὐ τῇ ἐνσάρκῳ εἰκόνι, οὐ τῇ ἀοράτῳ θεότητι, οὐ τοῖς χαρακτῆρσι τῶν μελῶν. τὸ μὲν γὰρ στρογγυλοειδές ἐστιν, καὶ ἀναίσθητον ὡς πρὸς τὴν δύναμιν. Καὶ ἠθέλησε χάριτι εἰπεῖν, τοῦτο μέν ἐστι τόδε, καὶ οὐδεὶς ἀπιστεῖ τῷ λόγῳ; ὁ γὰρ μὴ πιστεύων εἶναι αὐτὸν ἀληθινὸν ὡς εἶπεν ἐκπίπτει τῆς χάριτος καὶ τῆς σωτηρίας. ὅ τι δὲ ἀκούσωμεν, καὶ πιστεύσωμεν, πιστεύομεν ὅτι ἐστὶν αὐτοῦ. τὸν δὲ κύριον ἡμῶν οἴδαμεν ὅλον αἴσθησιν, ὅλον αἰσθητικὸν, ὅλον θεὸν, ὅλον κινοῦντα, ὅλον ἐνεργοῦντα, ὅλον φῶς, ὅλον ἀκατάληπτον; ἀλλὰ μετὰ χάριτος ἡμῖν τοῦτο δεδωρημένον. *Cornarius* reddit. *Videmus enim quod Salvator accepit in manus suas, vel ut Evangelium habet, quod surrexit in cœna, quod accepit hæc, & ubi gratias egisset, dixit, hoc meum est hoc & hoc. Et videmus, quod non æquale est, neque simile, non imagini in carne, non invisibili Deitati, non lineamentis membrorum. Hoc enim est rotundæ formæ & insensibile, quantum ad potentiam. Et voluit per gratiam dicere, hoc meum est hoc & hoc. Et nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit, esse ipsum verum, sicut dixit, is excidit à gratia & salute. Quod autem audivimus, id credimus, quod est ipsius. Dominum vero nostrum novimus totum sensum, totum sensitivum, totum Deum, moventem, totum operantem, totum lucem, totum incomprehensibilem, sed qui cum gratia hoc nobis largitus est.* Verinus l. c. usq; ad verba τὸν δὲ κύριον &c. reddit etiam, sed paulo aliter. *Videmus, quod Servator sumsit in manus suas, sicut habetur in Evangelio. Quod surrexit in convivio, & accepit illa, & postquàm gratias egisset, dixit, hoc est meum istud. Et videmus, quòd nec æquale, nec simile est figuræ corporeæ, neque invisibili Deitati, neque membrorum lineamentis. Hoc enim rotundæ est formæ, & quantum ad virtutem non est sensile. Et tamen voluit per gratiam dicere, hoc meum istud est, & nemo non credidit sermoni ipsius. Nam qui non credit, esse ipsum verum sicut dixit, excidit gratia & salute.* Scultetus *in Medulla pag. 708.* totum recitat, sed retinet translationem Cornarij. Addit autem. *Verborum cœnæ Dominicæ expositio Epiphaniana satis obscura est.* Primo versio expen-

denda. Cornarius, καὶ ἔλαβε τάδε, malè, *& accepit hæc.* Verinus malè, *accepit illa.* Non τάδε ſed τόδε legitur. *hoc vel iſtud.* Idem, τοῦτο ἐστι μου τόδε malè, *hoc meum eſt hoc & hoc.* τόδε non eſt *hoc & hoc* Rectius Verinus: *hoc eſt meum iſtud.* Noluit Epiphanius exprimere σῶμα venerationis cauſa. Baſilius de ſpiritu ſanct. c. 27. doctrinæ Chriſtianæ duas partes facit: Τὰ κηρύγματα καὶ δόγματα: dogmata appellans, quæ alij vocant ἀπόρρητα, *arcana non evulganda.* Τὰ δόγματα, inquit, σιωπᾶται, τὰ κηρύγματα δημοσιεύεται. *Dogmata tacentur, præconia publicantur.* Greg. Nazianz. *orat. 42.* ait μηδὲ ἔκφορα τοῖς ἔξω τὰ πολλὰ τῶν ἡμετέρων μυστηρίων εἶναι. *pleraque noſtrorum myſteriorum ne enuntiari quidem iis poſſe, qui ſunt extra fidelium communionem.*

Caſaub. ex. 16. adv. Baron. ſ. 43.

Hinc ſæpe in Chryſoſtomo, Auguſtino & alijs in ſermonibus ad cœtum Eccleſiaſticum, cui Catechumeni & infideles intereſſe poterant, illud: ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, *norunt initiati, quod dicitur*, cum de ſ. Euchariſtia obſcurius loquebantur. Chryſoſtomus ad *cap. 49. Geneſ.* verba. *Lavabit in vino ſtolam ſuam:* inquit, ὅρα, πῶς ἅπαν ἡμῖν ἐν ταύτῃ τὸ μυστήριον ᾐνίξατο; ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. *Vide quomodo nobis in iſta univerſum myſterium inſinuavit. Sciunt initiati, quod dicitur.* Ita loquitur etiam *homil. in Geneſ. 27.* *Et in Pſal. 140.* de lingua ait: ἐννόησον, ὅτι τοῦτό ἐστι τὸ μέλος δι᾽ οὗ τὴν φρικτὴν τὴν θυσίαν ὑποδεχόμεθα. ἴσασιν οἱ πιστοὶ τὸ λεγόμενον. *Cogita hoc illud eſſe membrum, quo tremendum ſacrificium excipimus. ſciunt fideles, quid dicam.* Item *hom. 72. in Matth.* inquit, αὐτὸ τὸ μυστήριον πόσου ἐλέους, πόσης φιλανθρωπίας; ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. Idem *hom. 15. in Ioh.* ἔδωκε καὶ ἑτέραν ταύτης πολλῷ μείζονα τράπεζαν, ἀλλὰ καὶ ταύτην μίαν. ἴσασιν οἱ συμμύσται τὸ λεγόμενον. *Dedit Deus & alteram menſam multo majorem hac, ſed hanc* (terram) *quoque unam. Sciunt ſymmyſtæ quid dicatur.* Idem *hom. 46. in Ioh.* ἓν σῶμα ἐσμεν, καὶ μέλη ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ. οἱ δὲ μεμυημένοι παρακολουθείτωσαν τοῖς λεγομένοις. *Vnum corpus ſumus & membra de carne ejus & de oſſibus ejus. Qui ſunt initiati, advertant animum ad ea, quæ dicuntur.* Idem *hom. 85.* ἴσασιν οἱ μυσταγωγούμενοι δι᾽ ὕδατος μὲν ἀναγεννώμενοι, δι᾽ αἵματος δὲ καὶ σαρκὸς τρεφόμενοι. *Norunt in myſteria deducti, per aquam quidem regeniti, per ſanguinem autem & carnem nutriti.* Idem *in 1. Cor. hom. 40. ad cap. 15, 29.* de ijs, qui baptizantur pro mortuis: βούλομαι μὲν σαφῶς αὐτὸ εἰπεῖν, οὐ τολμῶ δὲ διὰ τοὺς ἀμυήτους. οὗτοι γὰρ δυσκολωτέραν ποιοῦσιν ἡμῖν τὴν ἐξή-

γησιν

γησιν, ἀναγκάζοντες, εἰ μὴ λέγειν σαφῶς, εἰ εἰς αὐτοὺς ἐκφέρειν τὰ ἀπόρρητα: *Cupio quidem perspicuè rem dicere, sed propter non initiatos non audeo. Hi interpretationem reddunt nobis difficilliorem, dum nos cogunt aut perspicuè nō dicere, aut arcana, quæ taceri debent, ad ipsos efferre.* Apud Theodoretum *dialogo 2.* orthodoxus ait: οὐ χρὴ σαφῶς εἰπεῖν. (sermo erat de Eucharistia.) εἰκὸς γὰρ τινὰς ἀμυήτους παρεῖναι. *non fas est clarè loqui, fieri enim posset, non initiatos adesse.* Eranista respondet. αἰνιγματωδῶς ἡ ἀπόκρισις ἔσω. *Aenigmatica sit responsio.* Dialogo 1. cum mentio de his mysterijs incidisset, ait: ἀξιῶ σε μυστικώτερον ἀποκρίνασθαι. τινὲς γάρ ἴσως ἀμύητοι παρεστήκασι. *Rogo te abstrusius respondeas. forte enim aliqui non initiati adstiterunt.* Chrysostomus rursus *ad Philogonium* de divina mensa. κεῖται ἐν ταύτῃ τὸ σῶμα τὸ δεσποτικὸν, πνεύματι πανταχόθεν ἁγίῳ περιστελλόμενον. ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὸ λεγόμενον. *Iacet in hoc corpus dominicum Spiritu S. undique circumdatum. norunt initiati, quid dicatur.* Idem *in Eustachium Antiochen.* ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τοῦ ποτηρίου τούτου τὴν ἰσχὺν. εἴσεσθε καὶ ὑμεῖς μικρὸν ὕστερον. *Norunt initiati poculi illius vim. Scietis autem & vos paulo post.* Idem *orat. in omnes Martyres* dicit, eos, cum in terris essent, choris cœlestibus junctos fuisse, quoties cum Seraphim trisagium cecinerunt, καθάπερ ὑμεῖς ἴστε οἱ μυηθέντες, *sicut vos nostis, qui initiati estis.* Idem *in hom. qua probat, utile nobis esse, quod prophetiæ sint obscuræ:* μετ᾽ ἐκτενείας ἀναφέρετε τὴν εὐχὴν. εἰδότες τῆς ὑμετέρας συνόδου τὴν δύναμιν. ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὰ λεγόμενα. *Cum contentione attollite precationem, scientes congregationis vestræ vim. Norunt initiati, quæ dicuntur.* Cyrillus Hierosolymitanus *in præloquio Cateches.* adjurat suos, ne catecheses suas vel Catechumenis, vel alijs non christianis velint tradere. & Catech. 6. περὶ μυστηρίων ἐπὶ κατηχουμένων λευκῶς οὐ λαλοῦμεν. ἀλλὰ πολλάκις λέγομεν ἐπικεκαλυμμένως, ἵνα εἰδότες πιστοὶ νοήσωσι: *de mysteriis apud Catechumenos clarè non loquimur, sed sæpè multa dicimus involutè, ut qui norunt fideles intelligant.* Athanasius apolog. 2. de ijs, qui ipsum calicis mystici per irreverentiam fracti accusarunt, conqueritur, quod οὐκ αἰσχύνονται ταῦτα ἐπὶ κατηχουμένων, καὶ τόγε χεῖρον, ἐπὶ ἑλλήνων τραγῳδεῖν τὰ μυστήρια, *non erubuerunt talia apud Catechumenos, &, quod pejus est, Græcos mysteria traducere tanquam in tragœdia.* Palladius *in vita Chrysostomi* deplorat, quod contra hunc tumultu ab hostibus excitato, in Ecclesiam irruperint

& myſteria ſpectarint quidam non initiati. Iſidorus Peluſiota *4. Ep. 162.* de S. Cœna loquens, addit, ἴσασιν οἱ μύσται τὸ λεγόμενον. Ambroſius *de initiandis Tom. 4. ſacramentorum*, inquit, *rationem ante baptiſmum ſi putaſſemus inſinuandam nondum initiatis, prodidiſſe potius, quam edidiſſe æſtimaremur.* Et iterum in fine: *Signatum apud Te manere debet myſterium ne divulgetur, quibus non convenit, ne garrula loquacitate diſpergatur in perfidos.* Paſſim etiam apud Auguſtinum occurrit; *Sacramentum, quod norunt fideles.* de C. Dei X. 16. Pſal. 39. & 109. in Joh. tract. 26. Idem tract. 11. in Joh. *interrogemus,* inquit, *carnem filij hominis? neſcit, quid dicimus.* Rurſus, *Neſciunt,* inquit, *Catechumeni, quid accipiant Chriſtiani.* Atque ea planè de cauſa Epiphanius ſubticenter loquitur; τοῦτο ἐστι μοῦ τόδε. Et rurſus: τοῦτο δεδωρημένον. Porrò malè redditur τῇ ἐνσάρκῳ εἰκόνι à Cornario *imagini in carne*, Verino, *figuræ corporeæ.* Planius redditur, imagini ſeu figuræ incarnatæ ſeu ex incarnatione in Chriſto ortæ. Opponitur enim ἔνσαρκος εἰκὼν in perſona Chriſti τῇ ἀοράτῳ θεότητι, & dicitur ab Epiphanio, quod neque illa in eo, quod verbis Chriſti, τοῦτο ἐστι μοῦ τόδε, porrigitur, videatur, neque hæc, quæ ex ſe inviſibilis eſt. Inſuper non reddit Cornarius, καὶ πιστεύσωμεν. Et omittit ex ἀβλεψίᾳ ad græcum textum Scultetus. Senſus eſt; Si autem audiverimus & crediderimus, ſcil: quæ Chriſtus de myſterijs divinis revelat, credimus etiam, quod eſt ipſius, h. e. id, quod Chriſtus porrigit, eſſe τόδε. quod ſubticet Epiphanius. Chriſtus autem in verbis inſtitutionis expreſſit, ſc: *corpus ipſius.* Præterea ὅλον αἰσθητικὸν malè Cornarius, quem malè Scultetus ſequitur, reddit ſenſitivum. Contrarium vult Epiphanius, ſc: Deum eſſe totum ſenſum, h. e. omniſcium & quicquid per ſenſus cognoſci poteſt cognoſcentem, & totum ſentientem h. e. ſupra omnes ſenſus poſitum & omnia penetrantem. Sed & cum in Græco eſt ὅλον κινοῦντα, Cornarius omittit in translatione ὅλον & tantum reddit *moventem.* Deniq; non ſatis exprimit verſio Cornarij, quod ſcripſit Epiphanius, ἀλλὰ μετὰ χάριτος ἡμῖν τοῦτο δεδωρημένον. *Sed qui cum gratia hoc nobis largitus eſt.* Debuiſſet expreſſius reddi, ut intelligeretur, reſpicere Epiphanium ad illud τόδε, quod in S. Cœna exhiberi ſignificavit, cum tamen ſenſus eò nullatenus deducant.

Rectius;

Rectius; *sed per gratiam Hoc nobis donatum est.* Secundò *antecedentia* ponderanda, cum quibus hac verba connectuntur. Dixit contra Arianos, haud facile ad allegorias esse deflectendum, sed potius scripturam cum scriptura conciliandam. E. g. cum dicitur, Abrahamum, Mosen, Esaiam *vidisse Dominum*, & cum Salvator dicit, *Deum nemo vidit unquam*, dicendum esse, utrumq; esse verum, illos vidisse in φανερώσει verissimè præsentem Dominum, & Deum neminem vidisse unquam sc. in essentiæ suæ perfectione. *Et hoc sæpe sic impletur*, inquit Epiphanius. Illustrat hoc exemplo; *Videmus*, inquit, *mare ex parte aliqua montis aut planitiei & verè dicimus, si nos vidisse asserimus. Sed & si quis dixerit, quod non vidit, non mentitur, sed vera dicit, non enim vidit, ubi profunditas, ubi longitudo: non vidit molem, non vidit amplitudinem. Et per foramen quoddam videmus hominem, verum extensionem non scimus; & si quis dixerit, vidi, vidit, & alius dixerit, non vidi, non vidit. Videmus enim verè, velut concipimus, non videmus autem in quantum est. Sic Prophetæ velut per foramen angusti sui corporis digni facti sunt videre, & veritatem viderunt, non ut intelligentiæ ac speculationis infinitas habet. Atque sic completæ sunt concordantes inter se divinæ scripturæ, tum quod Prophetæ dicunt, se vidisse Deum, tum quod Salvator dicit, Deum nemo vidit unquam. Non viderunt autem in quantum est.* Aliud exemplum de paradiso addit, cujus Creatio Gen. 2. describitur. Hanc descriptionem ait Epiphanius non esse in allegoriam cum Origene transformandam, quia scriptura alibi paradisum in cœlo ostendit: cum & ille in terra esse possit, & hic in cœlo. Sic & exemplum sumit de imagine Dei in homine. Eam in primo homine fuisse, negandum non esse, *licet Deus noverit quomodo. Quomodo subtilitas hæc intelligatur*, inquit, *Deo soli cognitum est. Nos autem citra curiositatem & absque malignitate credimus Deo in omnibus vera dicenti.* Concludit Epiphanius, cum inquit: *Non enim secundum æqualitatem Dei habent homines id, quod est secundum imaginem. Deus enim est incomprehensibilis & mente apprehendi non potest, cum spiritus sit & super omnem spiritum, & lux super omnem lucem. Quæ verò ipse decrevit*, (ut est Creatio hominis ad imaginem suam) *his non caremus. Verus enim est, qui cum gratia id, quod est secundum imaginem, homini largitus est.* His positis etiam introducit exemplum institutionis s. cœnæ &

 dicit,

dicit, *quot ſunt, quæ ſimilia ſunt? Videmus enim quod accepit &c.* Similis eſt igitur revelatio de corpore dominico in ſ. cœna diſtribuendo antecedentibus. In quo quæſo? Id ſcopus hactenus adductorum ſatis patefacit, ſc. ex extrinſeco adſpectu rerum propoſitarum non eſſe contra ea, quæ ſubeſſe dicuntur, concludendum, & dicendum, quod non ſint, quia talia eſſe non videntur. Scilicet, ſicut negari non debet, quod Patres V. T. viderint Deum, quia id, quod viderunt, non videbatur eſſe Deus, ſed ſymbolum quoddam & indicium præſentiſſimi Numinis: ſicut veriſſimè paradiſus, qualis à Deo Gen. 2. conditus eſſe dicitur, credendus eſt extitiſſe, licet in ſ. l. ad cœleſtem paradiſum fiat indicatio, cum & illa paradiſi perfectio per Dei potentiam præſtari potuerit, ut de ea nullatenus dubitandum ſit: ſicut imago Dei *per gratiam* ejusdem in homine eſſe potuit, etſi, quomodo in eo fuerit, non ſatis à nobis comprehendi potuerit; ita etiam negari non debet, id, quod in ſacra cœna porrigitur, non eſſe id, quod eſſe dicitur, etiamſi *neque æquale, neque ſimile ei*, quod eſſe dicitur, deprehendatur. Nunc tertiò videndum, *quæ ſit ratio dubitandi* apud Epiphanium, cur id, quod Chriſtus dicit ſe porrigere in ultima cœna, id eſſe videri nequeat, quod eſſe dicitur. Eſt autem hæc. Quicquid neque æqualitate, neque ſimilitudine, neq; ullis lineamentis eſt τόδε, quod eſſe dicitur, & quod imò figuræ planè alienæ, & viribus tantis nequaquam præditum, ut ea præſtare poſſit, quæ ad τόδε conſtituendum pertinent, id nequaquam propriè τόδε eſſe dicitur, ſed per allegoriam tale eſſe dici debet. Atqui id, quod Chriſtus in ſacra cœna porrexit, neq; æqualitate, neque ſimilitudine, neque ullis lineamentis eſt τόδε, quod eſſe dicitur, ſc. σῶμα χριϛοῦ, imò eſt figuræ planè alienæ, eſt enim ϛρογγυλοειδὲς, & viribus tantis non eſt præditum, ut ea præſtare poſſit, quæ ad τόδε conſtituendum pertinent. Ergò id, quod Chriſtus in ſacra cœna porrexit, nequaquam propriè τόδε eſſe dicitur, ſed per allegoriam eſſe dici debet. Sequitur quartò *ratio decidendi.* Ea eſt I. non eſſe ad id quod videmus duntaxat reſpiciendum; ibi: ὅτι δὲ ἀκούσωμεν ϗ πιϛεύσωμεν &c. II. per gratiā talia dicta eſſe. ibi. ἠθέλησε τῇ χάριτι εἰπεῖν &c. Et rurſus; μετὰ χάριτος τοῦτο ἡμῖν δεδωρημένον.

μένον. scilicet, hoc esse non ex lege cursus naturæ ordinarij æstimandum, sed ex peculiaris gratiæ dispensatione. Esse illam præsentiam, qua id, quod in s. cœna spectatur, esse τόδε dicitur, singularem & hactenus inusitatam præsentiam, nunquam aliàs & extra hoc mysterium dispensatam. Fundamentum hujus rei est; quia Dominus noster Jesus Christus *totus sensus est, totus sentiens, totus Deus, totus movens, totus operans, totus lux, totus incomprehensibilis.* Itaque *gratia etiam nobis largiri potest* τόδε δεδωρημένον. Jam quintò *forma* ejus, quod in hoc mysterio sensibus objicitur, dispicienda est. στρογγυλοειδὴς dicitur. Ne ad nostram formam vox trahi possit, hæc potissimum objiciuntur. 1. *600. annis demum post Epiphanium nostras placentulas ortas. Non ergo Epiphanium eorum formam designasse.* 2. *Epiphanium Græcum fuisse Episcopum. Græcos autem nunquam pane azymo in sacramento fuisse usos.* 3. στρογγυλοειδὲς *non posse dici, quod nostrarum placentularum habet rotunditatem.* Id enim esse στρογγυλοειδὲς, *quod sphæricam, aut oblongam habet rotunditatem.* Has rationes Massonius habet l. c. Verinus ita disputat pag. 282. *Loquitur de pane, quo tunc moris erat Eucharistiæ sacramentum celebrari, & quo institutum à Christo fuerat. Non similem, non parem dicit fuisse corpori ipsius & figuræ, quam in carne sustinebat, non invisibili ejus divinitati, nec membrorum lineamentis, & tamen Christum de eo dixisse, cum traderet illum discipulis, hoc est corpus meum. Id est, hic panis est corpus meum, ut patet Epiphanium intellexisse. Nulla igitur tunc imago Servatoris panibus inprimebatur, quos ad Eucharistiam sacrandam usurpabant. Non enim dixisset Epiphanius,* οὐ τοῖς χαρακτῆρσι τῶν μελῶν. *Quippe in his farinaceis nebulis omnia Christi Servatoris membra lineis suis expressa videntur. Ridicula igitur est sententia Aurelianensis, nec minus falsa, quod veteres Christiani usi sint in S. liturgia exiguo pane ad id facto, & panaceis istis folijs, quorum hodie usus est, simillimo. Omnes panes veterum fermè rotundæ fuere formæ, ut nullo negotio posset probari. Præterea ex ipso Epiphanio probari potest, quo genere panis uterentur antiqui ad hujus Sacramenti confectionem. In hæresi Collyridianorum narrat idem, mulieres istorum hæreticorum Virgini Mariæ sacrificium obtulisse idem & eodem modo, quo orthodoxi Christi corporis sacramenta celebrabant. In sedili quadrato vel scamno linteum sive mappam extendebant certo anni die, super eam panem proponebant, cum panem Virgini Mariæ offerebant. Deinde*

omnes ex eo participabant. Panis ille, quem offerebant & de quo participabant, κολλυρὶς *vocabatur, diminutione à* κολλύρη. *Hæc genus eſt panis rotundi, ut ex Tertulliano conſtat, lib. de cultu feminar. ubi colluras appellat eum crinium muliebrium ornatum, qui ad occipitium adſtruebatur rotundo orbe, ad inſtar umbilicorum, vel umbonū in ſcutis, quos fuiſſe rotundos certum eſt.* Vos verò, *inquit*, adjicitis ad pondus colluras quasdam, vel ſcuti umbilicos cervicibus ad ſtruendo. *In numis Fauſtinæ hic ornatus viſitur, & aliarum aliquot Imperatricum, planè ſimilis umbilico ſcuti & pani rotundo, qui colluræ nomine vocatur autori Afro.* Reponimus ad 1. id planè incertum eſſe, ut ex ſuperioribus conſtat. ad 2. & illud aliter ſe habere, ut ſupra ex Epiphanio evictum eſt. ad 3. στρογγύλον non ſemper *ſphæricum* & in primis *teres* notare, etiam interdum notare *corpus planum, rotundum tamen in circumferentia.* Hippocrates στρογγύλον μήλην dixit, pro σπαθομήλῃ h. e. *ſpecillo lato, inſtrumento chirurgico, quo aliquid illinitur atque inducitur*, de quo Plinius *lib. 7. cap. 53. & lib. 29. c. 6.* Vocat eam Hippocrates & μήλην πλατεῖαν. σπαθομήλην Galenus vocat, à ſpathæ ſive tudiculæ ſimilitudine, qua aliquid verſamus. Poteſt ergo aliquid eſſe & πλατεῖον & στρογγυλοειδὲς. Mare æneum, quod Salomon fecit, dicunt LXX. 1. Reg. 7, 23. στρογγύλον κύκλῳ factum fuiſſe. ἐποίησε τὴν θάλασσαν στρογγύλην κυκλόθεν. 2. Par. 4, 2. Item 1. Reg. 7, 30. τὸ στόμα αὐτοῦ στρογγυλοῦν, *os ejus rotunditatem habens.* Et διάπηγα αὐτῶν τετράγωνα, οὐ στρογγύλα, *fixuræ eorum, quadrangulæ, non rotundæ.* Et rurſus v. 34. μέγεθος αὐλῶν στρογγύλον κύκλῳ *magnitudo ejus rotunda in circuitu.* στρογγύλον mare æneum dicitur, ratione ſanè circumferentiæ, κύκλῳ ſeu κυκλόθεν. Ad Verinum noto 1. eum non reprehendere, quod στρογγυλοειδὲς Epiphanij non pro *tereti & globoſo* tantum, ſed etiam pro *plano & rotundo* explicemus. Intelligit enim & de panibus azymis ſeu placentis Judaicis, quas teretes & globoſas fuiſſe nemo prudens dixerit. 2. de imagine Chriſti placentis illis orbicularibus impreſſa, quod addit, nihil ad rem pertinet. Non ubique illa imprimitur. 3. cum Epiphanius dicit, οὐ τοῖς χαρακτῆρσι τῶν μελῶν, non ad picturas illas ſeu impreſſam imaginem Chriſti reſpicit, quaſi diceret, nullam delineationem membrorum Chriſti in pane illo factam, ſed ipſa membra in ſuis lineamentis exhibita nulla fuiſſe innuit. χαρα-

κτῆρες τῶν μελῶν ſunt ipſa membra in ſua proportione & configuratione propoſita. Sicut *ad Hebr. 10, 1.* εἰκὼν τῶν πραγμάτων, ſunt πράγματα ipſa ad vivum exhibita. 4. Omnes fermè veterum panes rotundæ formæ fuiſſe, non diſputamus contra Verinum. Id contendimus, non ſemper in eadem fuiſſe quantitate panes myſterio adhibitos; nec repugnare, iſtos minutiores, quos *panacea folia* appellat Verinus, aliquando fuiſſe uſurpatos. 5. quod Verinus pag. 285. dicit, *in ſacramento orthodoxorum unum panem propoſitum fuiſſe, ex quo omnes participare ſoliti ſunt, ad deſignandam communionem fidelium inter ſe &* ἕνωσιν, & *hoc eſſe, quod ſcripſit Paulus,* ὅτι εἷς ἄρτος ἐξ ἑνὸς ἄρτου οἱ πάντες μετέχομεν, inde eſſe & ἄρτου κλάσιν *in Actis,* & ἄρτον προσφέρειν *in Canone Laodiceno per Eucharistiam celebrare, quaſi quæ ex uno pane perageretur*, alibi diſcuſſum eſt. Ut concedamus, orthodoxos aliquando uno pane propoſito uſos fuiſſe, cum celebrarunt myſterium, non exiſtimamus tamen, id ſigillatim ad myſterium requiſitum fuiſſe. Neq; unius azymi uſu conſtitiſſe primã apud Chriſtum myſterij celebrationẽ arbitramur. Fuiſſet autem, ſi ſemper unus numero panis tantũ apponendus fuiſſet, quoties cõmunicandum fidelibus, ad multitudinem attendendum, ut ex illius conſideratione panis apponeretur ſufficiens, quod calamitoſis Eccleſiæ preſſæ temporibus fieri haud facile potuit. Nec Paulus ad *unum numero* panem reſpicit, ſed *ſanctione & benedictione*; ſic enim de uno pane cum Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, imò omnibus fidelibus communicamus & hodie. Sic Paulus Corinthijs ſcribit è Philippis, ἑνὸς ἄρτου οἱ πάντες μετέχομεν. Et hic potiſſimum ad deſignandam fidelium ἕνωσιν & κοινωνίαν accommodatus eſt. Et κλάσις ἄρτου in Actis quomodo *unius numero* panis? Canon Laodicenus 49. habet, οὐ δεῖ τῇ τεσσαρακοστῇ ἄρτον προσφέρειν εἰ μὴ ἐν σαββάτῳ καὶ κυριακῇ μόνον. Binius per ἄρτον h. l. intelligit *eulogias*, quas *fermentum* appellabant, de quibus ſupra. Balſamon, *præſanctificata*, de quibus & Can. 52. ſextæ ſynodi in Trullo. Quicquid ſit, notet panem euchariſticum, ἄρτον προσφέρειν, qua neceſſitate quæſo eſt, *unum numero panem* in cœtu ſacro exhibere? Sed ubi quæſo Epiphanius *in hæreſi Collyridianorum* dicit, mulieres iſtorum hæreticorum Virgini Mariæ *ſacrificium*

Conf. Anti Cog. diſſ. 2. §. 22. pag. 96. & ſeqq.

obtulisse idem & eodem modo, quo orthodoxi Christi corporis sacramenta celebrabant? Quædam, inquit Epiphanius, *mulieres* κουφικόν τινα κοσμοῦσαι, ἤτοι δίφρον τετράγωνον ἐπ' αὐτὸν ὀθόνην *in die quadam illustri anni per aliquot dies* ἄρτον προτιθέασιν *& offerunt in nomen Mariæ, omnes autem pane participant.* Quomodò sequitur, ἄρτον προτιθέασιν, ergo unus numero panis est? Sed Epiphanius *in hæresi Antidicomarianitarum*, inquit; *quædam mulieres in Arabia à partibus Thraces hanc vanitatem invexerunt, in nomen semper virginis collyridem quandam sacrificant, & simul congregantur, & in nomen S. Virginis ultra modum quid tentant aggredi, &c.* Hoc ipso verò indicat, mulieres istorum hæreticorum Virgini Mariæ NON obtulisse *idem & eodem modo*, quo orthodoxi Christi corporis Sacramenta celebrabant. Dicit enim κολλυρίδα τινα eas sacrificasse. Quod enim inusitato in hac materia κολλυρίδος vocabulo utitur Epiphanius, inusitatum quiddam mulieres adornasse haud obscurè indicat. Panes à collyris distinguit vetus interpres Græcus ad *Ex. 29, 2.* quem Fr. Junius imitatus est. LXX. κολλύριν ἄρτου habent *Lev. 8, 25.* κολλυρίδα ἄρτου *2. Sam. 6, 19. & c. 13, 6.* Amnon, ποιησάτω κατ' ὀφθαλμούς με δύο κολλυρίδας. לביבות *mattyas, lagana, placentas suaves & gratas, quasi cordialia & cordis refectoria dicas.* Neq; tantũ στρογγυλοειδὴς dicitur, id, quod in cœna sacra panis dicitur, sed etiam ἀναίσθητον ὡς πρὸς τὴν δύναμιν. Hoc ipso tenuitas sive exilitas panis indicatur, qui nequaquã sensibus offert illam incomparabilẽ virtutem & potentiam, quam divina gratia in eo dispensat. Incomode Massonius vertendum monet: *nec habet potentiam sentiendi.* Non hoc est, ἀναίσθητον, ὡς πρὸς τὴν δύναμιν. Hactenus satis ad lobum Epiphanij ut ostendatur, eum nostris Ecclesijs usurpatam panis formam non respuere ex illis rationibus, quas à Massonio Paræoque didicit Zvvingerus. Quocirca si victoriam & exinde laureolam sibi est pollicitus, frustra expectavit.

43. Sed mitescit demum Zvvingerus, &, *Quod hactenus de orbiculis Deipnicis scripsi*, non, inquit, *ideò factum, ut vel damnare velim Eccles... Protestantium, quæ hactenus eos absq; superstitione, vel aliarum Ecclesiarum insectatione retinuerunt, vel maculam inurere Ecclesiæ nostræ, quæ & post reformationem superioris seculi eos ultra seculum non quidem approbavit, sed toleravit, & nisi τῇ ἀρτοκλασίᾳ sacramentali (non à culinario coquo aut pistore, sed à ministro verbi præstandæ) obstitissent, forte ulterius tolerasset.*

Sed ut ostenderem 1. *non licuisse unquam, nec etiamnum licere, in sacramento mutationes ab instituto & exemplo Christi & Ecclesiæ Apostolicæ consuetudine alienas suscipere.* 2. *neque quando mutationes &* ἀταξίαι *tales, longa licet consuetudine inveteratæ, pro re nata & occasione commodum suppeditata, iterum reformatæ fuerunt, quod per Dei gratiam in nostra Basileensi factum ante decennium, id temere culpandum & paratragœdiandum esse, alijs præsertim, qui, cum propria vineta cædere deberent, per* τὴν ἀλλοτριοεπισκοπὴν *audacter nec vocati, nec rogati jus sibi sumunt censorium in alias Ecclesias.* Ast Massonius orbiculos deipnicos negat esse panem, 1 quia *nuspiam panis cibarius vocantur.* 2. quia *ex farina subtili parantur.* 3. quia *carent crusta.* 4. quia *farina ad illos parandos non subigitur.* 5. quia *non excoquuntur in fornace.* 6. quia *farina illis accommodanda fluida fit & funditur super ferrum candens.* 7. quia *ferrum candens lardo & pinguedine inungitur.* 8. quia *formam habent chartacei frustuli, aut denarij.* 9. quia *non adhibentur communibus conviviis.* 10. quia *non adhibentur jentaculis aut cibis alijs.* 11. quia *adhibentur pillulis deglutiendis, quas ambiunt.* 12. quia *literis obsignandis serviunt.* 13. quia *viscosa materia sunt.* 14. quia *chartis conglutinandis serviunt.* 15. quia *substernuntur panibus ex sacharo coctis.* 16. quia *carent odore grato.* 17. *& sapore.* 18. quia *dentibus non comminuuntur.* 19. quia *quasi liquescunt in lingua.* 20. quia *motu linguæ neo masticantur nec deglutiuntur.* 21. quia *faucibus vescentium adhærent.* 22. quia *non satiant vescentes.* 23. *nutrimentum non suppeditant.* 24. *nec cor confortant.* 25. *nec torreri possunt, ut panis, ad sanitatem hominum.* 26. quia *vino ad depellenda deliquia intingi nequeunt.* 27. quia *non* ἄρτος ἐπιούσιος. 28. quia *ad medicinam inutiles sunt.* Si non sunt panis, ne tolerandi quidem fuerunt ab Ecclesijs, quæ erroribus Papatus nuncium miserunt. Addit Massonius, *eos appellari hostias & oblatas*, vocibus è Gentilismo & Papismo deductis, & ea de causa suspectas esse; nec distinguit inter originem & usum vocum, quo sæpe comprobantur, quæ improbatæ sunt originis: nec meminit, oblationes eucharisticas etiam longè ante introductum commentum sacrificij missatici in Ecclesia usitatas fuisse, quibus panis pariter continebatur, ut supra etiam annotatum est §. 21. quod copiosè docuit Simplicius Verinus *in epist. pag. 289.* Objicit Massonius: *eos carere definitione panis.* Si

carent definitione panis, non ſunt elementum in Euchariſtiæ tolerandum & repugnant inſtitutioni Chriſti. Adjicit, *eos ad denarios, quibus à Iuda emtus eſt Dominus, præfigurandos, & transſubſtantiationis commentum palliandum ſervire.* Illud tanti non eſt. Si autem per ſe & ex introductione prima huc faciunt, non ſunt tolerandi. Pergit, *eos Pontificios in errore confirmare, cum apud nos retinentur. Scandalum etiam dare neophytis à Papatu nuper ad nos transgreſſis, qui ab uno errore in alium ſe prolapſos eſſe perſuadentur.* Si hoc per ſe faciunt, non ſunt tolerandi. Scandala non ſunt toleranda, quorum ſublatio in poteſtate eſt ordinum publicorum. At Zvvingerus ſiviſſet, ut diutius tolerarentur, ſi non obſtitiſſent τῇ ἀρτοκλασίᾳ. Unum hoc deturbavit orbicularios panes ex Eccleſia Baſileenſi. Sed de eo mox aliquid dicemus.

Requirit III. diatypoſis ſynodica panem *ſine inſeparabili à*
44. *pane fractione.* μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχομεν, inquit illa. Non vult itaque diatypoſis, ut tam pani propoſito & ceremoniæ fractionis attendamus, quam præſentibus precioſis corpori & ſanguini. Id quod nequaquam ſubſiſteret, ſi fractio eſſet inſeparabilis, integralis, & penè eſſentialis actus in hoc myſterio. Panis enim προκείμενος ipſa fractione quaſi animaretur ad communionis ſacræ opus, dum præfigurat paſſionem & mortem Chriſti, ſeu Chriſtum, ut crucifixum & mortuum, unde potiſſimum ad fractionem tanquam præcipuum, quo Chriſti crucifixi & mortui communionem conſequimur, in ſ. euchariſtia reſpiciendum. Fractionem autem non eſſe neceſſariam, ſed accidentalem & contingentem actionem in hoc ſacramento, probavi alibi, I. *quia ſua natura non eſt niſi παρασκευαστικὴ ad comedendum panem actio.* Regerit Zvvingerus pag 1195. *At τῇ συνθήκῃ divina habet alium uſum, eumque magis principalem, cujus ipſa diſtributio eſt medium deſtinatum, quem Paulus indicat*, 1. Cor. 11. Reſp. 1. quomodo diſtributio eſt *medium deſtinatum fractionis?* Imo fractio eſt antecedens & præparans grandiores panes ad diſtributionem. Locum 1. Cor. 11. indicare fractionis ſublimiorem uſum, falſum eſt, ut mox patebit. II. *quia fractio occaſione placentarum azymarum & tenuiorum tantum adhibita.* Ubi panes aliter comparati, ut ſcindi opus fuerit, ibi fractione

Panem requirit ſine obligatione ad fractionem.

fractione opus non erat. Regerit Zvvingerus; *Falso postulato peti principium. Συνδρομὴν illam non semper habuisse locum in s. synaxi, præsertim extra dies azymorum & tempus paschale, Act. 2, 42. 46. & c. 20, 7. 5. ad ea scribere Gerhardum l. 5. L. C. pag. 12. verisimile esse, Apostolos vulgari fermentato pane in administratione s. cœnæ usos contra D. Menzerum negantem, ibi agi de Cœna.* Respond. quomodo sequitur, fractio interdum in Judæa etiam aliàs contigit, cum celebrabatur s. cœnæ mysterium. Ergo non fuit in prima cœna fractio usurpata ex consuetudine syndromica Judæorum? Quasi verò non etiam aliàs, cum contigit fractio, ea potuerit esse actio propter præsentes panes, non autem ad mysterium significandum, suscepta. Non ergo syndrome temporis, sed materiæ & objecti à me potissimum indigitata est. 2. Gerhardus à Menzero non dissentit. Nam §. 6. *cap. 1. de Cœna* disertè dicit, *evidenter & apodicticè demonstrari non posse, oportere in illis locis per fractionem panis intelligi administrationem cœnæ.* Conf. c. 9. §. 57. & cap. 14. §. 161. ubi & Bezam ὁμόψηφον adducit. P. Martyr. *in Loc. Comm. classe. 4. cap. 10.* §. 6. postquam de pane eucharistico ex verbis institutionis & S. Paulo locutus esset: *Potuissem*, inquit *etiam inducere, id quod sæpe habetur de fractione panis (in margine adducit locum Act. 2, 46.) cæterũ quia video posse aliter accipi, quasi dicatur de communi & vulgari cibo, ut Es. 58. frange esurienti panem tuum, & Hierem. in Thren. 4. petierunt parvuli eorum panem, nec erat, qui frangeret eis, idcirco supersedeo & nolo adducere nisi* FIRMA. III. *quia fractio non est inter eas actiones, quæ immediatè & formaliter attingunt s. Cœnam.* Regerit Zvvingerus: *Hæc esse sophisticè, dubiè, ἀμφιβόλως,* (annon aliud habet quod adderet adverbium?) *proposita, quæ heic Logicè examinare piget* (Hem pigritiam! quæ sequuntur non erunt Logica.) *Hoc probandum est, fractionẽ non esse sacramentalem, mysticam fractionem corporis Christi, id est, paßionis & mortis Christi σημειωτικὴν & cuilibet communicãti σφραγιστικὴν ceremoniam.* Resp. hoc debuisse Zvvingerum probare ex institutionis verbis. Fractio est sua natura actio antecedanea ad edendum panem, ubi in usu est; ubi scissio usurpatur, etiam hæc talis est. Si hoc loco altioris conditionis est fractio, ex verbis revelationis mysterij evincendum est. Non tenetur probare, aliquid non esse sublimioris ordinis, qui in condi-

 tione rei

tione rei comuni ſubſiſtit, ſed novem vel qui aliquid ſupernaturale de ea proponit. Nonne Zvvingerus etiam tamdiu ſubſiſtit in eo, panem eſſe etiam poſt conſecrationem panem, donec probetur ipſi, panem eſſe transſubſtantiatum? Dationem & ſumtionem, quæ immediatè cœnam conſtituunt, ſcio altius quiddam importare, propter promiſſionem annexam. Pergit Zvvingerus; *De ordine quando quæritur, An fractio inter eulogiam ſeu euchariſtiam, & δόσιν medium locum occupet, quantumvis vel adverſarij Confeßione omnes Evangeliſtæ cum Paulo voces* εὐλογήσας *&* εὐχαριστήσας *præmittant verbo* ἔδωκεν *&* ἔκλασεν*, non tanta eſt controverſia, quam ille, ut paginas ſuo more compleret, inani aliqua grammatica argutia conatur dilatare, qua id agit, ut oſtendatur, exemplis prorſus dißimilibus, fractionem potuiſſe euchariſtian. & eulogiam antecedere: quanquam neminem hactenus audiverimus dubitantem, quod Chriſtus, uti in aliis epulis* Matth. 14, 19. Marc. 6, 41. c. 8, 6. Joh. 6, 11. *ita quoque in hoc myſtico præmiſerit diſtributioni ad minimum euchariſtiam ad Deum, non ad panem directam.* Zvvingerus ſanè memor eſt confeſſionis ſuæ, & rem Logicè examinare pigratur. Refutavi Maſſonium & alios è ſchola Zvvingliana, qui ex collocatione τῆς κλάσεως inter εὐχαριστίαν ſeu εὐλογίαν atque inter δόσιν argumentantur. Majorem infregi inſtantia, qua dixi, etiam τὸ δειπνῆσαι in medio actionum euchariſticarum collocari, nec tamen neceſſarium eſſe, ut τὸ δειπνῆσαι interveniat. Inſtantia ex Simplicij Verini doctrina fit robuſtior, qua ep. ad Julium Pacium pag. 347. docet, *Chriſtum non tempore continenti ſacramenta panis & vini inſtituiſſe, ſed illud in cœna ipſa, id eſt,* ἐσθιόντων αὐτῶν*, ut Matth. & Marcus docent, cum adhuc cœnarent, hoc verò poſtquam cœnaſſent* μετὰ τὸ δειπνῆσαι *ut Paulus & Lucas affirmant.* Poſt exhibitum igitur panem euchariſticum continuata fuit actio cœnationis. Si enim finita cœna etiam panis manducandum datus fuiſſet, putat Verinus malè μετὰ τὸ δειπνῆσαι ad calicis diſtributionem annotatum fuiſſe: qui ait pag. 347. *Nec enim illud* ὡσαύτως *ad* μετὰ τὸ δειπνῆσαι *referendum eſt, ut ſimiliter poſt cœnam poculum benedixerit, ut & panem, ſed ad rem ipſam & ad benedictionem calicis, ut nimirum idem in poculo fecerit, quod & in pane, ſed in poculo poſt cœnam, in pane inter cœnandum.* Zvvingerus rurſus ἀλόγως reponit: *quaſi verò peræquè ſit neceſſaria judicanda circumſtantia temporis libera, atq; actio ipſa.*

ipsa. Respond. si præfigurationibus locus est in sacramento, etiam circumstantia temporis erit observanda & noctu celebrandum in memoriam mortis illius memorandæ, qua Christus cum morte colluctatus sudorem sanguineũ sudavit & horrenda alia pertulit. Atqui ego non de tempore, sed de actione instantiam induxi. Nonne enim cœnatio est actio? Minorem, sc. ita collocatum esse actum κλάσεως à Christo usurpatum, uti collocatio verborum habet, dixi irrefragabiliter non esse necessarium, neque semper conjuncto participio cum verbo, illud actum antecedentem, hoc actum consequentem notare. Hoc perpetuum esse debet, si firmiter, cum dicitur, ἐυχαριστήσας ἔκλασε, colligi debet, antecessisse ἐυχαριστίαν, secutam esse ἀρτοκλασίαν. Ostendi autem exemplis scripturæ, non esse perpetuum. Id necessario facere debui, si minor fuit luxanda. Et Massonius contrarium obtinere necesse habuit, si minorem stabilire voluit. Non ignoro, id quod Zvvingerus *in Coroll. disp. de Iustif. Ann. 1649. habita* notavit, etiam nostros vertere, *Postquam gratias egisset, fregit.* Quæro tantum an necessariò ita vertendum? Quis verò negat, Christum & in epulis aliàs & in mysterio distributioni præmisisse eucharistiam ad Deum? IV. *quia si vel maximè fractio interposita esset inter benedictionem & distributionem, his tamen actibus ita non posset æquari, ut cum benedictio & distributio sint actus necessarij, etiam ipsa fractio necessarius & integralis actus censeatur*, quia inprimis dationi *mysticum & admirandum oblatum*, scilicet Corporis Christi promissio adjuncta, non fractioni. Fatetur Zvvingerus I. *Fractionem reliquis non pari necessitatis gradu & mensura coæquari.* 2. ait *mysticum & admirandum, quod sophista toties ingeminat, vid. Corporis Christi ἐνάρτωσις & Corporis Christi oralis manducatio est figmentum millies explosum &c.* 3. *fractioni panis Paulus annexam esse docuit σημείωσιν sacramentalem 1. Cor. 11. nec ulla unquam solida dari potuit ratio, ob quam Paulus, imò Christus ipse, à quo Paulus accepit, phrasi fractionis Corporis Christi usus fuerit, extra respectum ad sacramentalem panis fractionem; absque hoc enim vel appendicem verborum institutionis omisisset, vel cum Luca dixisset, quod pro vobis datur.* Respondeo ad I. *Si Coæquatur,* sed non *pari necessitatis gradu & mensura,* ergo non *Coæquatur.* Num

coæqualia

coæqualia esse possunt *dispari gradu & mensura?* ad 2. *explodit* ne bucco Basileensis *mysticum & admirandum*, quod dationi Christus annexuit & suavissima promissione complexus est? ad 3. Syllogismus Zvvingeri, pigrescentis ad Logicum examen, hic est: *Qui corpus suum fractum nulla alia de causa dixit, nisi respectu fractionis sacramentalis, is panifragio tribuit σημείωσιν sacramentalem, eamq; perpetuò in usu sacræ Cœnæ retinendam. At Christus apud Paulum hoc fecit. Ergo &c.* Major negatur. Etiamsi enim Christus respexisset, cum corpus suum frangi dixit, ad fractionem panis, & sicut reapse & propriè panem fregit, ita corpus suum, quod mediante fracto pane communicavit, suo modo h. e. impropriè frangendũ esse in cruce dixisset, non tamen exinde in fractione panis σημείωσις sacramentalis & quidem perpetua & necessariò observanda constituta fuisset. Occasionem ita loquendi ad summum dedisset fractio, ut templi corporis sui destructionem Christus vocaret fractionem, non autem propterea effecta esset fractio actus necessarius, σημειωτικὸς, σφραγιστικὸς &c. Sed unde probat Zvvingerus Minorem? Metaphora est, qua Corpus Christi frangi dicitur: Anne à fractione panis deducta? Consensus Orthodoxus *cap. 5. pag. 110.* Τὸ frangitur in verbis Christi *non ad ipsam sacramentalis panis, sed ipsiusmet veri Corporis Christi, quod de fracto sacramentali seu eucharistiæ pane prædicatur, fractionem, metaphorico sensu, propter gravissimos & acerbissimos cruciatus, quibus distortum & laceratum in mortem traditum fuit, est intelligendum.* Piscator in schol. *Frangitur*, id est, *paulo post frangetur, h. e. cruci affigetur & occidetur. Enallage temporis & metaphora.* קצא quo Syrus utitur, est ab Hebr. קצה quod *abscidit, exscidit, amputavit, detruncavit* notat. Conf. *Hab. 2, 10. Prov. 26, 6. 2. Reg. 10, 32.* Respondet autem planè radici גזר quæ de Christo usurpatur *Es. 53, 8.* & significat *scidit, excidit, abscidit, decidit.* Conf. *Ps. 88, 6. Dan. 2, 34. 45.* Et si verba, quod pro vobis frangitur, ad panifragium non respiciunt, non omisit appendicem verborum institutionis. Si enim sine intuitu fractionis panis Corpus Christi pro nobis (quod inprimis P. Martyr h. l. ponderat.) frangi dicitur, jam idem dicitur, quod dixit Chorus Evangelistarum.

V. quia

V. quia! *S. Paulus* I. Cor. 11, 24. ἔκλασε *posuit, omisso eo, quod apud Evangelistas ponitur*, ἔδωκε. Unde intuli, *ad distributionem per* κλάσιν *potissimum respici.* Reponit Zvvingerus, 1. *Cur ergo S. Paulus voce clariore* ἔδωκε *non est potius usus.* Resp. quia κλάσις S Paulo juxta cōmunem loquendi usum æquè nota visa. 2. *cur verbis*, quod pro vobis datur, *substituit* quod pro vobis frangitur? Resp. quia eódē recidere, utrumvis dicatur, censuit. 3. *dare sub* λάβετε *comprehendi.* Resp. Magis sub ἔκλασε. 4. *imò quia* κλάσεως *tantum facit mentionem, voluit fractionis & distributionis necessariam* συμπλοκὴν *significare.* Resp. sæpe κλάσιν absque συμπλοκῇ tantum distributionem notare. VI. quia *Fractio panis est merè ceremoniale quid.* Regerit Zvvingerus. *Ceremoniale & morale non opponi.* Resp. Confundi ceremoniale, ut opponitur legi morali, cum ceremoniali, quod occasionaliter assumtum est liberequè assumi potest, & eo, quod ex institutione divina ceremoniæ olim sacramentali intrinsecum est atq; necessarium. De hoc dixi, non illo. Zvvingerus ἀλογίζει. VII, quia *si omninò significationi & adumbrationi in pane locus est, perinde est, sive in actu Cœnæ fiat fractio, sive antea divisio aliqua suscipiatur & in particulas comminutio, qualis apud nos est, cum quivis scit, istas placentulas minutas ex integra quadam massa sumtas esse, &, si ita informandus est, cogitare queat, sic in animo habuisse hostes Christi, in minutissimas ipsum portiunculas dividere & dissecare, & hactenus quantum in ipsis fuit, ipsum sic contrivisse, ut manus & pedes ejus foderint.* Ps. 22, 17. *& omnia ejus ossa quasi dissolverint.* v. 15. Reponit Zvvingerus; 1. *sic liturgiam sacram ad pistrinam relegari.* 2. *etiam placentas ex massa factas, & tamen Christum fractionem adhibuisse.* Resp. ad 1. liturgiam mansuram in Ecclesia. Illi exhibentur ex comminuta massa placentæ, æquè ac ex confracto semiscisso pane frusta. Si velit & debeat intendere ad meditationem contritionis Christi ex ista comminutione sibi præfigurandam, posse illud, utut comminutionem in pistrina præcessisse dicamus, etiam in Ecclesia & liturgia s. fieri. Qui Christi interfectioni & morti non interfuerunt, viderunt autem eum sive exanimem in cruce, sive jacentem, illi etiam passionem ejus contemplari potuerunt. Sic & qui panem non dividi, sed divisum conspiciunt, ex ista hypothesi idem vident. De placentis Judaicis aliam esse rationem.

tionem: illas non eo fine præparatas eſſe. Declarationem Salvatoris poſt eas jam coctas ſuperveniſſe. IIX. quia *ſi adeò neceſſarius ritus fractionis in ſacramenti Cœnæ prima parte, etiam in altera parte fractioni correſpondentem aliquem ritum poni neceſſe fuiſſet, dicendumque*, ſimiliter & poſtquam cœnavit, *infudit in poculum* & gratias egit, & accepit &c. *At nullus poſitus fuit. Infuſio præceßit calicem jam ante ſive in communi ſive paſchali cœna.* Reſpondet Zvvingerus; *Non fuiſſe neceſſarium: quia Chriſtus jam partim fractione panis, partim ſeparatione panis à vino ſatis & fractionem corporis ſui & effuſionem* ſanguinis repræſentavit. Reſp. 1. ſunt ſanè, qui fuſionem fractioni correſpondere velint, licet in verbis inſtitutionis nulla ejus fiat mentio. At ſic, ſi in parem cum fuſione cenſum collocatur fractio, non erit actio integrans ſ. cœnæ. Cautior Zvvingerus eò non concedit. Nec 2. tamen effugit. Nam partim non omnis fractio corporis alicujus cum ſanguinis fuſione conjuncta eſt. Itaque nondum fractione panis ſatis delineatum eſt myſterium. partim ſeparatio panis à vino rem non conficit. Si enim ſeparatio panis à vino ſufficit, ut fuſio ſanguinis intelligatur ſine exteriori fuſione, cur non vini à pane ſeparatio ſufficit, ut contritio & confractio corporis Chriſti intelligatur ſine fractione exteriori. Dixi, ſi fractio panis eſt σημειωτικὴ paſſionis Chriſti, etiam dationem panis futuram σημειωτικὴν dationis Chriſti pro nobis. Reponit Zvvingerus: Miſera iterum conſequentia. quaſi verò pueri neſciant diſtingere inter δόσιν panis, quæ à fractione apud Evangeliſtas diſtinguitur, & inter dationem corporis. Reſp. miſera reſponſio. quaſi verò pueri neſciant diſtinguere inter fractionem panis & fractionem corporis Chriſti. Eſtne ideo illa hujus nequaquam σημειωτικὴ? IX. quia *Paulus finem Euchariſtiæ ſecundarium, qui eſt obligatio ad unitatem myſticam, non fundat in panis fractione, ſed unitate.* Reſp. Zvvingerus; *ſic coquum ſchiſmati ſanando ſuffecturum, ſi orbiculos ex una maſſa afferat.* Reg. nos in unitate vel maſſæ, vel panis non quærere myſticæ unitatis cohortamentum. Ipſum panem in complexu ſuo myſtico conſiderandum dicimus, in cujus uniformi participatione fundamus unitatem myſticam fidelium. Addit Zvvingerus, *ſe nolle unum numero panem, vel*

Cur in diſtributione calicis nullus ritus fractioni reſpondens?

in universa Ecclesia exhiberi, vel in particularibus usurpari. Hoc tantum velle, panem aliquem unum frangendum & in multos dividendum exhiberi debere Resp. Benè. Ergo unitas etiam multis panibus visis stimulari potest? Cur non etiam illis ad sacrum usum in orbiculos digestis? Quid opus est fractione, si antea parati sint? Quid coquum insimulat Zvvingerus, tanquam ad istam paraturam ineptum? Fractionem metaphoricam in Christo peractam novit ab ijs habere originem, qui quovis coquo sordidiores fuerunt. Sed audiat Claudium Salmasium sub Verini nomine in ep. ad Pacium pag. 287. dicentem: Certè veteres cavebant, ut ex uno pane omnes si fieri posset communicarent: pro multitudine enim communicantium major aut minor parabatur, & pauxillum ex eo singuli accipiebant. Id etiam curabant, ut magis superfieret, quam deficeret & reliquiæ manerent. Et pag. 288. Cum omnes fideles communicantes ex eodem pane participarent, & plures offerrent, non poterat nimirum ex omnium simul oblationibus Eucharistia confici? An igitur ex unius oblatione conficiebatur? Ita sane videtur. Ac verisimile est ita factum. Is, cujus oblatio recipiebatur ad Eucharistiam celebrandam, tam grandem, ut probabile est, panem coquendum curabat, ut omnibus communicantibus sufficeret. Quemadmodum hodieque solent, quibus vices suæ incumbunt panis benedicti offerendi, pro numero paroecianorum curare, ut sit satis magnus. Idem olim factitasse planè videntur, qui offerebant panem & vinum ad Eucharistiæ sacramentum conficiendum. Nam & panis, qui nunc vocatur benedictus sive eulogia, successit planè in locum veteris Eucharistiæ, cum simplicius & ex institutionis ritu administrabatur. &c. Salmasius ergo Matæologus est Zvvingero, si velit, in quavis Ecclesia particulari tantæ molis panem apparandum, qui per distributionem poßit sufficere Basileæ suæ non raro 400. communicantibus? X. quia fractio panis in N. T. non potest esse speculum seu repræsentatio paßionis Christi 1. quia N. T. speculis & typis careat. 2. quia antitypus typo non respondeat. 3. quia s. Cœna non sit θυσία, sed κοινωνία. 4. quia finis Dei in s. Cœna significare non signis nisi μεταβολικοῖς. 5. quia verborum N. T. evidentia typis, sicut obscurius V. T. non egeat. Regerit Zvvingerus 1. Quasi vero in N. T. non videamus per speculum & ænigma? 1. Cor. 13, 12. Cur Apol. A. C. sacramentum vocat picturam, per quam significatur id, quod verbo prædicatur. Nunquid Patres olim velut uno ore docuerunt,

Simpl. Verinus de uno numero pane s. cœnæ.

Fractio panis in N. T. speculum paßionis esse inquit.

runt, *Panem & Vinum* ſignare, ſignificare, repræſentare corpus & ſanguinem Dominicum? *Item eſſe* ſigna, ſymbola, figuram, antitypa, ſimilitudinem, imaginem, memoriam corporis & ſanguinis Domini? *Quaſi vero etiam nulla ſit differentia inter imagines V. T. quæ fuerunt* σκιαὶ *futurorum, & inter imagines N. T. quæ nunc ſunt icones præteritorum & præſentium.* Hebr. 10, 1. II. *Quaſi verò porrò* ἀρτοκλασία *propria non poßit repræſentare fractionem corporis Chriſti metaphoricam, quam Chriſtus alibi aßimilavit deſtructioni templi. Ioh. 2, 19. Certè Apologia veteris Conf. Argent. agnoſcit propter unionem ſacramentalem fieri, ut fractio prædicetur de corpore Chriſti, quæ tamen propriè fit tantum in pane.* Confeſſ. IV. Civitat. p. m. 165. III. θεωρία & κοινωνία *in S. C. non opponuntur, ſed ſubordinantur, cum illa non ſit otioſa ſed* ἐνεργητικὴ *fidei. IV. Quo ſenſu etiam ſigna ſacram. ſunt* μεταδοτικὰ, *quia in uſu fideli* μετάδοσις *&* λῆψις *ſignatorum cohæret* τῇ λήψει *ſignorum. V. Repræſentatio, quæ fit per* ἀρτοκλασίαν, *ei tantum obſcura eſt, qui ſcotomate impanationis oculos obtenebratos habet. VI. Si in N. Teſt. ſufficiat verbum propter ſuam claritatem, quid ergo opus fuit ſacramentorum inſtitutione.* Reſp. ad I. *per ſpeculum & ænigma in N. T. videre* dicimur, non propter cognitionis modum per typum & umbram; ſed propter cognitionis gradum, qui eſt inter fidem & claram viſionem. Ap. A. C. art. 13. ſacramentum vocat *picturam*, ſicut vocat verbum viſibile, quia ſicut verbum prædicatum auribus obiicit, quod continet, ita ſacramentum oculis. Non autem ſacramentum ad geſta præterita oculis ſubiicienda aliqua eorum repræſentatione adornatum eſt. Ad II Patres cum *ſymbola, antitypa* &c. appellant panem & vinum, non faciunt id intuitu aliquarum actionum & paſſionum, quibus res inviſibilis ſacramenti aliquando affecta eſt, repræſentandarum, ſed propter exhibitionem rerum cœleſtium, quarum præſentiam firment & deſignent. Simplicius Verinus de tranſſubſt. pag. 25. & ſeq. latiſſimè de voce ἀντίτυπον diſſerit. Dicit, *antitypum non dici niſi in relatione ad archetypum. Ergo ut duo ſunt in Euchariſtia antitypa, panis & vinum, ita duo eſſe archetypa, corpus & ſanguis Domini. Vt ſeparata ſunt antitypa, ita debere eſſe ſeparata & archetypa. Fuiſſe autem illa archetypa ſeparata in ſola morte & paßione. Antitypa E. ad mortis Chriſti memoriam celebrandam inſtituta fuiſſe. Non igitur corpus unum & integrum Chriſti, quaſi idem*

Simplicius Verinus de voce ἀντίτυπον.

ἀρχέτυ-

ἀρχέτυπον, quale fuit in terris vivens & quale nunc in cœlis, ea duo ἀντίτυπα
repræsentare, sed quale erat in cruce pro nobis immolatũ, cum corpus eius in duas
partes ut hostia vera divisum est, in sanguinem & carnem sanguine carentem.
Hinc refutat Perronium, & Pontificios, qui dicunt, corpus Chri-
sti, quod est in pane, ita unum idemque esse, cum eo, quod est in
cœlo, ut exemplum idem est atque unum cum sua originali &
authentica scriptura, ideoque ἀντίτυπα à Patribus vocata esse
sacramenta corporis Christi, metaphora ducta à scribis librariis,
qui exemplaria describunt ex archetypo, quæ idem quod ipsum
planè continent. Posita enim hac metaphoræ ratione dicit
1. *Antitypa sacramenti duo esse. Corpus autem in cœlo non seorsim habere suam*
carnem, & seorsim suum sanguinem. 2. *Sanguinis archetypo remoto nec sic*
quidem antitypum in sacramento unum esse cum corpore archetypi in cœlo. Nul-
lam quippe similitudinem talem esse huius & illius scripturæ, ut unitatem u-
triusque possit conficere. Relatione, non substantiæ unitate eadem esse antitypa
cum archetypis, quamvis similia omni ex parte configurata sint. At corpus Christi
quale in antitypo dicitur, ne unum quidem esse posse cum archetypo, quod in cœlo
est ea unitate, qua scriptura exemplata est cum originali forma. Corpus Christi
in cœlo esse unum, continuum, circumscriptum, cum extensione & situ locali, cum
magnitudine sibi convenıente &c. Nullam ergo unitatem realem esse posse hu-
ius corporis imaginarii cum eo, quod in cœlis. Quicquid sit de iis, quæ
contra Perronium Verinus disputat, nostra sententia non est,
corpus & sanguinem Domini in sacramento esse anticypa alicu-
ius archetypi in cœlo, sed esse ipsum illud, non transsumtum a-
liquod ex originali. Ipsissimum illud corpus & sanguinem il-
lum, qui in cœlo est, exhiberi nobis in sacramento, non ut vi-
deamus πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, non ἀρχετύπως, sed sub pane &
vino tanquam antitypis, non separatè, sed tamen distinctè in
memoriam separationis in passione factæ. Pergit Verinus φιλο-
λογεῖν & ait, *ἀντίτυπον idem esse, quod typum & σύμβολον. Quædam*
vocabula in compositione non mutare significationem, ut πολίτης & συμπο-
λίτης, πατριώτης & συμπατριώτης, civis & concivis, ἀντίλυτρον & λύ-
τρον, ἀντιζηλεῖν & ζηλεῖν &c. Hesych. *ἀντίτυπος, τύπος. Apud Paulum*
ἀντίτυπα esse τύπους. Hebr. 9,13. Petrum 1.ep.c.3,21. baptismum dicere ἀντί-
τυπον arcæ Noæ, qua paucæ animæ servatæ sunt, ᾧ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν
σώζει βάπτισμα. Illud O. in antiquissimis libris Græcis & uniacli chara-
ctere scriptis pro ου poni. Veram illius loci lectionem esse, οὗ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυ-
πον

πον νῦν σώζει βάπτισμα. In veteris scyphi inscriptione apud Athenæum ΔΙΟΝΥΣΟ scriptum fuisse pro Διονύσου. Esse autem arcæ & baptismatis non tantam similitudinem, ut est exemplaris & autographi. Antitypa alia esse proximioris, alia remotioris similitudinis. Cum Patres panem & vinum antitypa vocarunt, non respexisse proximam, sed eam, quam Christus ipse constituit: eumè re nata inter cœnandum respexisse ad panē, qui frangitur ut edatur, & vinum, quod effunditur ut bibatur. Hinc mortis & passionis suæ commemorationem Ecclesiæ tradere voluisse, quia corpore fracto & sanguine fuso debuit contingere. Hinc κλώμενον & ἐκχυνόμενον in verbis institutionis. Cerni etiam similitudinem in nutritione. Everti institutum Christi, si corpus & sanguis in antitypis sit idem cum eo, quod in cælis: Ἀντίτυπα esse symbola. Hæc figuræ identitatem non poscere, sola voluntate statuentium constitui. Inter emtorem & venditorem emtionis symbolum apud Græcos fuisse nummum dimidiatum. Inter hospites apud Græcos, unde filii agnoscerent inter parentes suos iura hospitalitatis fuisse, symbola & notas receptas fuisse. In mysteriis Græcorum symbola locum habuisse. Tesseras frumentarias, quæ dabantur civibus Romanis, symbola à Græcis dictas. Hoc sensu accepta σύμβολα non eadem esse cum antitypis. In Liturgia Aegyptiaca, cum panis & vinum offerebatur ad altare, dixisse Sacerdotem, offero tibi Domine symbola redemtionis nostræ. Pro eo dici non posse antitypa redemtionis nostræ. Panem & vinum symbola esse & arrhas tesserasque redemtionis nostræ, & simul ἀντίτυπα sive figuras corporis & sanguinis Dominici. Omne symbolum non esse antitypum. Theodoretum dialog. I. τὴν παναγίαν τροφὴν vocasse σύμβολον καὶ τύπον corporis & sanguinis Christi. Etiam σύμβολον & μυστήριον coniungi à Iustino apolog. 2. μυστήριον nihil aliud esse, quam typum sacrum vel symbolum rei sacræ: ita Paulum matrimonium vocare mysterium. Theodoretum dialog. III. dicere: εἰ δὲ σάρξ εἰς θεότητος μετεβλήθη φύσιν, τοῦ δὴ χάριν μεταλαμβάνουσι τῶν ἀντιτύπων τοῦ σώματος; Περιττὸς γὰρ ὁ τύπος ἀνῃρημένης τῆς ἀληθείας. Si caro conversa est in divinitatis naturam, qua gratia participant antitypo corporis? superfluus enim typus, ubi veritas tollitur. Hic typum & antitypum in eadem significatione posuisse. Esse tamen vocem typi generaliorem & tam rei futuræ, quam rei præteritæ figuram significare. Antitypum verò typum esse rei præteritæ & iam factæ. Nunquam quicquam antitypum dici eius, quod futurum est, sed eius quod factum est, vel quod iam extat. Esse n. rei contra oppositæ typum. Stephanum Gobarum apud Photium disputare, utrum aneus serpens Mosis typus, an antitypus Christi dici debeat. Typum per umbram magis & quasi per nebulam obscurius rem figurare: Antitypum clarioris esse ad veritatem significandam expressionis: serpentem, quia non adumbrabat tanquam typus, sed clarè repræsentabat Christum, antitypum magis quam typum fuisse. Veteres tamen non agnovisse illam differentiam.

(At

(At Gregor. Nazianzen. Orat. *εἰς τὸ ἅγιον πάσχα*, inquit: *ὁ δὲ χαλκοῦς ὄφις κρεμᾶται μὲν κατὰ τῶν δακνόντων ὀφέων, οὐχ ὡς τύπος δὲ τοῦ ὑπὲρ ἡμῶν παθόντος, ἀλλ' ὡς ἀντίτυπος*. Quod Budæus obſervavit Com. G. L pag. 753. Nicetas Setronius Scholiaſtes *ἀντιτύπου* duplicem ſignificationem tradit; notare enim apud Gregor. in eadem oratione tam æqualem figuram, ut lumen nocturnum in pervigiliis paſchatis, prænuncium lucis paſchalis, quam contrariam, ut hoc loco.) *Niſi quis velit ἀντίτυπον ſubſtantivè aliud ſignificare, quam antitypon adiectivè. Antitypon ſubſtantivè idem poſſe eſſe, quod typus, ut antilytron idem eſt, quod lytron. At adiectivè ἀντίτυπος idem eſt, quod ἰσότυπος ſimilis formæ & modi, ἀντίθεος idem quod ἰσόθεος ſimilis Deo. Ita ἀντίτυπος γραφὴ eſt ἰσότυπος iisdem characteribus expreſſa, ἀντίτυπον βιβλίον. Hoc autem diſcrimen neglexiſſe antiquiores. Etiam ſymbolum nunquam uſurpari niſi de rei, quæ eſt, aut fuit nunquam de futuræ ſigno. Hinc conſtare, Theodoretum non agnoſcere veritatem corporis & ſanguinis Dominici, cum ſolis ἀντιτύποις nos dicat communicare & ἀντίτυπα etiam poſt conſecrationem appellet &c.* Vt paucis, quid de ea philologia habendum, dicamus, non negamus, antitypon & typum nonnunquam idem eſſe. Licet *Hebr. 9,13.* non ſit certum, *τὰ χειροποίητα ἅγια* dici *ἀντίτυπα* cœleſtis ſanctuarii. Dicuntur *ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν*. At hæc ſunt *ἀληθινὴ σκηνή*. h. e. ipſa aſſumta hum. Chriſti natura, templũ *ἐνυπόστατον*, de quo *Ioh. 2,19 Hebr. 8,2.* In loco *1. Petr. 3,21.* baptiſmum dici diluvii antitypum, ita ut adumbret diluvium, vix videtur conſentaneum ſcopo S. Petri. Diluvium potius typum fuiſſe baptiſmi ſeu adumbraſſe hoc ſacramentum, univerſa antiquitas profeſſa eſt. Beza vertit *correſpondens exemplar.* & in Annotat. ait. *Τύπος in his libris paßim dici ſolet illud, in quo tanquam exemplari quippiam nobis impreſſa quadam forma ἀναλόγως repræſentatur, ut* 1. Cor. 10, 6, & 11 *pro quo ſolet etiam Apoſtolus ὑποδείγματος voce uti, Hebr. 8,5. & 9. & παραβολῆς, Hebr. 9,9. comparantur autẽ typi interdũ cum veritate ipſa, cuius ſunt exemplaria, ut Hebr. 9,24. ſacrarium tabernaculi dicitur cœlorum antitypum. Interdum verò cum aliis ſecundariis eiusdem rei exemplaribus conferuntur, ut h. l. baptiſmus dicitur antitypon eius liberationis, quæ contigit Eccleſiæ in diluvio. Nam & hæc liberatio & baptiſmus adumbrant Eccleſiæ ſanctificationem & emerſionem è peccati & mortis gurgite. Sunt igitur* duo typi, *ſed liberationis à diluvio præcedens typus ſequentem baptiſmi typum ipſi correſpondentem adumbra-*

Quid Hebræor. 9,13 ἀντιτύπα?

Locus 1. Petri 3, 21. explicatur.

umbravit. Bene in eo Beza, quod non cenſet cum Verino, baptiſmum aquæ in diluvio ſervantis eos, qui in arca contenti fuerunt, typum fuiſſe, ſed hunc potius illius, adeoque hanc potius illum repræſentaſſe. Malè in eo, quod & baptiſmum typum vocat ſanctificationis & emerſionis è peccato. Aliud verbum σώζει poſcit. Eundem cum Beza errorem errat Fr. Gomarus *h.l.T.2.op.p.418.* Joh. Diodati in not. Ital. de aquis diluvii h.l. dicit, *in che S.Pietro dice eſſervi ſtato una correſpondenza è conformità col Batteſmo* &c. Genevenſes ita reddunt Petrum : *A quoi auſſi maintenant reſpond à l' oppoſite la figure &c.* Syrus habet pro ἀντίτυπον טופסא quod ex Græco τύπος derivatum eſt. Cypriani ævo ita vertebantur verba S. Petri, *quod & vos ſimiliter ſalvos faciet baptiſma.* Vnde ἀντίτυπον pro qualicunque ſimilitudine habitum fuiſſe colligitur. Nec opus eſt, quod Pamelius *ad ep. Cyprian.74.* dicit, *videri diverſum habuiſſe exemplar Græcum Cyprianum, ab iis, quæ hodiè extant. Nã vox ἀντίτυπον commodè verti nõ poteſt* ſimiliter, *aut* ſimili forma, *quomodo legit Auguſt. hunc locũ tractãs l.5. de bapt. c.ult.* Videri poteſt, aliter in ep. ad Hebr. quam ad S. Petro vocem uſurpari. Bis tantum vox ἀντίτυπον extat in N. T. In ep. ad Hebr. idem eſt, quod τύπος. Fr Turrianus *Expl. in Conſt. Clem. R. lib.3. cap.13. pag. 209.* ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν alia eſſe dicit, quam ſint ὑποδείγματα τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς, idque propter ipſam appellationum variationem. Dicit autem, per hæc veteris T. ceremonialia notari, per illa N. T. ſacramenta. Neſcit verò cum textu ipſo ſuam opinionem conciliare. Oporteret in textum aliquod verbum intrudere, quaſi diceret Chriſtus : Non enim manufacta ſancta ingreſſus eſt Chriſtus, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν ſc. conſtituens. At quæ hæc vis illata textui? In ep: Petrina in ἀντίτυπον ἀντὶ non eſt contrarietatis, uti Setronius ſupra innuit, & obſervatur ſimiliter in quibuſdam compoſitionibus, ſed ſurrogationis, & ſubſtitutionis, & quidem non violentæ, ut in ἀντίχειστος, ſed divinitus ordinatæ & complementum ejus, quod anteceſſit, præſtantis. Sic ſubſtitutionis & viciſſitudinis ſignificationem ἀντί efficit in ἀντάλλαγμα, *Matth. 16, 26.* ἀνταναπληρόω, *Col. 1, 24.* ἀνταπόδομα *Luc. 14, 11. Rom. 11, 9.* Ἀνταπόδοσις *Col. 3, 14.* Ἀντικαλέω *Luc. 14, 12.* Ἀντίληψις *1. Cor. 12, 28.* ἀντιμισθία. *Rom. 1, 27.*

2. Cor.

2. Cor. 6, 13. Sic inter typum & antitypum relativa eſt oppoſitio. At verò nec illo, nec iſto ſignificatu veteres panem & vinum vocarunt antitypa corporis & ſanguinis Chriſti. Τύπος, cum quo ἀντίτυπον non rarò coincidit, ſignificat notam, characterem, τεκμήριον, indiciumque rei alicujus, ſive illa præſens ſit, ſive præterita. Hoc modo ſunt τύποι τῶν ἥλων, Ioh. 20, 25. Sic τύποι τῶν πληγῶν in corpore cujusdam maſtigiæ apud Athenæum lib. 13. τύποι τῶν κεραυνίων τραυμάτων notæ & veſtigia ex fulminis ictu impreſſa apud Philon. de vita Moſis lib. 1. τύποι καὶ σφραγῖδες τῆς ψάμμου apud Plutarch. de ſolert. animal. τύποι ἐν σποδῷ apud eund. *Sympoſ. 8.* Sicut & συμεῖον certa nota, ex qua alicujus præſentiam infallibiliter deprehendas. ut σημεῖον datum paſtoribus, *Luc. 2, 12.* & in univerſum σημεῖα Chriſti. *Ioh. 20, 30.* Hoc ſenſu ſigna, ſymbola, typi, antitypa commodè panis & vinum dici poſſunt. Quanquam non negamus, etiam aliquam analogiam inter antitypa & inter archetypum conſtitui poſſe. Modo primarium eorum munus non prætermittamus, quod eſt præſentis gratiæ δῶρα, ſeu præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti peculiarem, denotare & deſignare. Certum interim non eſt, Chriſtum fractione & effuſione ad figuranda accidentia corporis & ſanguinis ſui reſpexiſſe, ut ſupra notatum eſt. Adhæc μυστήριον etiam non ſemper eſt τύπος ſacer vel ſymbolum rei ſacræ. *Rom. 16, 25. 1. Cor. 2, 7. 1. Tim. 3, 16.* & alibi. Apud Theodoretum panis & vinum corporis & ſanguinis *antitypa* dicuntur ſenſu indicato. *Ait:* ſi caro & ſanguis in Chriſto non amplius eſt, nulla erit gratia, qua participent antitypa. Si non niſi actus præteritos antitypa figurant, carnem ſupereſſe neceſſe non eſt. Nec aliud intendunt alii, quos Verinus adduxit. Redeamus ad Zvvingerum. Dicit differentiam eſſe inter imagines V. & N. Teſtamenti. Nos omnino maximam agnoſcimus. Sed εἰκὼν in ſacris Novi Teſtamenti non eſt repræſentativum rei abſentis vel accidentis præteriti. *Matth. 22, 20. 21. Marc. 12, 16.* εἰκὼν καίσαρος in numiſmate cenſus, eſt imago Cæſaris ſine attentione fueritne, vel ſuperſit. *Rom. 1, 23.* εἰκὼν φθαρτοῦ ἀνθρώπου, ſunt lineamẽta in corruptibili homine exiſtentia, quorum ὁμοίωμα in idolis gentium. *Rom. 8, 29.* εἰκὼν υἱοῦ θεοῦ eſt ſtatus Chriſti tum humiliatio-

εἰκὼν N. *T. quid ſignificet.*

nis, tum gratiæ. *1. Cor. 11, 7.* εἰκὼν καὶ δόξα θεοῦ vir dicitur, quia impressam habet divinæ Dominicæ perfectionis & gloriæ imaginem. *1. Cor. 15, 49.* εἰκὼν χοϊκοῦ καὶ ἐπουρανίου est ipsa sive imperfectio sive perfectio, illa quidem ab Adamo in nos derivata, hæc à Christo in regno gloriæ nobis communicanda: qualis etiam conformatio cum Christo in regno gratiæ per metamorphosin in imaginem eius intelligitur *2. Cor. 3, 18.* Christus dicitur εἰκὼν τοῦ θεοῦ *2. Cor. 4, 4. Col. 1, 15.* non repræsentando absentem, sed in unitate essentiali. Sic & εἰκὼν τοῦ κτίσαντος est ipsa perfectio creatoris expressa in homine, certa tam mensura. Ad *Col. 3, 10.* εἰκόνος significatio huc non quadrat. Sed ad *Hebr. 10, 1.* εἰκὼν τῶν πραγμάτων est ipsa rerum in Veteri Testamento promissarū actualis & in forma propria exhibitio & præstatio, nimirum omne id, cuius σκιὰν cōtinebat νόμος, ipsa, quæ dicuntur, μέλλοντα ἀγαθά. *Confer Analys. Exeget. meam h. l.* Unde ad imagines, de quibus inter nos quæritur, impertinens est. Falsa est ergo Zvvingeri conclusio ex *Hebr. 10, 1. Imagines N. T. sunt icones rerum præteritarum & præsentium.* Pelican h. l. *Lex tantum habebat adumbrationem quandam futurorum bonorum, non ipsam (* εἰκόνα *) subsistentiam & veritatem. Imago hic capitur pro vera & viva bonorum exhibitione.* Bullinger h. l. *Paulus* αὐτὴν τὴν εἰκόνα *posuit pro vero & expresso, quod ipsum per se sit, & in se rem ipsam exhibeat, non specie aliqua sive typo repræsentet.* Beza in ann. h. l. *Quid si paßive accipiamus* εἰκόνα τῶν πραγμάτων, *pro rebus ipsis per illam ceremonialis legis umbram & imaginem repræsentatis?* Pro hac sententia prolixè scribit Jacob. Capellus *observat. in epist. ad Hebr. h. l.* Ad

Locus Ioh. 2, 19. explicatur.

II. Destructio sive λύσις Christi secundum humanam naturam tanquam templum personale λόγου *Ioh. 2, 19.* est proprie λύσις, quia verè & propriè unio corporis, animæ, sanguinis soluta est. Itaque cum λύσει templi Hierosolymitani rectè comparari potest. Fractio panis, h. e. in minutissimas particulas dissectio & comminutio nihil habet, quod respondeat in corpore Christi. *Apologia Confeßionis Argentin. veteris* non quadrat ad *Zvvingeri* mentem. Non hoc vult, corpus Christi metaphoricè frangi, & hoc adumbrari fractione propria panis. Sed [illegible] ccidentia panis corpori in unione sacramentali etiam [illegible], & quidem non propter esse aliquod repræsentativum illorum accidentium, sed

Apolog. Conf. Tetrapolit. expenditur.

propter

propter *unionem ſacramentalem*, &, ut expreſſe addit, *communicationem idiomatum.* Der Leib wird ie nit gebrochen/ſondern das brod/ alſo werden im Leib Chriſti die Zän nit gehefftet/ſondern im Brod/ noch werden die ding alle auch dem Leib Chriſti zugelegt. Ad marg. *Communicatio idiomatum.* Ita & Flacius exponit *de re ſacrament. pag.14.* Sed vide Gerhardum L. C. *de Cœna cap.14.num.163.* Ad III. theoria & κοινωνία abſolutè non opponuntur: poſſum enim id videre, cuius particeps fio. An autem theoria ſit actus Cœnæ, quæ tota practicis actibus deſcribitur, quæritur. Sic cœcus, qui non poteſt videre fractionem panis, non præſtare poſſet ex parte recipientis actum ſ. cœnæ tam neceſſarium, quam neceſſarius eſt fractio ex parte diſtribuentis. Illa theoria non eſt ἐνεργητικὴ fidei, ſed ab ipſa fide, quæ eſt θεωρίας, Joh.6,40. gubernatur & informatur. Ad IV. ſignata ex ſententia Zvvingeri non dantur à dante ſigna. E. ſigna non ſunt μεταδοτικά. Ad V. Αρτοκλασία ſane eſt obſcura ceremonia in comparatione ad tam claras paſſionis & mortis Chriſti in Veteri Teſtamento expreſſiones. Et tamen dicuntur *duntaxat* σκιαγραφία *& rudis quædam delineatio*, cum in Novo Teſtamento *expreſſa & ad vivum repræſentata* ſint omnia, ut Beza *ad Hebr. 10,1.* loquitur. Quid enim? Αρτοκλασία ſicca eſt, & quod fluit in cœna, non ex fracto fluit, ſed ex cantharo. Hoc adeò manifeſtum eſt, ut nulla impanatio ſcotoma aliquod efficere queat. Audax præfecto pronunciatum, *ceremonia fractionis ad oculum repræſentat Chriſti paßionem & mortem.* Quid hic moritur? quid patitur? Unde quis in has cogitationes hac via pervenire poteſt? Aut credit paſſionem & mortem Chriſti, aut non credit, qui fractionem intuetur. Hic ex panifragio non informabitur. Ille, qui iam factam credit, nihilo iuvabitur tam incommoda repræſentatione. In Veteri Teſtamento ſacrificiis evidenter & ſubſtitutio Chriſti in locum generis humani per ſubſtitutionem animalis in locum peccatorum, & paſſio morsque Chriſti loco hominum tolerata per paſſionem & interfectionem animalium ea occaſione factam, ut ſanguis eorum ſit loco hominum, indicatur. Quo perpetuo teſtimonio Eccleſia de futuro vehementer firmabatur. Ad VI. Verbum in Novo Teſtamento ſufficit propter ſuam clari-

tatem in ordine ad typos obſcuriores, quos verbum Novi Teſtamenti ſua claritate ſuperat. Cum in Veteri Teſtamento verbi conciones involutiores typis explicandæ fuerint & q. in conſpectum collocandæ. Non ita reſpectu ſacramentorum, quæ licet ſignificando verbo non addant claritatem, tamen operando & nobis regenerationem & nutritionem cœleſtem efficaciter conferendo, dum res cœleſtes non adumbrant, ſed efficaciter communicant. Quod *de abſoluto decreto* addidi, quod obſtiterit, quo minus toto ſeculo pacifragium in Baſileenſem introduci non potuerit, tanto ſtomacho non debuiſſet Zvvingerus excipere, ut me SCVRRAM propterea appellaret, niſi putaret, etiā hoc ex abſoluto decreto promanare, ut me iſto dicterio oneret, 2. Sam. 16, 20. Sed quam miſera ſolatia Zvvingerus profert 1. *Licuit Baſil. Eccleſiæ dicere*, panis quē frangimus *&c. reſpectu totius reformatæ Eccleſiæ, cuius ipſa membrum fuit.* Interim non licuit Baſileenſi Eccleſiæ dicere quoad ſe. 2. *Licuit dicere Baſileenſi Eccleſiæ reſpectu doctrinæ, licet non reſpectu praxeos.* Interim non licuit dicere, quem *frangimus*, ſed vel, quem frangere cupimus, vel quem frangendum eſſe docemus. 3. *Temporum iniuriæ, non divino decreto intermiſſio ἀρτοκλασίας adſcribenda.* Quid? nonne temporum iniuriæ ſeculum durarunt? Num integro ſeculo neceſſe fuit expugnari Baſileenſes, ut myſterium ἀρτοκλασίας admittant? Baſileenſibus non patrocinatur ſapienter Zvvingerus. Nihilne interea pro myſterio tam amabili in Eccleſia Baſileenſi actitatum? Imò plurimùm, inquit Zvvingerus p. 1203. *Oecolampadius namque de Verb. Inſtit. ad Theobald. Billican. fractione mortem corporis Chriſti oſtendi indicat* &c. Sed quid hoc ad rem? Fractione panis voluit Chriſtus inſtantem paſſionem corporis ſui confirmare: Ergo fractio eſt perennis & neceſſarius in ſacra cœna ritus. Ut concedamus prius, quæ eſt ratio conſequentiæ? Ante paſſionem & mortem fractione ea repræſentata eſt. Ergo & poſtea repræſentanda. Vbi hoc in verbis allegatis dicit & docet Oecolampadius, quod Zvvingerus? *Oſvvaldus Mycanius* Oecolampadio à Zvvingero ſurrogatur pro fractionis obſervatione. Queritur autem *non neminem publico libro aſſeverare auſum fuiſſe, Myconium dogma Lutheri de cœna amplexum fuiſſe, cuius utpote defuncti nomini parcat.*

Cur Eccleſiæ Baſil. Antiſtites per tot annos fractionē panis omiſerint?

Quid Oecolampadius pro panifragio laboravit?

Quid Oſvvaldus Myconius?

cat. Atqui hoc Melchior Adami in vitis Th. Germ. p. 224. aſſerit, cum ait: *Cum certamen Eucharisticum de præſentia corporis Christi in cœna paßim efferveſceret, Myconius in ſententiam Lutheri haud obſcurè inclinavit, atque ſæpius ei: rei cauſas amicis ex verbo Dei explicavit: inde cum Academia Baſileenſi nonnihil ſimultatis ei interceßit.* Rapſodus hic, quem ſic vocat Zvvingerus, iſta deſcripſit ex *Henr. Pantaleonis. SS. Theol. Licentiati, Med. Doct. & Prof. Phyſ. proſopogr. part. 3. p. 223. ad Ann. Chr. 1540.* qui ait: *Cum quæſtio de præſentia corporis Christi paßim mota eſſet, ipſe in ſententiam Lutheri inclinavit, atque ſæpius eius rei cauſas mihi ex verbo Dei explicavit.* Provocat Zvvingerus tum ad Comment. Myconii in Marcum, tum ad conciones, quas MSCtas ſecum habet. Quicquid ſit de concionibus Myconii, (ex Commentariis eius in Marcum Zvvingerus nihil allegavit.) certè in verbis ab ipſo deſcriptis de panifragio eiusque in Baſileenſi Eccleſia deſiderio nullum verbum habetur. Et poſt Myconium usque ad Grynæum, hoc eſt, ab anno quinquageſimo ſecundo, quo Myconius obiit, uſque ad 85. ſupra triginta annos nullum pro panifragio ſuſpirium aut deſiderium adferre poteſt Zvvingerus. His tamen annis vixit & docuit *Simon Sulcerus tēpli cathedralis verus vigilansque per 33. annos Antiſtes, qui utraque manu vineam Domini excoluit, ſcholam Theologicā erexit atque rexit, fida docendi aßiduitate ſuſpiciēdus, vitæ ſanctimonia & probis moribus imitandus,* ut habet eius epitaph. Sed & fidus Dd. J. Andreæ & J. Heerbrandi in Marchionatu vicino reformando ad Confeſſ. Aug. paraſtata, in reprimēdis Zanchii circa prædeſtinationis doctrinam novitatibus pro Joh. Marbachio, inter Legatos Eccleſiaſticos Jacobo Andreæ, & Cunmanno Flinſpachio, à Rep. Baſileenſi Huldrico Coccio ſocius datus: Doctorum orthodoxorum, Eraſmi & Philippi Marbachiorum, & Joh. Winckelmanni ad ſummos honores promotor, Theologorum noſtrorum orthodoxorum intimus, quod ex frequentiſſimis literis doceri poteſt, amicus. Vide Sulceri elogium etiam in Biblioth Joſ. Simleri. Vixit & docuit Hulderìcus Coccius, qui Ann. 1566. 24. Febr. ita Joh. Marbachium de tribus concionibus articulo de aſcenſu ad cœlum dicatis ſcribit: *Priores duo ſermones videntur mihi præter id, quod ſuaves ſint, etiam perutiles, eò quod attigerunt căpita maxima contentionis præſentis.*

Semper enim ſomniant aliqui, nos transſubſtantiationẽ Papiſticam introducere, incluſionem localem, venerationem extra uſum, & cibum potumque ventris. Quæ ſicut à nullo unquam fuerunt propoſita, ita à te probè diluuntur. Quantum autem poſtremam ſeu tertiam orationem attinet, Zvvingliani multa negabunt, & tuam antea ſæpius læſam patientiam in furorem (ut ita dicã pace tua) converſam clamabunt, cum tamen ipſi, quemadmodũ Heidelbergenſium, Lauterenſium & aliorum ſcripta teſtantur, hiſtrionum SCVRRARVMQVE *more erumpant. Fuit apud nos D. Rud. Gualtherus Tig. ac fratrum Tigur. nomine propoſuit conſilium, quo ex petitione Ill. Principis Palatini, ſententiam ſuam de cœna aperire brevi libello & Cæſ. M. transmittere ad comitia velit. Petijt ut nos, quod & alij Helvetij purioris doctrinæ feciſſent, ipſis coniungeremur. Nos autem & Magiſtratus noſter priorem ſuam iamdudum editam Confeßionem in ſacramento corporis & ſanguinis Christi nihilo ab Aug. Conf. diſſentientem, multò minus ab Euangeliſtis & Paulo, ſimpliciter retinet &c.* Vixit eo tempore Theodorus Zvvingerus Medicus & Philoſophus, Avus Theatrici Zvvingeri, qui de Berengario, quem nepos mirè extollit, in Theatro vitæ vol. 5. lib. 4. tit. de Chriſtianæ religionis hæreticis ſeculo XI. p. 1323. ſic ſcribit: *Berengarius Turone oriundus & Diaconus Eccleſiæ Andegavenſis doctrina & morum honeſtate initio clarus, Franciam doctrina ſua de Euchariſtia,* qua veram corporis & ſanguinis Chriſti in cœna ſacra negabat præſentiam, *valde turbatam multis annis reddidit ſub annum 1051. Eius hæreſis in ſynodo Turonenſi, deinde Vercellenſi & Lateranenſi, damnata eſt. Ac licet ipſe præſens libros ſui dogmatis in medio Concilij igni tradiderit, ac per Deum, nunquam deinceps in vulgus eiusmodi doctrinæ genus ſe ſparſurum, ſed in* PATRVM probata doctrina *permanſurum, ſanctè iuraverit, tamen poſtea ad ingenium redijt &c.* Et vol. 16. lib. 5. tit. de pœnitentia rel. ob hæreſ. p. 3080. *Berengarius Turonenſis, amplitudine doctrinæ confiſus, de ſacramento Euchariſtiæ* errorem ſuum *publico Concilio Romæ habito* emendavit &c. Et hoc eſt illud tempus, quo, ut Zvving. in app. disp. de Euch. ait, *lolium atque zizania* dormientibus hominibus *proruperant*, quo, ut idem ait in theatro Sap. p. 1207. ἑτεροδιδασκαλία *clam & dißimulanter in Eccleſ. Baſil. irrepſit, adeò ut non ſolum Conf. Baſil. marginalia annotata ad articulum de S. cœna in iterata ejusdem edit. tanquam eius alæ quæpiam aut remigia detruncatæ fuerint, ſed & latenter confeßio nova pro re nata Politarchis obtruſa & ſen-*

Berengarius in quo cenſu ap. Zvvingerum avũ.

ſim

ſim id actum, ut Eccleſia Baſ. primæ ſuæ Confeßionis obliviſcetetur, & Lutheraniſmum ambabus manibus amplecteretur. Fatetur ergo Zvvingerus, tot annis Lutheraniſmum ſub tantis viris Baſileæ publicè floruiſſe & panifragium, cuius nec Myconius cognoſcitur arſiſſe deſiderio, (docuit autem ab anno Chriſti 1532.) neglectum fuiſſe. Grynæum quod attinet, non ignotum eſt, illum coxiſſe panifragium per annos ferè quadraginta. Non tamen auſus fuit illud in Eccleſiæ conſpectum producere, niſi in concionibus, in quibus tamen id non obtinuit, ut Eccleſia ad eius ſententiam dicere voluerit, *panis quem frangimus* &c. Sed ſatis ſint iſta de fractione. Nam quæ ex B. Luthero, Proſpero, Beda, & aliis Zvvingerus & olim adduxit & in theatro nunc vindicatum it, in ſect. 4. ſeu Apologia explicabimus.

Requirit IV. *panem cum* Ποτηρίῳ *indiviſo nexu coniunctum.*
μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ καὶ τῷ ποτηρίῳ &c. inquit diatypoſis ſyn- §. 45.
odica. Ea non ad Clericos, ſed etiam ad Laicos directa eſt. De quo vide D. Gerhard. Loc. Comm. de cœn. cap. 9. tot. & quæ diſputata in AntiCogentio de cœna *diſſ. 2. §. 6. p. 57. & ſeqq.*

Requirit V. *panem & potum non ut ſpecietenus, ſed ut realiter* §. 46.
in ſ. cœna permanſura. Ἄρτον καὶ ποτήριον ſynodica diatypoſis com- *Panis &*
memorat. Miraculum tranſſubſtantiationis innuiſſet & di- *vinum nō*
xiſſet, ἄρτον καὶ ποτήριον ſubſtantia in corpus Chriſti converſa *ſpeciete-*
conſideranda eſſe, ſi credidiſſet. Sed vide D. Gerhardum *loc. cit.* *nus in Sa-*
cap. 12. tot. Et quia calumniam patitur Aug. Conf. articulus X, *cramentis.*
quod ſpeciei panis & vini facit mentionem, de qua actum AntiCogen. *diſſ. 2. § 5. pag. 55.* notamus, quod Simplicius Verinus de Tranſſubſtãtiatione p. 229. docet, ſpeciei vocem antiquo uſu non notare ſubſtantia deſtituta accidentia, ex uſu Iuriſconſultorum p. 230. Patrum, Gaudentii Brixiani, Ambroſii, Auguſtini, Origenis, Theophylacti, Victoris Antiocheni, & aliorum à p. 232. & ſeqq. usque ad p. 242.

Requirit VI. *panem & vinum non ut duo ſacramenta.* U- §. 47.
num myſterium in ſ. menſa exhibiti corporis & ſanguinis Chriſti intellexit S. Synodus & omnis antiquitas. Hinc inſcriptio, Περὶ τῆς θείας τραπέζης καὶ τοῦ ἐπ᾽ αὐτὴν μυστηρίου τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. Hinc & ipſa diatypoſis indiſtractè connectit, & cum

uno.

In ſ. cœna non ſunt duo ſacramenta.

uno baptiſmo confert, de quo ſupra. Hinc & ceu unus teſtis in terra cum verbo & baptiſmo ſub nomine αἵματος proponitur 1. Joh. 5, 8. de quo vide diſſert. ſingul. ad part. 1. Theol. Zach. annexam. Disputant hac de re iam olim inter ſe Pontificii. Vide Tannerum Theol. Schol. T. 4. disput. 5. q. 1. dub. 2. p. 980. & ſeq. Inter autores ſibi imprimis contrariantur, ut ſemper fere, Valquez & Suarez. E ſchola Zvvinglii Cl. Salmaſius ſub nomine Simpl. Verini noviter *duo ſacramenta ſeparata* hîc conſtituit. Conf. p. 253. Ita de Transſubſt. p. 17. *Diviſit Chriſtus panem à calice, & ſeorſim panem & calicem benedicendo & tradendo quaſi* duo ex utraque ſpecie ſacramenta *conſtituit ſeparata, unum in cœna inſtituendo, alterum extra cœnam. Panem quippe, cum adhuc cœnaret, ſacramentum corporis ſui fecit, calicem in ſanguinis ſui teſtamentum novum ſacravit, poſtquam cœnavit. Tempore itaque ea diſcrevit, non in continenti dedit, nec ſimul coniunxit eorum communicationem.* Et p. 280. ait. *Quidam veterum adeo perſuaſum habuerunt, hæc duo diverſa eſſe ſacramenta, ut ſacramentum calicis pro confirmatione alterius habuerint, haud paulo ſecus, quam Chrismatio habita eſt pro confirmatione baptiſmi, ex qua & alterum fecere Sacrvmentum à baptiſmate diverſum.* Et in epiſt. ad Julium Pac. p. 312. Pontificii *pro duobus Sacramentis corporis & Sanguinis Dominici in pane & vino conſiſtentibus alterum detraxere, nempe ſacramentum ſanguinis, detracto calice, in quo ſanguis cenſetur. Hinc veteres omnes Patres Græci Latinique numero multitudinis q. de duobus loquentes ſacramentis, hoc ſacramentum Euchariſtiæ ſolent exprimere. Sacramenta altaris Latini paſſim appellant. Græci verò* μυςήρια καὶ τῶν μυςηρίων μετάδοσιν, καὶ μετάληψιν. Hieron. *Comment. in Agg. in ſacramentis panis & vinum & aqua & oleum. Inde in cenſu Sacramentorum pro duobus à pleriſque computata ſunt. Ita Rabanus Maurus* Inſt. Cler. l. 1. c. ult. *quatuor ſacramenta nominavit.* Sed quia de ordinibus ſacris & quatuor ſacramentis, nec non de officio Miſſæ ſermonem explicamus. *Quatuor illa ſacramenta, quæ ſe dicit explicaſſe, non alia ſunt, quam præter baptiſmum & chriſma, duo corporis & ſanguinis dominici ſacramenta, ut ipſe clarè teſtatur* c. 31. ejusd. l. Sed quia, *inquit*, de duobus ſacramentis, id eſt, baptiſmo & chriſmate, jam quantum nobis Dominus dedit, ſupra diſſeruimus, ſupereſt, ut de reliquis duobus, id eſt, corpore & ſanguine Domini etiam nunc, quantum

Simplicij Verini ſententia ponderatur.

tum Dominus annuerit, diligentius investigemus. *Id. l. eod. c. 24. de sacramentis Ecclesiæ clarius id exponit his verbis.* De sacramentis autem, quæ in Ecclesia fiunt, oportet, ut sequens sermo exponat atque declaret ritum sacerdotalem. Sunt autem sacramenta baptismus & chrisma, corpus & sanguis, quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorundem sacramentorum operatur. *Vnde & passim tam ipsi, quam alij Patres vetustiores, sacramenta dominica & divina plurali numero vocitant sacramentum Eucharistiæ. Hinc & sacramentum calicis apud Augustinum* de doctrin. Chr. lib. 4. c. 21. *Maximus Monachus & Conf. apud Photium in qq. è s. script. solut.* ποτήειον *separatim nominat, & ostendit, quæ esset hujus sacramenti cum baptismo differentia.* Τὶς ἡ διαφορὰ ποτηείου καὶ βαπτίσματος. *E recentioribus etiam VValafridus. Strab. aliquot locis, ut* c. 23. Actio dicitur ipse canon, quia in eo sacramenta conficiuntur dominica; *nempe sacramentum corporis & sacramentum sanguinis, quæ uno Eucharistiæ comprehenduntur sacramento, ut baptismus & chrisma sive impositio manum in antiqua Ecclesia non pro duobus, sed pro uno sacramento numerabantur, quia uno eademque tempore solebant conferri.* Sic ille. Sed sine fundamento. Nam concedamus temporis aliquod intervallum, non propterea unitas sacramenti tollitur, nec unum κυειακὸν δεῖπνον esse desinit. SS. Patres pluraliter locuti sunt, ob duplicem materiam. Quorsum etiam Rabanus Maurus & alij respexerunt. Putat Salmasius se ex hoc principio concomitantiam eversurum, magnum communionis sub una fulcrum. Sed quam feliciter, ipse viderit. Hinc & Salmasius tandem pag. 315. Sacramentum Euch. duobus q. Sacramentis constat, sive duabus essentialibus partibus.

Requirit VII. *panem & potum sub eadem dignitate & pretiositate.* Illum præponit diatyposis, hunc subjungit, ordinis, non dignitatis respectu; sicut & in verbis institutionis fit. Simplicius Verinus & hic singularia tradit. Nam in ep. ad Pacium pag. 320. ait. Apud Evangelistas in Inst. Dom. cœnæ narranda panis & vinum simul commemorantur. Paulus sequitur in 1. Cor. 11. Quod majus est, in eadem ep. cap. 10. v. 16. Calicem nominavit ante panem ipsum. Idem fit v. 21. Nam per τράπεζαν §. 48.

Luc. 22, v. 21. an assutus textui?

cibum, qui in mensa apponitur, planè intellexit. Annon ipse Lucas in Ev. c. 22, 21. in exponenda Cœnæ Dom. institutione, cum Christum à calice incipientem facit, priorem ordine fuisse significavit? Καὶ δεξάμενος τὸ ποτήειον εὐχαριστήσας εἶπε, λάβετε τοῦτο καὶ διαμερίσατε ἑαυτοῖς. *Sequitur deinde panis benedictio & fractio* v. 19. Καὶ λαβὼν εὐχαριστήσας ἔκλασε. Quod enim repetitur de Calice v. 20. ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήειον &c. *videri posset additamentum adsutum à veteribus Christianis, qui ὕστερον πρότερον illud Lucæ non potuerunt ferre, & qui eum Evangelistam reliquis voluerunt conciliare, panem prius nominantibus, quam Calicem. Certè totus ille versiculus fere ad verbum ex loco Pauli videtur descriptus* 1. Cor. 11, 24. *paucis tantum mutatis in fine. An dubium est igitur, quin ex Paulo illa ad Lucam adscita fuerint, quæ non possunt ibi cohærere, nisi velimus bis à Christo sanctificatum & traditum discipulis calicem, ante & post panis benedictionem ac distributionem. Vetus autor Constit. Ap. non tamen Clemens* lib. 7. cap. 26. *cui titulus* εὐχαριστία μυστικὴ *sanguinem prius nominavit, quam corpus.* Adhuc, *inquit*, agimus tibi gratias, Pater noster, pro sanguine pretioso Jesu Christi pro nobis effuso, & pretioso corpore, cujus hæc symbola celebramus, sicut nobis præcepit mortem ejus adnunciare. *Verus Clemens* in Ep. ad Corinth. *hunc eundem sequitur ordinem præponendo nimirum sanguinem Carni seu corpori.* In dilectione *inquit*, nos Dominus sibi assumsit. Propter dilectionem, quam erga nos habuit Dominus noster Jesus voluntate divina sanguinem suum pro nobis dedit, & carnem suam pro carne nostra. *Qui priorem locum dederunt calici sive sanguini, ut* 1. Cor. 10, 16. *Paulus semel, ut Lucas, ut uterque Clemens, non respexere forsitan ordinem, quo hæc sacramenta instituta & tradita à Christo fuere, sed quod potior esset ac nobilior pars eorum. Nam vinum sanguinis signum est in his sacramentis, sanguis autem animam denotat, ut panis corpus, sive carnem. At anima, quæ in sanguine esse putatur, corpore & carne nobilior. Ambr.* 1. Cor. 11. Testamentum sanguine constitutum est, quia beneficij divini sanguis testis est. In cujus typum nos calicem mysticum sanguinis ad tuitionem corporis & animæ nostræ percipimus. Quia sanguis Domini sanguinem nostrum redemit, id est, totum hominem salvum fecit. Caro enim Salvatoris pro salute corporis. *Hinc Latini* Natalem Calicis *vocarunt diem cœnæ*

Domini, id eſt, feriam quintam ultimæ hebdomadis quadrageſimæ, in qua Chriſtus Dominus cœnam ſuam inſtituit. Eligius hom. 10. (*vixit autẽ ſeculo ſexto*) Vocatur hæc dies cœna Domini, vocatur & Natalis calicis. *Maximus Mon.* in quæſt. è ſ. ſcript. ſolutionibus, *cum vellet comparare Euchar. ſacramentum cum baptiſmo, &, quid invicem differrent, oſtendere, ſolum calicem nominavit. Quæſtionem ita inſcripſit;* τίς ἡ διαφορὰ ποτηρίου καὶ βαπτίσματος; Sic Verinus, qui & pag. 327. ex ritu Judaico prælationem calicis confirmat. *Iudæi*, inquit, *ante omnia poculum vini, cui benedixerant, ebibebant, & ab eius hauſtu auſpicabantur cœnam paſchalem. Cœnas quoque Sabbaticas poculo vini benedicto ſolebant initiare.* Addit pag. 328. Græcos quoque aliquando cœnam à potu inchoaſſe, itemque Romanos. Similia habet de Transſubſtantiatione pag. 191. & 284. & 298. Sed hæc omnia fruſtra disputat Verinus. Nam quod Lucam attinet, ipſe p. 345. prolixè oſtendit, non primum, cuius Lucas meminit, ſed ultimum calicem fuiſſe Euchariſticum. Primum ad Paſchalem cœnam pertinuiſſe. Quod & alii monuerunt dudum. Quod nonnunquam calix prius pane nominatur, non arguit nobilitatem & prærogativam. Nam & 1. Cor. 13. inter perſonas divinas primo loco Dn. noſter Jeſus Chriſtus nominatur, deinde Deus Pater, demum Spiritus ſanctus, neque tamen dignior eſt, quæ prius nominatur. Vel ex occaſione ſermonis, vel ex arbitrio ſermocinantis fit collocatio. Conf. Apoc. 1, 4. 5. 6. Quæ de ſanguinis præſtantia disputat, & quod Clemens carnem pro carne noſtra dixit datam, ſanguinem pro nobis, quod Ambroſius (cuius tamen illi commentar. in epp. Pauli non ſunt.) Carnem pro ſalute corporis, ſanguinem pro ſanguine fuſum ait, non eſt excluſivè intelligendum. Corpus enim ad effuſionem ſanguinis pro nobis totis datum eſt. *Natalis Calicis* pro toto ſacramento poſitus non eſt dignitatis adſtruendæ cauſa. Nam & panis aliquando fractio concedente Verino, & corpus Domini, notante Caſaubono ad Baron. ex 16. ſect. 34. & 38. pro toto ſacramento ponitur. Quanquam etiam non conſtat, quanta ſit autoritas homiliarum Eligii, qui poſt S. Ancharium Ann. 648. ad Epiſcopatum aſſumtus eſt. Quod Maximus poculi & baptiſmi comparationem inſtituit, ex ſimili cauſa fit. Ritus Judaici, Græci, Romani nos non informant.

Paſchaſ. Rathbertus de corpor. & ſang. Domin. etiã natalis calicis meminit. Caſaub. ex. 16. ſ. 55.

§. 49. Τῷ ποτηρίῳ] Notat Synodus non ipſum vaſculum, quod in oculos incurrebat, ſed ἐκ περιστάσεως vult intelligi totum complexum, quod ſacræ menſæ apponebatur, poculum plenum. *Vid. Pentadecad. meam disp. 8. θ. 8. et ſ.* ubi etiam annotatum, Veteres ex variis materiis confecta habuiſſe pocula, etiam ex ligno & vitro. Hinc autem non licet concludere, *Veteres in Eccleſia Patres calices habuerunt ex ligno & vitro. Lignum vero Chriſti ſanguinem facile imbibiſſet. Vitrum autem, cum ſit ita fragile, ſanguinem facile effudiſſet. Quare credibile eſt, veteres non putaſſe, ſanguinem Chriſti in illis vaſis ſubſtantialiter fuiſſe. Alioqui videri poſſent negligenter, ne dicatur temere, illa tractaſſe* Stephanus Gardinerus Winton. Epiſcop. illam obiectionem diluit. P. Martyr verò tuetur *in reſponſ. ad obiect. 54. pagin. 216.* Nam Gardinerus ligneorum & vitreorum poculorum uſum paupertati & neceſſitati temporum tribuit. Notat tamen vaſa potuiſſe confici ex lignis ſolidis, quæ nihil imbiberent. Reſpondet autem Martyr, nullam paupertatem aut neceſſitatem excuſare in uſu ligneorū aut fragilium poculorum, ſi crediderunt ſanguinis præſentiam, cum præſentiſſimum ſit imbibitionis aut effuſionis periculum; plumbea & ſtannea paulò maiori pretio comparari potuiſſe. Ligna & vitra iſtis incōmodis non obnoxia rarò inveniri. Sic Andabatæ invicem disputant. Si ſanguinem Chriſti locali & naturali præſentia in poculis ligneis eſſe credidiſſent Veteres, & cum vino permiſtum, tunc periculum fuiſſet imbibitionis aut effuſionis. Eſt autem præſentia illa ſublimioris ordinis & planè divina & ex inhabitante plenitudine Deitatis profecta. Itaque extra omnes affectiones, quibus aliàs ſanguis extravaſatus obnoxius eſt, collocat, nec patitur fieri vel imbitionem, vel effuſionem.

Poculum ex quavis olim materia.

§. 50. Μὴ ταπεινῶς προσέχωμεν.] Abiectum humilemque ſenſum negat adferendum tum in iudicio, tum in affectu. De hoc tum alibi, tum apud Caſaubon. *ex. 16. ſ. 43. 44. 45.* De iudicio circa hoc myſterium non ex principiis rationis formando, pluribus à noſtris disputatum eſt, Hoc eſſet ταπεινῶς προσέχειν & hærere naturæ, non divinæ revelationi.

§. 51. ἀλλ᾽ ὑψώσαντες ἡμῶν τὴν διάνοιαν πίστει νοήσωμεν) ὕψωσις τῆς ἡμῶν διανοίας fit verbo Dei illuminante & ſurſum non loci, ſed

obecti

objecti respectu (quomodo sursum seu *τὰ ἄνω* sunt omnia quæ ad regnū gratiæ pertinent, sive ejus causas, sive organa spectes, etiā quæ reipsa in terra sunt, *Col. 3, 1. 2.* & non ἐπὶ τῆς γῆς sunt, etiā cum ἐπὶ τῆς γῆς sunt. *Ioh. 18, 36. Hebr. 8, 4.*) levante, quo πᾶν τὸ ὕψωμα subigimus, 2. Cor. 10, 5. πίστει νοοῦμεν, non cum ex absentibus præsentia facimus, sed cum fide ex revelatione divina informata præeunte id esse præsens, quod præsens esse posse nulla ratio assequitur, accipimus. Sic πίστει νοοῦμεν omnes thesauros sap. & scientiæ in Christo esse absconditos, omnem plenitudinem Deitatis corporaliter in eo habitare, eum esse super omnia benedictum Deum in secula, quæ omnia in Christo sunt præsentissima. *Col. 2, 3. 9. Rom. 9, 5.* πίστει νοοῦμεν, cum SS. Trinitatis personas singulari præsentia in affusione aquæ baptismalis adesse, qualem nulla capit ratio, credimus. πίστει νοοῦμεν, virtutem Dei in aquis absconditam, ut Syn. Nicæna diatyp. 4. loquitur. Sic igitur πίστει νοοῦμεν circa intuitum τοῦ ἄρτου προκειμένου & τοῦ ποτηρίου. Non quæ constituat mysterium & rei cœlestis in mysterio præsentiam, vel causa formalis sit ejusdem, sed quæ constitutum agnoscat.

Κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ) Κεῖσθαι non situ corporali, sed tamen præsentia vera & arcana. Sic *Luc. 2, 34* οὗτος κεῖται, hic *præsto* est, *præsens* est, *promtus* est, *apparuit*, ex intentione Dei ad ἀνάστασιν πολλῶν, ex eventu respectu ingratorum hominum εἰς πτῶσιν καὶ σημεῖον (in se μεταδοτικὸν & plenitudinem bonorum cœlestium complexum, sed ex malitia horum) ἀντιλεγόμενον. *2. Cor. 3. v. 15.* κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν Judæorum κεῖται *adest, præsens est, sese exerit & suam malignitatem diffundit. Phil 1, 17.* εἰς ἀπολογίαν τοῦ εὐαγγελίου κεῖμαι, inquit Ap. præsens sum, sisto me, in apricum prodeo, præsento me. *1. Thess. 3, 3.* dicit, Apostolos εἰς τὸ στηρίξαι καὶ παρακαλέσαι περὶ τῆς πίστεως κεῖσθαι, h. e. passim in Ecclesijs obvios, promtos, præsentes esse. Aliàs sæpe etiam præsentiam corporalem denotat. Nunquam omnimodam absentiam. Itaque cum s. synodus dicit, κεῖσθαι τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ ἐπὶ τῆς ἱερᾶς τραπέζης, præsentia agni Dei vera & realis, sive promtitudo & peculiaris φανέρωσις indicatur. Est enim id, quod percipitur ex hac sacra mensa, ab actione Sacerdotis nostri §. 51.

præſentiſſimi, qua, cum ſemel ſe ut agnum Deo Patri obtuliſſet, nos θυσιαστηρίου & ſacrificatorum participes facit. De ſacrificio ſuo concionatus fuit diſcipulis Sacerdos Jeſus. In S. Cœnæ inſtitutione, quod nullus aliàs Sacerdos fecit, prælibandum & prægustandum de ſacrificio præbuit. Nobis, qui poſt immolationẽ admittimur, idem præſto eſt ἐπὶ τῆς ἱερᾶς τραπέζης. De præſentiæ divinæ gradibus prolixè actum eſt in ep. dedicat. ad Sereniſſ. Ducem Auguſtum Brunſvvicenſem, quæ præmiſſa AntiZvving. dispp. Notamus hîc, Chriſtum θεάνθρωπον, cum ſ. cœna celebratur, ſacræ menſæ adeſſe 1. præſentia univerſali, qua eſt apud omnes creaturas, & in hoc etiam actu naturam ſuſtentat, unde in ipſo ſimus, vivamus & moveamur. Ita omnia implet, Epheſ.4,10. 2. præſentia gratioſa, quatenus verbum etiam nunc comunicat, ſacramenta adornat & inſtruit, corda illuminat, excitat, incendit, ut cœleſtibus donis communicare geſtiant eaque dignè percipiant. Hac ipſa gratioſa præſentia etiam fit, ut præſto, præſens, promtũ ſit corpus eius cum pane cõmunicandum, & ſanguis eius cum poculo fruendus. De hac in AntiZvving.disp.3.4.5.6. latiſſimè actum. Quæ contra Theatrum Sap. Calv. habet, ob feſtinantes operas typogr. *in ſect. 4. Apologiam* differimus, ubi ſimul huius diatypoſeos abuſum contra alios monſtrabimus.

§. 52. Τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου.] De hoc effato Johan. Baptiſtæ extat peculiaris diſſertatio in Pentadecade disp.11. ut non opus hîc immorari.

§. 53. Ἀθύτως θυόμενον.] θύειν h.l. eſt agnum mactatum ad tollenda peccata mundi etiam ad ſacram menſam parare: hoc fit ἀθύτως, inquiunt Nicæni Patres. Ita θύειν ſumitur *Matth.22,4.* τὰ σιτιστὰ τεθυμένα καὶ πάντα ἕτοιμα, altilia mactata & omnia parata ſcil. ad δεῖπνον γαμικὸν. *Luc.15,23,27.* μόσχον τὸν σιτευτὸν θύσατε vitulum altilem & ſaginatum mactate & adornate ad convivium filio reduci exhibendum. *Actor.10,13.* πέτρε, θῦσον καὶ φάγε. Sic Nabalis verba reddunt LXX. *1.Sam.25,11.* τὰ θύματά μου ἃ τέθυκα τοῖς κείρουσί μου, *mactatas carnes meas, quas mactavi* (& ad menſam paravi) *tonſoribus meis &c. Ier.11,19.* ὡς ἀρνίον ἄκακον ἀγόμενον τοῦ θύεσθαι ut agnus qui ducitur ad mactandum, ſeu ut ad cibum paretur. *Ezech.39,17. Dic avibus, omnibus alitibus, & omnibus beſtiis agri, congregamini & venite,*

venite

colligite vos ad θυσίαν μȣ̃, ἣν τέθυκα ὑμῖν, θυσίαν μεγάλην, ut comedatis.
Notat Jſaac Caſaub. *in Athen.lib.1.cap.2.* hoc modo ἱερεῖον, quod a-
liàs *ſacrificium* ſeu *victima* eſt, ſumi *pro quocunque ad comedendum ma-
ctato & parato.* Probat locis Galeni, Xenophontis, Theopompi,
Polybii, Athenæi &c. θυόμενος ἀμνὸς τȣ̃ θεȣ̃ h.l. ergo eſt, qui ad ἱερὰν
τράπεζαν paratus & accommodatus. Id autem dicitur fieri ἀθύτως.
Aθυτης θυσία eſt ſacrificium contra hactenus receptum mo-
rem & ritum ſacrorum factum. In malam & bonam par-
tem ἄθυτος θυσία ſumitur. In illam apud Philon. *de vita Moſis
lib. 3.* ἀθύτȣς θυσίας ἀνήγαγον. & lib. eod. ἄθυτοι θυσίαι καὶ ἀνίεροι ἱερȣρ-
γίαι. In hanc apud Nazianzenum τὸ μέγα καὶ ἄθυτον ἱερεῖον. Quo
ſenſu & vocat τὴν ἀναίμακτον θυσίαν, δι' ἧς ἡμεῖς χειςῷ κοινωνȣ̃μεν: *adv.
Iulian.* ϛηλιτ. α. & καθαρωτάτην καὶ ἀναίμακτον θυσίαν. ϛηλιτευτ. β. Eſt ni-
mirum, qui olim pro nobis cruentatus ſeu cruorifluus obla-
tus eſt Deo Patri agnus, ſacræ menſæ contra receptum hacte-
nus ſacrorum ritum ἀθύτως καὶ ἀναιμάκτως προκείμενος.

Ὑπὸ τῶν ἱερέων.] Miniſtri Eccleſiæ Veteris Teſtamenti §. 54.
Sacerdotes appellabantur. In Novi Teſtamenti libris, qui e-
ius miniſterio dicati, nuſpiam ita nominati ſunt. Vide, quæ
diſputat contra R. Bellarmin. *l.1.de Miſſ.c.17.* D. Gerhard. *L.de Mi-
niſtr.Eccleſ.cap.1. §.14.15.16.* Non igitur hic ſacrificium propriè
ſic dictum, ſeu novus ſacrificialis actus cogitandus. Sacerdo-
tis appellatio ex Veteri Teſtamento transſumta, ad N. Teſtam.
naturam intelligenda eſt. Adde *Myſar. Miſſ. meam cap.9.10.11.* Quo-
modo *corpus Chriſti facere ſeu confitere* dicantur Sacerdotes, ex-
plicat Ekbertus Schônaugienſis Monach. *ſerm. 11. adverſus Catha-
ros. Quod dicitur Sacerdos corpus Domini facere ſeu conficere, quod idem
ſonat in Laico ſermone, non ita intelligimus, quod ipſi corpus Domini q.de no-
vo creent, & ei eſſentiã dent, ſed eorum facere nihil aliud ibi eſt, niſi quod ſu-
per illud viſibile ſacrificium, quod in altari eſt, faciunt officium ſuum & di-
cunt orationes & benedictiones & ſtatuta ſigna faciunt, & tunc virtute di-
vina præſtatur, ut ſit ibi verum corpus Domini & verus ſanguis eius, ubi prius
nihil aliud erat, niſi panis & vinum &c.* Quo ſenſu & προσφέρειν ac-
cipitur *can.18.* Conc. Nic. quem pro ſacrificio propriè ſic dicto
allegat Gaulthérius *Chronol. p. 311.* Confer Jſaac Caſaub. *ex. 16.
ſect.33. & 51.*

Καὶ

§. 55. *Καὶ τὸ τίμιον ἀυτοῦ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντες.*] Agnum tollentem peccata mundi ratione & respectu corporis mediante προκειμένῳ ἄρτῳ, & respectu sanguinis mediante τῷ ποτηρίῳ accipientes. Quo de iam supra §. 51. λῆψις fit eo organo, quo & accipitur panis vinumque. Confer AntiZvving. Consid. *dissert. 7. & 8.* & supra §. *40, 14. 15 18.* Est enim λῆψις hæc illa, qua dicimur οὐ πολὺ λαμβάνειν. Quæ Zvvingerus opponit, Apologia exponet. Ἀληθῶς h.l. est oppositum illi, quod τυπικῶς. Simplicius Verinus *de Transsubst. p. 8.* adducit Cyrilli Hierosol. *Catech. mystagog. 4.* ubi dicit, ταῦτα μαθὼν καὶ πληροφορηθεὶς, ὡς οὐ φαινόμενος ἄρτος (scilic. μόνος) ἐστίν, εἰ καὶ γεύσει αἰσθητὸς, (licet gustus nil nisi panem sentiat.) ἀλλὰ σῶμα χριστοῦ. καὶ ὁ φαινόμενος οἶνος οὐκ οἶνος (μόνος) εἰ καὶ ἡ γεῦσις τοῦτο βούλεται, ἀλλὰ αἷμα χριστοῦ. Vnde colligit Verinus p. 81. *panem non æstimandum ex naturæ vel substantiæ, qua censetur, proprietate, sed ex divina gratia & essentia, quæ per Spiritum sanctum ei infusa & indita est* : quod Victor Antioch. dixit non debere nos ἀφορᾷν τὴν φύσιν τῶν προκειμένων. Confer *& p. 148.* Sed hæc in s. 4. Apol. conferemus cum aliis Verini pronunciatis, cum ait, *Verè corpus Christi in altari accipi, sed non verum, de transsubst.* p. 203. *In Eucharistia duplicem esse carnem & sanguinem.* pag. 201. *Sacramentum solis speciebus constitui.* pag. 249. *Eucharistiam nihil aliud esse, quam panis & vini elementa.* pag. 242. *Sanguinem Christi, qui effusus est è corpore non rediisse in corpus, nec servatum esse.* pag. 192.

§. 56. *Πιστεύειν ταῦτα εἶναι τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα.*] Allegat hæc verba D. Gerhard. *de S. cœna cap. 20. §. 213. p.m. 464.* & cum Ignatii, Irenæi, Athanasii, Cyrilli &c. testimoniis confert. Sic unus finis Eucharistiæ.

§. 56. *Διὰ τοῦτο γὰρ λαμβάνομεν ὀλίγον εἰς ἁγιασμὸν.*] Etiam finis Eucharistiæ, sanctificatio. Fit 1. obsignatione promissionum Euangelicarum de remissione peccatorum. 2. insitione in Christum & spirituali nutritione ad vitam æternam &c. Confer D. Gerhard. *Cap. XX. de cœna.* Sic ἔκθεσις. Sequitur Apologia, de qua deinceps, ubi Deus otium paulo amplius dabit.

FINIS SECTIONIS III.